

Digitized by Goog


BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
1
24 G
10

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUAE SUPERSUNT
ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT
ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES,

IN TABULARIO CAESAREO PARISIENSI ARCHIVARII

AUSPICIIS ET SUMPTIBUS


H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS

TOMUS V.

PARS II.

PARISIIS
EXCUDEBAT HENRICUS PLON,
8, VIA DICTA GARANCIÈRE.
MDCCCLIX


NAZIONALE
1
24-G
10
ROMA

1. 24. G. 10

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

Digitized by Google

HISTORIA DIPLOMATICA
FRIDERICI SECUNDI

SIVE

CONSTITUTIONES, PRIVILEGIA, MANDATA, INSTRUMENTA QUAE SUPERSUNT ISTIUS IMPERATORIS ET FILIORUM EJUS.

ACCEDUNT EPISTOLAE PAPARUM ET DOCUMENTA VARIA.

COLLEGIT, AD FIDEM CHARTARUM ET CODICUM RECENSUIT, JUXTA SERIEM ANNORUM DISPOSUIT ET NOTIS ILLUSTRAVIT

J.-L.-A. HUILLARD-BRÉHOLLES,

IN ARCHIVO CAESAREO PARISIENSI ARCHIVARIUS.



AUSPICIIS ET SUMPTIBUS

H. DE ALBERTIS DE LUYNES,

UNIUS EX ACADEMIAE INSCRIPTIONUM SOCIIS.

TOMUS V.

PARS II.

PARISIIS

EXCUDEBAT HENRICUS PLON,

8, VIA DICTA GARANCIÈRE.

MDCCCLIX

Digitized by Google

FRIDERICI SECUNDI

ROMANORUM IMPERATORIS, JERUSALEM
ET SICILIAE REGIS

HISTORIA DIPLOMATICA.

TOMI QUINTI PARS SECUNDA.

ANNO 1240. — INDICTIONE 13.

Mandatum ad Alexandrum filium Henrici, ut victualia extrahi permittat ad usum crucesignatorum in partibus ultramarinis commorantium. Apud Sanctum Miniatum, 1° januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 50 recto; in edit. Carcan., p. 313.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Cum illustris rex Navarre dilectus amicus et comes Campanie fidelis noster, ac alii crucesignati qui sunt in partibus ultramarinis, preces nostre porrexerint majestati ut victualia, vinum et alia oportuna de regno nostro extrahere permictantur deferenda pro substentatione eorum in partibus illis, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus quascumque res preter quam equos extrahere voluerint et deferre, eos permictas extrahere per jurisdictionem tuam, salvo jure curie nostre statuto.

Datum apud Sanctum Miniatum (a), primo januarii, XIII indictionis.

(a) In duobus codicibus *Santum Minianum*, male.

Digitized by Google

Tenor cedule. De jure autem quod requiritur, dicas eis et ostendas nos fecisse gratiam et dedisse licentiam universis fidelibus nostris vendendi res suas, deferendas extra regnum, et ideo jus ipsum ab hominibus requiri pro eo quod res suas vendunt et (a) volunt.

Januario.] Fridericus, Romanorum imperator, regi [Navarrae] et crucesignatis concedit quod possint extrahere foderum de regno suo in subsidium Terrae Sanctae.

(Inedit. ex cod. Biblioth. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, pars III, n° CVI.)

Fredericus, etc., regi Navarre et crucesignatis salutem et optatum pii propositi complementum. Gratanter accepimus litteras quas misistis et signata earum intelleximus diligenter, gavisi non modicum et nobis congratulantes in Domino quod vos ad servitium suum per vota salutis erectos calcatis ventis et fluctibus salute comite direxerit in portum. Hinc enim jam evidenter accipimus quantum placeat Domino exercitus militie hujus qui de finibus terre in vexillo crucis et fidei gladio in hostes crucis accingitur et ad Crucifixi servicium potenter armatur. Hinc etiam surgere vobis debet et spes certior et confidentia major quod in virtute ejus vota vestra complebitis quem in vestri consummationem itineris prius habuistis comitem et ductorem. O quam longum et nos gessimus adhuc votum et speciale propositum fuit nobis ut restitueremus Jerusalem sicut in diebus antiquis et loca astantes (*sic*) deserta ejus sicut hortum Domini sollicitudinem ejus quasi delicias poneremus, et jam cognoscentibus vobis et universis aliis regibus et primatibus orthodoxis hereditatem Domini in qua nos sibi coheredem constituit eripuissemus in virga ferrea de manibus blasphemantium eum et comminuissemus in partem (b) perpetuam ossa

(a) Forsitan legendum *ubi* vel *ut*.
(b) Sic; verisimiliter legendum *pacem*.

Digitized by Google

eorum ne ultra polluerent sanctuarium Dei, nisi publici causa scandali et universalis materia mali ab eo qui pro pace scandalum predicat veniens, sicut jam in omnem terram sonus exivit, tam pios in nobis nunc prepedisset affectus nec generalem catholice profectum Ecclesie tam nequiter turbavisset. Satis preterea placidum nobis fuit, satis et pro servitio Domini et pro vestri honore affectuose volumus ut tam nobilis Deo in vobis consignatus exercitus de nostre provisionis censibus in tam sublime negotium procedat. Quin et si per vos grandia sicut confidimus in Dei servicio sint agenda, majora ut credimus acta forent ubi provida Romani pontificis qua queque sublimia diriguntur ordinatio affuisset. Quis autem ad hec defectus occasio fuerit et obstaculi causa nec vestram noticiam nec quemlibet angulum orbis latet. Eapropter viriliter agatis quod agitis ut triumphet in vobis mater Ecclesia et laudabile sitis signum in populis, quia in nomine ejus perficietis quod cupitis, in cujus honore personis et viribus militatis. Quod autem pro rehedificatione murorum Ierusalem subventionem nostram exposcitis, scire vos volumus quod tanto ad hoc specialiter voluntas nostra dirigitur quanto et pro servicio Dei ubi compellimur et quia nostri specialis est hereditas, invitamur. Scire tamen saltem ex auditu potestis quot innumerabiles sumptus jam diu fecerimus, quot cotidie faciamus et quantos etiam sine remissa manu nos facere deceat, donec statum imperii quem primi nequitia hominis Deo, nobis et toti mundo turbavit, in integrum reformemus. Nichilominus tamen, etsi nequeamus ut volumus, libenter subsidio vestro prout poterimus assistemus. De oportunitatibus autem vestris de nostro regno ferendis ut petitis, placet nobis et gratum habemus ut commoditates omnes quas ex eo habere poteritis, habeatis. Vos autem de processibus vestris quos fortunari desideramus in bonum, frequenter reddatis nos ylares et jocundos.

Litterae patentes et mandatum de mille et trecentis saumis frumenti mercatoribus Pisanis qui eas a curia emerunt assi- Apud Sanctum Miniatum, 1° januario.

gnandis, ut eas quocumque voluerint praeterquam apud Venetias libere deportent.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 50 recto; in edit. Carcan., p. 313.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum, scripsit Jacobus de Bantra patentes licteras in hunc modum :

Fredericus, etc. Tenore presentium notescat universis quod Petrus Russus, Ugolinus Russus, Philippus filius Alberti, et Philippus Patriculus mercatores Pisani fideles nostri emerunt a curia nostra mille et trecentas saumas frumenti, libere extra regnum portandas preter quam apud Venetias, quocumque voluerint, ad generalem saumam regni pro unciis auri quingentis et XX ad generale pondus, ad rationem de tarenis XII pro unaquaque sauma, quas uncias in camera nostra assignaverunt; quibus convenit et promisit firmiter curia nostra quod Obbertus Fallamonachus secretus Panormi assignabit eis integre dictam quantitatem frumenti in portu Panormi sive in portu Trapani in proximo futuris kalendis martii hujus XIII indictionis libere et expedite ab omni jure curie nostre, et permictet eos ipsum frumentum libere de regno extrahere et portare preter quam apud Venetias quocumque voluerint ad vendendum. Unde ad ipsius rei memoriam, etc.

Datum apud Sanctum Miniatum, primo januarii, XIII indictionis.

Item scripsit :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Notescat fidelitati tue quod Petrus Russus, Ugolinus Russus, Philippus filius Alberti et Philippus Patruculus mercatores Pisani fideles nostri emerunt a curia nostra mille et trecentas saumas frumenti libere extra regnum portandas ad generalem saumam regni, pro unciis auri quingentis et XX ad generale pondus ad rationem de tarenis XII pro unaquaque sauma, quas uncias in nostra camera assignaverunt; quibus convenit et promisit curia nostra quod tu in kalendis martii proximo futuris frumentum ipsum in portu Panormi vel Trapani, ubi commodius erit pro curia nostra, mercatoribus ipsis libere et expedite ab omni jure curie nostre debeas et facias assignari. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, si in

Digitized by Google

orreis nostris ipsarum partium dicta frumenti quantitas haberi poterit, tu eamdem in altero ipsorum portuum, mercatoribus predictis vel alteri sive nuntio ipsorum in predicto termino facias assignari libere et expedite ab omni jure doane et portus, et si in predictis orreis non habebitur, tu de pecunia curie nostre que est per manus tuas emas ipsum, et in loco predicto illis assignes in constituto termino, qualibet difficultate remota, permissurus eos frumentum ipsum portare extra regnum preter quam apud Venetias, quocumque voluerint, ad vendendum. Quibus expeditis licteras nostras apertas quas exinde habent recipias, et scriptum competens pro curie nostre cautela tibi fieri facias ab eisdem.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad Andream de Cicala ut in Rocca Buyani novum castellanum idoneum et fidelem constituat. Pugiboniti, 4 januario.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 50 verso, ubi nihil praeter istud mandatum exaratum fuit; in edit. Carcan., p. 314.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Andree de Cicala a porta Roseti usque Trontum capitaneo, etc. Quia castellanus Rocce Buyani intelleximus infirmari ad mortem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, si est ita, receptis hys licteris, invenias aliquem probum, ydoneum et fidelem de quo curia nostra plene confidat et ipsum in eadem Rocca Buyani constituas castellanum ad honorem et fidelitatem nostram, significaturus nobis per licteras nomen ejus quem ibi duxeris statuendum.

Datum Pugiboniti, IV januarii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Apud Podium Bonicii, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, Pandulfum de Fasanella procerem aulae suae capitaneum generalem in Tuscia statuit cum potestate justitiam omnibus exhibendi tam in criminalibus quam in civilibus causis et cum juribus omnibus quae ad imperium pertinent, mandans omnibus in Tuscia constitutis ut ei intendere et parere curent.

(Edit. ap. Camici, *Notiz. istorich. di Tosc.*, suppl. *De vicarii imper. di Federigo II*, t. XI, p. 37, non indicatis fontibus unde documentum deprompserit. Mendas vero manifestas ibi correximus.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, prelatis ecclesiarum, marchionibus, comitibus, vavassoribus, capitaneis, potestatibus, rectoribus, consiliis, communibus et universis per Tusciam constitutis presentes litteras inspecturis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. In imperiali solio constituti quod ex celesti dispensatione optinemus, dum ad subjectas imperio Romano provincias pacis et justitie moderatione regendas nostrum vertimus clementer intuitum, quod presentialiter ubique adesse non possumus ubi longe lateque potentialiter premiuemus, necessarium videmus et utile dignas consilio nostro et circa principalis aule fastigium nutritas et tam fide quam opere nobis expertas ordinare personas in partem sollicitudinis evocatas, [quas] zelus honoris nostri commoveat decretam sibi provinciam possidere, quibus pace et justitia presentia nostra compareat, ut sic ad conservandum universorum jura equa pariter moderatione prospiciant quod nos ad omnes cultores pacis et amatores tranquilli status [ac] nostrorum fidelium universitatem representent. Hac igitur consideratione ducti precipua qua diva mens nostra utilitati subjectarum nobis gentium pie justeque pervigilat, de probitate ac fidelitate Pandulphi de Faxanella proceris aule nostre fidelis nostri ab experto confisi, devotissimam ac

dilectam nobis et imperio nostro provinciam Tuscie sub ejus capitanea duximus decernendam, ipsum vestrum omnium generalem capitaneum statuentes, cui dedimus potestatem ut pacem in eadem provincia specialiter studeat procurare et ad. . . . . . . et conservanda omnia nostra et imperii jura illam diligentiam adhibeat et effectum quam ad fovendum nostrorum. . . . . . . fidelium volumus et precipimus sine personarum acceptione fideliter exhiberi, ecclesiis, locis religiosis, pupillis, viduis, orphanis, majoribus et minoribus, sublimibus et humilibus et quibuslibet cujuscumque conditionis justitiam petentibus largiatur, equo judicio terminari faciens questiones. Preterea sibi concessimus merum imperium et gladii potestatem et ut in facinorosos animadvertere valeat; provinciam ipsam vice nostra purgando malefactores inquirat et puniat inquisitos et eos qui foratas (*a*) et vineta publica ausu temerario violare presumunt; criminales etiam questiones audiat et civiles quarum cognitio si nos essemus presentes ad nostrum judicium pertineret; liberales quoque audiat et determinet questiones. Imponendi etiam banna et multas ubi expedierit auctoritatem sibi plenariam impertimur; decreta utique interponat que (*b*) super transactione alimentorum, alienatione ecclesiasticarum rerum et etiam minorum si justitiam interponi petierint; tutores etiam et curatores dandi quibuslibet sibi concedimus potestatem, et ut in majoribus et minoribus quibus universalia jura succurrunt causa cognita restitutionis in integrum beneficium valeat impertiri. Ad audientiam suam tam in criminalibus quam in civilibus causis appellationes deferri volumus, quas ab sententiis ordinariorum judicum qui jurisdictionem ab imperio nacti sunt et in predicta provincia contigerit interponi, ut tamen a sententia sua ad audientiam nostri culminis possit libere provocari, nisi vel qualitas cause vel appellationum terminus appellationis subsidium adimant appellanti. Quapropter universitati vestre firmiter et districte sub obtentu gratie nostre precipiendo mandamus quatenus predicto Pandulpho de Faxanella ad fovendam pacem et manutenendam justiciam et malefactorum proterviam compescendam, pro conservatione quoque nos-

(*a*) Sic; verisimiliter *forestas*.

(*b*) Deest ibi aliquid.

trorum et imperii jurium et ad omnia que predicta sunt, tanquam generali capitaneo vestro ad nostre majestatis statum et honorem et fidelitatem nostram intendere et parere curetis, auxilium, consilium et favorem ad requisitionem suam sibi ubi. . . . . impensuri, ut ejusdem. . . . . officium efficaciter valeat exercere, mandatum tamen taliter exequentes quod ad promovendum de bono in melius statum vestrum intendere rationabiliter teneamur.

Datum apud Podium Bonicii, anno dominice incarnationis M. CC. XL (1), mense januarii, XIII indictionis.

Ego Pontius notarius exemplum ut transumtum est vidi, legi et auscultavi simul cum Petro notario et Rigone notario, nihil additum vel diminutum inveni, signum manus mee apposui.

Et ego Petrus notarius scripsi et publicavi anno a nativitate Domini M. CC. XLII, indictione XV, septima julii intrante. Actum in Castello in domo plebis dicti Castelli.

[Januario.] Fridericus, Romanorum imperator, cuidam duci notum facit se dispositis omnibus in Lombardia in partes Tusciae contulisse, ubi pax reformatur et quaeque ad mandata sua feliciter inclinantur.

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. coll.*, t. II, col. 1148, epist. XIV. — Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, pars I.)

Fridericus, etc., duci Londoie (*a*), etc. Vota tua que ad audiendum de prospero statu nostro scimus ardenter attolli, non patimur inscia remanere, notificantes devotioni tue quod per gratiam ejus per quem vivimus

(*a*) Sic ap. Martene et in codice Parisiensi. Legendum vero arbitramur *Lovanie*. In codice Phillippsensi scribitur *Bawarie*, minus recte, dum dux Bawariae tunc temporis in partes imperatori adversas declinaret.

(1) Licet annus incarnationis notetur, anno nativitatis clare utitur imperialis scriba.

Digitized by Google

et regnamus et sumus, optata corporis salute vigemus et in virtute ejus ad universa pro voto proficimus et in omnibus prosperamus. Dispositis enim nostris beneplacitis in partibus Lombardie, prout jam ad te certitudo pervenit, in partes Tuscie quibus universaliter vota hominum adventus nostri presentiam inardebant, comitante nos salute contulimus, ubi singulas civitates, comitatus, castra et quelibet alia invenimus ad omnia mandata et beneplacita nostra tam affectu promptissimo quam effectu; ita quod compressis undique scandalis et pace in integrum reformata, ubicunque fuerit inter aliquos cives rescissa, in dictis ordinationibus et statutis nostris, quantumcumque nobis facere libuit, omnes et singuli sicut sub unius manu domini se foveri tolerant et protegi, sic eadem fidei et servitiorum nostrorum promptitudine accenduntur et ubertate bonorum et pacis potiri invicem gloriantur. Et sic in omni votorum nostrorum successu procedimus tam feliciter quam potenter, non omissuri deinceps de prosperis eventibus nostris quos divina nobis dextera semper procurat in bonum, frequens devotioni tue gaudium destinare.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit communi Imolensi fidelibus suis quod licet comes Gualterius de Manuppello sacri imperii in Romaniola vicarius generalis existat, hunc specialem civitatis ipsorum potestatem pro anno futuro duxit statuendum, mandans ut ei seu vicario ejus fideliter obediant. [Januario ineunte.]

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *Anc. fonds lat.*, n° 2954, fol. 6 recto.)

Fredericus, Dei gratia, etc., potestati et consilio et communi Ymole fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Quia pro vestro salubri statu commode disponendo, inter occupationes alias reipublice procurande, cura nobis imminet specialis ut tam intra civitatem quam extra nulla vos malignorum partibus adversitas nullius incursus offendat, regi-

mini vestro sequentis anni de rectore ydoneo duximus procurandum. Licet igitur comes Galterius de Manuppello, sacri imperii in Romaniola vicarius et fidelis noster (1), generalem ipsius provincie jurisdictionem presideat, ut bonum statum vestrum specialiter regat et dirigat ipsum in potestatem vestrum proximo futuri anni deliberatione provida statuentes, mandamus et precipimus fidelitati vestre quatenus etsi alias ei tanquam generali vicario. . . . . . , nichilominus potestati vestro proximo sequenti anno a nobis proviso et vicario ejus quem in absentia sua statuet loco sui, intendere et obedire curetis in omnibus que ad honorem et fidelitatem nostram et salubre regimen status vestri debeant provenire. Confidimus enim quod tanto commodius provisum fore vobis gaudebitis in eodem quanto per generalem jurisdictionem speciali subveniet [et] speciale officium potestatis salubriter et specialiter promovebit. Mandamus insuper ei ut formam juramenti quod de exercenda potestaria de more prestabit faciat, salvo mandato et ordinatione nostra.

Apud Senas, 8 januarii.

Litterae patentes et clausae de mutuis mercatorum Romanorum apud Landrianum camerae imperiali factis, quorum solutio usque ad proximas kalendas maii extitit prorogata, ad hunc terminum a secretis Panormi et Messanae et ab Angelo Frisario cum damnis et interesse persolvendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 51 recto; in edit. Carcan., p. 314 et seqq.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia patentes licteras in hac forma :

Fredericus, etc. Notum facimus universis quod Romano Angeli, Ste-

(1) Quem ad ann. 1239 cum hoc ipso titulo memoratum invenimus ap. FRIZZI, *Memor. di Ferraria*. Circa hoc potius tempus quam in extremis regni Friderici annis, quibus denuo Gualterius idem officium in Romaniola exercuerit, imperiale mandatum reponendum censemus.

phano de Philippo, Tibaldo fratri ejus, Paulo Malagrumo, Nicolao Stephani de Philippo et Luce de Jennar., mercatoribus Romanis fidelibus nostris, pro unciis auri CCC et XXII, ad generale pondus regni, quas debuerunt recipere de camera nostra apud Cremonam per totum mensem octubris XIII indictionis, pro mutuo quod fecerunt camere nostre in castris apud Landrianum III predicti mensis octubris, quia predicto loco et termino quietati de predicta pecunia non fuerunt nec poterant ad presens in curia nostra persolvi de pecunia delata de regno per Henricum Abbatem fidelem nostrum secundum conventionem eis factam, et eorum solutio usque ad kalendas madii proximo futuri hujus XIII indictionis extitit prorogata; unde curia nostra convenit eis, computatis dampnis et interesse predictorum sex mensium, de singulis tribus unciis quatuor uncias facere exhiberi que sunt in summa uncie auri CCCCXXVIIII et tareni X, ad generale pondus; promisimus quod Obbertus Fallamonachus secretus Panormi, fidelis noster, pro parte curie nostre, de pecunia venditionis victualium et proventuum portuum Sicilie ultra flumen Salsum, que est per manus suas, in predictis kalendis madii uncias ipsas predictis mercatoribus vel alteri eorum, sive certo nuncio vel procuratori ipsorum sine difficultate et majoris more dispendio debeat quietare; et si forte aliquo accidente casu, quod omnino nolumus, predictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretur, de singulis centum unciis de tota predicta quantitate CCCCXXVIIII unciarum et tarenorum X, tres uncias auri ad generale pondus per mensem idem Obbertus pro dampnis et interesse eis solvere teneatur et debeat, et nichilominus integre et sine difficultate solvere ipsis uncias supradictas. Unde, etc.

Datum apud Senas, VIII januarii, XIII indictionis.

Pro eisdem scripsit predicto Obberto secreto Panormi licteras clausas juxta formam predictam per omnia et conclusit: Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus adveniente termino supradicto, predictas CCCCXXVIIII uncias et tarenos X ad generale pondus prefatis mercatoribus vel alteri eorum sive certo nuncio seu procuratori ipsorum de pecunia venditionis victualium et proventuum portuum Sicilie ultra flumen Salsum, que est per manus tuas, sine difficultate et majoris more

Digitized by Google

dispendio debeas qnietare, et si forte ut predictum est, aliquo accidente casu, quod omnino nolumus, immo tibi firmiter inhibemus, predictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu ipsa solutio differretur, de singulis centum unciis, de tota quantitate predicta, tres uncias auri ad generale pondus per mensem tu eis pro dampnis et interesse solvere debeas, provisurus actente et sollicite curaturus quod predicto termino quietentur ne per moram majus curia nostra dampnum incurrat. Soluta vero quantitate predicta patentes licteras quas eis inde fecimus recipias ab eisdem, et nichilominus aliud scriptum competens facias de solutione ipsa, ad curie nostre cautelam.

Datum [*ut supra*].

Similes clausas et apertas scripsit Angelus de Capua eidem Obberto, pro Stephano Philippi, Stephano nepote ejus, Angelo Rufini, Nicolao Donadei, et Thomasio Scrifinii, mercatoribus Romanis, qui pro unciis auri CXXXIIII 1/2 ad generale pondus, debent habere uncias CLXXVIIII et tarenos X.

Similes apertas et clausas scripsit G. de Tocco eidem Obberto pro Petro Bozo et Petro nepote ejus, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CXII et tarenis X debent recipere uncias CXL, tarenos XII 1/2.

Similes apertas et clausas scripsit eidem Angelus de Capua, pro Jacobo de Illa, Leonardo de Chencio et Nicholao Markisano mercatoribus Romanis, qui pro unciis auri CCXCIIII, debent recipere uncias CCCXCII.

Fol. 61 verso. | Similes apertas et clausas eidem Oberto scripsit Angelus de Capua pro Hugolino, Leonardo de Chenzio, Nicolao de Andrea, et Nicolao de Baro, Romanis mercatoribus, qui pro unciis CCCXLIII debent recipere uncias auri CCCCLVII et tarenos X.

Similes apertas et clausas eidem scripsit idem pro Laurentio de Pandulfo, Zentio Stephani de Philippo, Laurentio de Gilio, et Tedelgardo, mercatoribus Romanis, qui pro unciis DCLXX debent recipere uncias DCCCXCIII et tarenos X.

Similes apertas et clausas eidem scripsit idem pro Petro Romano Johannis Bernardi, mercatore Romano, qui pro unciis CXVII debet recipere uncias CLVI.

Digitized by Google

Similes apertas et clausas eidem scripsit G. de Cusentia pro Actaviano de Caldobuccone, Paulo de Lucell. et Petro de Alexandro, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CXCIIII, debent habere uncias CCLVIII et tarenos XX.

Similes apertas et clausas scripsit G. de Tocco Majori de Plancatone secreto Messane pro Paulo Malagrumo, Andree de Jennar et Luce de Jennar, mercatoribus Romanis, qui pro unciis DCCXVI, debent recipere uncias DCCCCLIIII et tarenos XX.

Similes apertas et clausas eidem secreto Messane scripsit G. de Cusentia pro Laurentio Bonasigna, Nicolao Stephani de Philippo, Stephano et Philippo fratre ejus, et Stephano filio ejusdem Nicolai, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCXCVII, debent recipere uncias CCCXCVI.

Similes apertas et clausas scripsit eidem secreto Messane G. de Tocco pro Paulo de Cesar., Johanne de Raynerio, Jacobo filio ejus, et Michaele Petri Johannis de Saxo mercatoribus Romanis qui pro unciis CCC, debent recipere uncias CCCC.

Similes apertas et clausas scripsit Jacobus de Bantra eidem secreto pro Jacobo Petri Sinibaldi, Petro Oddone Serlet. et Nicolao Stephani de Philippo, mercatoribus Romanis, qui pro unciis DCLXII, debent recipere uncias DCCCLXXXIII minus terciam.

Similes apertas et clausas eidem scripsit G. de Cusentia pro Philippo Ficcaficar, Jacobo fratre ejus, Johanne Ficcaficar, et Montaincolo filio ejusdem Joannis, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCXII, debent recipere uncias CCLXXXII et tarenos XX.

Similes apertas et clausas scripsit Laurentius de Brundusio Angelo Frisaro custodi portuum Sicilie citra flumen Salsum pro Johanne Scrifinio, Thomasio, Nicolao et Petro fratribus, et Nicolao Stephani de Philippo, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCXXXVII $^1/_2$, debent recipere uncias CCCXVI et tarenos XX.

Similes apertas et clausas eidem Angelo scripsit P. de Capua, pro Paulo Rufo, Nicolao Stephani de Philippo, Angelo Rufino, et Petro Ficcaficar, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCCII, debent recipere uncias CCCCII, et tarenos XX.

Digitized by Google

Similes apertas et clausas eidem Angelo scripsit idem P. pro Jacobo Salomone et Nicolao de Baro, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCCXXXVI, debent recipere uncias CCCCXLVIII.

Similes apertas et clausas eidem scripsit idem pro Johanne Carboncello, qui pro unciis auri LXIII $^1/_2$, debet recipere uncias LXXXIIII et tarenos XX.

Similes apertas et clausas eidem scripsit idem pro Angelo et Laurentio de Pandolfo, Laurentio de Gilio, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCLXXX, debent recipere uncias CCCLXXIII et tarenos X.

Similes apertas et clausas eidem scripsit idem pro Petro Donadei, Nicolao Donadei, et Petro Mancino mercatoribus Romanis qui pro unciis CLXIIII $^1/_2$, debent recipere uncias CCXXVIIII, tarenos X.

Similes apertas et clausas eidem scripsit L. de Brundusio pro Andrea Tito, Chencio Stephani de Philippo, Laurencio de Gilio et Tedelgardo Rufo, qui pro unciis CCLXXXVIIII, debent recipere uncias CCCLXXXV, tarenos X.

Sequitur de licteris de mutuo Romanorum facto apud Laudam XVIIII novembris, XIII indictionis, qui debuerunt quietari apud Cremonam in medietate decembris et pro defectu pecunie missi sunt in regnum solvendi.

Fol. 52 recto. | VIII januarii, apud Senas. In forma predicta scripsit Jacobus de Bantra Obberto Fallamonacho secreto Panormi pro Paulo Malagrumo, Nicolao Stephani de Philippo, Stephano Philippi, Andrea et Luca de Jennar, pro unciis auri CCCLXVIIII, quas recipere debuerunt in camera apud Cremonam in medietate decembris primo preteriti XIII indictionis pro mutuo quod fecerunt apud Laudam XVIIII novembris, et quia solutio eorum delata est usque ad kalendas madii et computatis dampnis et interesse quatuor mensium et dimidii, ad rationem pro singulis quatuor unciis quinque uncias, debent habere uncias CCCCLXI et quarta.

Similes apertas et clausas eidem scripsit Johannes de Idronto, pro Stephano Philippi, Stephano nepote ejus, Angelo Rufino et Nicolao Donadei, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CCXXXV debent recipere uncias CCXCIIII, minus quarta.

Similes apertas et clausas eidem scripsit Laurentius de Brundusio pro

Romano Muto, Johanne Lucido, Nicolao de Andrea, Angelo Muto, Jacobo filio ejus, mercatoribus Romanis, qui pro nnciis CXXII ½, debent recipere uncias CLIII tarenos IIII.

Similes apertas et clausas eidem scripsit Jacobus de Bantra pro Jacobo de Illa, Leonardo de Chenzio, et Nicolao Markisano, mercatoribus Romanis, qui pro unciis LXI, debent habere uncias LXXVI et quarta.

Similes apertas et clausas scripsit Johannes Idronti Majori de Plancatone secreto Messane pro Joanne de Raynerio, Jacobo filio ejus, Paulo de Cesar., fratre ejusdem Johannis, et Michaele Petri Johannis de Saxo, mercatoribus Romanis, qui pro unciis CLXI et quarta, debent recipere uncias CCI ½.

Similes apertas et clausas eidem secreto scripsit Jacobus de Bantra pro Romano Angeli, Stèphano de Philippo Tibaldo fratre ejus, mercatoribus Romanis, qui pro unciis auri CCXX, debent recipere uncias CCLXXV.

Similes apertas et clausas scripsit idem Jacobus Angelo Frisario pro Aldeprandino Pinnaculo, Raynerio et Alexio Henrici, Mattheo Dentisalvi, Raynerio Richi, Gazanetto Alberici et Bonajuto Samarelli, mercatoribus Senensibns, qui pro unciis auri D, debent habere uncias DCXXV.

Litterae patentes et mandatum de residuo mutui mercatorum Parmensium apud Landrianum camerae imperiali facti, cujus solutio usque ad proximas kalendas martii extitit prorogata, ad hunc terminum a custodibus aerarii, computatis damnis et interesse, persolvendo. Apud Senas, 8 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 52 verso; in edit. Carcan., p. 317.)

De superiori mandato scripsit G. de Cusentia patentes licteras :

Fridericus, etc. Notum facimns, etc., quod Jacobo Forniculo, Leonardo fratri ejus, Hugolino de Algano, Bonifacio de Bonadeo, Jacobo Busolo, Gandolfo Tusco et Petro Manizo mercatoribus Parmensibus de

Digitized by Google

unciis auri MDCLXXXV ad generale pondus regni, quas recipere debuerunt de camera nostra apud Cremonam per totum mensem octubris nuper preteritum hujus XIII indictionis, pro mutuo quod fecerunt camere nostre in castris apud Landrianum III predicti mensis octubris, quia predicto loco et termino quietati non fuerunt, solutis eis postmodum in fine decembris apud Pisas de camera nostra unciis DXXVIIII, de reliquo non poterant in curia nostra quietari ad presens, sed ipsorum solutio usque ad kalendas martii proximo futuri hujus XIII indictionis extitit prorogata; unde curia nostra convenit eis facere exhiberi, computatis dampnis et interesse IIII mensium, videlicet a mense novembris usque per totum mensem februarii, ad rationem de quinque unciis pro centenario per mensem, que sunt in summa uncie auri MCCCCLVI ad generale pondus; promisimus quod Marinus de Valle, Angelus de Marra et Enfrano de Porta custodes erarii nostri Salvatoris ad Mare apud Neapolim fideles nostri pro parte curie nostre de pecunia ejusdem erarii nostri que est per manus eorum, in predictis kalendis martii (*a*) uncias ipsas predictis mercatoribus, vel alteri eorum, sive certo nuncio, seu procuratori ipsorum, sine difficultate et majoris more dispendio et pre (*b*) ceteris aliis debeant quietare, et si forte aliquo accidente casu, quod omnino nolumus, immo fieri prohibemus expresse, predictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretur de singulis centum unciis de tota predicta quantitate MCCCCLVI unciarum, tres uncias auri ad generale pondus per mensem iidem custodes erarii nostri pro dampnis et interesse eis solvere teneantur et debeant, et nichilominus eis cum integritate solvere uncias supradictas. Unde, etc.

Datum apud Senas, VIII januarii, XIII indictionis.

Pro eisdem scripsit idem dictis custodibus erarii in forma predicta, et conclusit : Quare mandamus quatenus adveniente termino supradicto predictas uncias auri MCCCCLVI ad generale pondus, predictis mercatoribus, etc. *Omnia sicut in forma alia consueta que superius continetur.*

(*a*) In impresso *madii*, minus recte.

(*b*) Ibidem *pro*, minus recte.

Digitized by Google

Mandata ad secretum Messanae pro solutione pecuniae quam Johannes de Raynerio et Jacobus Petri, mercatores Romani, curiae mutuaverunt, in futuro mense maio quietandi. Apud Senas, 8 januarii.

(*Regest. imper. Fred. II*, fol. 52 verso; in edit. Carcan., p. 317.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto, etc. Quia Johannes de Raynerio mercator Romanus fidelis noster pro dampnis, expensis et interesse de mutuo quod dudum fecerat camere nostre, recepturus est a curia nostra uncias LX, tarenos XX et grana septem, prout in licteris patentibus venerabilis Ravellensis episcopi familiaris et fidelis nostri ejus sigillo sigillatis exinde sibi factis plenius continetur, de quibus promisit ei curia nostra ipsum in mense madii primo futuro facere quietari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus prefatum Johannem de Raynerio de predictis LX unciis, tarenis XX et granis septem adveniente termino ipso debeas quietare de pecunia curie nostre que est per manus tuas, recepturus ab eo licteras predicti episcopi Ravellensis, et scriptum quietationis ab eo, pro curie nostre cautela. Patentes etiam licteras nostras, quas ei de debito fieri mandavimus, si penes eum sunt, recipias ab eodem.

Datum apud Senas, VIII januarii, XIII indictionis.

Ad eumdem scripsit idem pro Jacobo Petri Seneb. (*a*) similes licteras pro unciis L, tarenis novem et granis quinque solvendis eidem, prout in licteris patentibus venerabilium Capuani archiepiscopi et Ravellensis episcopi continetur.

(*a*) In margine *pro Jacobo Petri Seneb. Romano.*

Digitized by Google

[Januario ineunte.] Mandata Friderici, Romanorum imperatoris, ad Fulginates, Viterbienses et Tyburtinos scripta, quibus eos in fidem suam inducit et confortat, monens ut firmiter contra papam et alios sibi adversantes persistere non omittant.

I.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. XXI; nunc coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, *Notre-Dame*, 202, *Anc. fonds latin*, 8567.)

Fridericus, etc., Fulginatibus, etc. Etsi generali qua cunctos fideles nostros pura mentis affectione complectimur, vos affectuose prosequi teneamur, speciales cause verumtamen cogitationibus nostris se offerunt, que ad civitatis vestre commoda inter alias civitates Italie prerogativa quadam multipliciter nos invitant. Inducimur siquidem ex antiquo fidei vestre zelo, quam nec vetustas temporis antiquata debilitat, nec annorum spacia fastidita confringunt, sed quanto plus in tempore labitur, tanto semper in fide nostra recentior invenitur. Inducimur etiam ex pure devotionis vestre constantia, que nec vicinorum interdum exemplo submota, nec persecutionibus hostilibus stupefacta, tanquam serena semper in nubilo eo semper extitit in fide nostra ferventior, quo damna semper pertulit graviora. Inducimur nihilominus ex illa causa potissime quod in Fulgineo fulgere pueritia nostra cepit (1); et sic dum civitatem vestram locum nutriture nostre recolimus, dum vobiscum quasi civiliter convixisse pensamus, erga vos quodammodo dominantis modum excedimus, et naturali quadam humilitate seducti ad vestrum salubre regimen familiariter obligamur. Sic igitur de cura vestra solliciti firmiter

(1) Cf. quid supra disseruimus, t. I, p. 4, not. 2.

Digitized by Google

credimus quod fidei vestre synceritas de bono in melius semper crescat in antea, nec in cor nostrum ascendere poterit quod, ubi sic vos affectuose diligimus, alicujus sinistra suspitio vel suggestio fraudulenta devotionis vestre constantiam, de qua stabili mente confidimus, a fide nostra valeat revocare. Licet autem vos egere exhortationibus non credamus, quos sine requisitione ferventes ad nostra servitia probabiliter experimur, nihilominus tamen fidelitatem vestram requirimus et hortamur, attente mandantes quatenus in fide et servitiis nostris solliciti, more solito vigilantes, sic ad requisitionem Thomasii de Aquino, capitanei nostri ipsarum partium (1), dilecti generi atque fidelis nostri, quem ad vos tanquam imaginarium persone nostre transmittimus et continue vobiscum volumus commorari, contra rebelles nostros vos potenter et viriliter opponatis, quod fine laudabili principium comitante, nostre serenitatis dexteram ad vestre generalitatis et specialitatis augmenta quasi per debitum obligetis. Nos enim sic alta mente et amplis retributionibus fidem vestram disponimus compensare, ut in nostris servitiis perstitisse fideliter merito gaudeatis (*a*).

II.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. I, cap. XXII, coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, potestati, consilio, communi Viterbiensi, fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Dum conscientie nostre volumina volvimus, dum civitates nostro subjectas imperio in nostre

(*a*) In cod. 8567, fol. 74 verso, sub ampliori forma ut sequitur : « *Nos enim sic alta mente fidei vestre servitia disponimus in retributionum nostrarum examine compensare ut et vos in nostris servitiis fideliter perstitisse letemini, et alii fideles nostri ad ostendenda sue devotionis obsequia libentius inducantur.*

(1) Cf. Ricc. de S. Germ., *Chronic.* ad ann. et quid narret Jacobillus, *Discorso di Foligno*, p. 42.

Digitized by Google

considerationis speculo speculamur, in quibus credit nostra serenitas serenam fidem et devotionem debitam congruis temporibus invenire, occurrit nobis specialiter Viterbiensium civitas, consuete constantie representans monilia, et indeficientis devotionis circumamicta faleris, et insuper grata satis imperio, [dum] fructuosis et floridis obseqnelis obsequitur, et fidei sne constantia sicut probabilibus argumentis, ita evidentissimis indiciis demonstratur. Metitur etiam acies mentis nostre causas alias, per quas de vobis non indigne specialem confidentiam reportamus. Nam cum dudum a vicinis vestris graves reciperetis injurias et pressuras, contradicente tunc papa serenitatis nostre proposito, quod ad sncursum vestrum promptis desideriis intendebat, nos adjutorem (*sic*) vestre fidei, quam illibatam semper servastis imperio, dignum et debitum respectum habentes, in auxilium vestrum Cesaree potentie vires armavimus, et nobilem militiam Germanie bellis expertam ad tuitionem vestri duximus destinandam. Alia etiam vice, iste qui dicitur papa, defensoris vestri nomen Troicum assumpsit; sed nos, qui in vestris lesionibus tangebamur et angebamur intrinsecus, defensionis onus prompta satis voluntate suscepimus, non ipsius verbis inducti, sed potius consideratione vestre fidei imperialiter excitati, ubi proprie persone sudoribus non pepercimus, sed sub estibus solis, snb tediis pulveris, sub galea laboravimus et lorica in angusto; cum etiam privati suos labores angustant, pro vobis laborabat Augustus, nec laborantis votum aeris intemperies retardabat, sed inducebat nobis labor solatium, per quem quies vestra et nostrorum fidelium parabatur. Tunc eraria nostra patefacta sunt sumptibus in vestre commodum defensionis effusis. Et quia in eis vestra querebatur utilitas, spem nobis adfectati commodi redolebat. Ille vero, qui inane nomen assumpserat defensionis, pastor hostilis, pascebat vos verbis, et pascuorum commoda subtrahebat, nec voluit vobis in quantitatis modice pecunie tantum mutuo subvenire, expectans ut cancrum suo parandum edulio, dextera de cavernis educeret aliena. Igitur, dum hec omnia in nostre lance considerationis appendimus, nihil de vobis conscientie culminis nostri contrarium suspicio suadet, imo firma fiducia pollicetur quod honorem nostrum et imperii, continuatis

vestris desideriis adfectatum, brachiis velitis patentibus amplexari, nullo contrario spiritu propositi vestri constantiam immutante. Cum itaque tempus advenerit, quo nobis et imperio semper grati, potestis fieri gratiores, vos oramus exurgite, mentes vestras ad contemplandam imperii sapientiam et virtutem erigite, nosque principem vestrum ac gratiosum agnoscite possessorem, parate viam domini, rectas facite semitas ejus, tollite seras portarum vestrarum, ut Cesar vester rebellibus terribilis et vobis veniat mansuetus, in cujus adventu quiescant spiritus, qui vos hactenus fatigabant. Ecce autem, ut super iis et aliis vobis beneplacitum nostre majestatis reseremus plene verbotenus, mittimus ad vos U. de Saxoforti, fidelem nostrum, cui ea que vobis ex parte nostri culminis dixerit, tanquam ab ore nostro prolata, curetis indubitanter credere et efficaciter adimplere.

III.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. XIIII, collat. cum variis Biblioth. Cesar. Paris. codicibus.)

Fredericus, etc., Tyburtinis, etc. Quanta sit fidei vestre synceritas, quam erga nos et imperium prompta mentis alacritate pretenditis, aliena cujuspiam verborum argumenta non querimus : cum effectus operis, dicto preponderans, coram nobis experimenta dilucidet, et conscientie nostre professio testium quantalibet depositione solennior interpellet. Scimus etenim, imo jam semper judice facto probavimus, qualiter Tyburtine devotionis integritas paratam continue se nostris obsequiis reverenter exhibuit, et in fidei nostre constancia devotionem puritatis ostendit. Scimus etiam quod fidei vestre perfectio damnosis hostium impulsa conatibus, et continuam sentiens ex vicinitate offensam vel potius ex offensionis vicinitate jacturam, in eo semper est in nostris servitiis probata ferventior, quo lesionem pertulit hactenus graviorem. Ad compassionis itaque nostre precordia, immo ad vestre recompensationis examen libenter admittimus universitatis vestre gravamina, qui tam hilariter nostra mandata servanda suscipitis, tam devote pro debita nostrorum servitiorum

Digitized by Google

executione portatis. De quibus et aliis vestre fidelitatis obsequiis quanquam, ut diximus, nostra magnificentia certa foret, ex tenore tamen literarum vestrarum et relatibus etiam nunciorum, quos nuper ad nostram presentiam destinastis, pleniori nobis exinde facta fide, sic super hoc suo loco et tempore, prout honori nostro convenit et fidei vestre requirit integritas, benevole curabimus providere, quod in fidei nostre constantia merito gaudeatis perstitisse. Ceterum ut vestre devotionis auditus, quos nostre felicitatis avidos fore confidimus, ex nostrorum prosperitate successuum recreentur, adjicimus quod negociis Lombardie prout per alias literas vobis scripsimus, salubriter ordinatis, in Thusciam feliciter et victoriose pervenimus, ubi divina favente clementia, plene gaudentes in corpore beneficio sospitatis, prospere regnamus et vivimus, ac singula nobis ad vota succedunt : ibique moram modicam trahere disponimus, ad partes ipsas in proximo felicibus auspiciis processuri. Vos igitur ad servitia nostra, more solito, vigiles existentes, sic ad omnia que honorem nostrum respiciunt, tenaciter vigiletis, quod sperantes in nostre liberalitatis et provisionis fiducia, ad prosecutionem servitiorum nostrorum laudabiliter intendatis, ut fidei vestre constantiam extollere dignis laudibus et labores vestros amplis recompensare premiis merito valeamus.

Apud Aretium, 11 januarii.

Mandatum ad secretum Messanae ut vineas curiae apud Messanam Marini Propengae procurationi committat pro recipiendo augmento vini quod ipse obtulit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 recto; in edit. Carcan., p. 317.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Sugio scripsit Jacobus de Bantra :

Fridericus, etc., Majori de Plancatone, etc. Veniens ad presentiam nostram Marinus Propenga (a) civis Messane fidelis noster exposuit coram

(a) In cod. Phillipps. *Popenga.*

Digitized by Google

nobis quod de vineis curie nostre quas nunc Raynerius Cavalar. pro parte curie nostre procurat, non tanta vini quantitas provenit nobis quanta deberet et posset ex illarum proventibus provenire, et optulit se meliorare curiam nostram in quadringentis saumis vini annuatim ultra illam quantitatem que nunc pro ipsa curia nostra percipitur de eisdem. Quare nobis humiliter supplicavit ut vineas ipsas mandaremus sue procurationi commicti. Quia igitur placet nobis quod nostri redditus augmententur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus diligenter inquiras, si idem M. studiosus sit et sufficiens circa procurationem et culturam ipsarum vinearum, et si solvendo est, recepta cautione idonea de bene colendis eisdem, et de solvendis saumis predictis quolibet anno oblatis pro augmento nostro, et quod fideliter responderet curie nostre de proventibus ipsarum vinearum, habito respectu ad majorem quantitatem quam a tribus annis citra curia nostra habuit de eisdem, vineas ipsas illius procurationi commictas.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

Mandata ad justitiarios Terrae Laboris et Aprutii pro palafredo et equo ad curiam ducendis et pro equis aliis ad principis praesentiam mittendis. Apud Aretium 11 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 recto; in edit. Carcan., p. 318.)

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentenaria scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., R. de Montenigro, justitiario Terre Laboris, etc. Quia volumus habere palafredum et equum, quos Andreas de Cicala capitaneus a porta Roseti usque Trontum fidelis noster dedit nobis, mandamus quatenus latori presentium marestalle nostre scuterio eos assignes, dans ei unum hominem qui pedes veniat cum eodem, et juvet eum ducere aliquem eorum usque ad presentiam nostram; expensas autem pro se, uno

Digitized by Google

roncino suo, homine quem eidem dederis, et dictis duabus equitaturis, pro veniendo ad nos de pecunia curie nostre que est per manus tuas ei debeas exhibere.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., Boamundo Pissono justitiario Aprutii, etc. Quia equi sunt nobis plurimum oportuni, mandamus quatenus per justitiariatum Aprutii diligenter inquiras apud quos homines remanserunt de equis nostris, quos Hector de Montefusculo justitiarius recepit a Johanne Carazolo veniente de regno ad presentiam nostram cum equis ipsis et custodiendos distribuit, et tam ipsos quos inveneris quam alios equos curie nostre quos aliquo modo habes, statim visis hys licteris, per tuum specialem nuntium ad presentiam nostram mictas, actente providens quod salubriter veniant et secure.

Datum [*ut supra*].

Apud Aretium, 11 januarii.

Mandatum ad secretum Panormi ut duos augustales quos notarius Guillelmus de Panormo a quolibet novorum habitatorum Trapani indebite recepit, requirere non omittat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 recto; in edit. Carcan., p. 318.)

Item :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacbo secreto Panormi, etc. Pervenit ad audientiam nostram quod notarius Guillelmus de Panormo, dum olim esset notarius Severini de Calatapb. bajulationum magistri fidelis nostri, in distributione terrarum Trapani novos habitatores ejusdem loci qui terras recipiebant ibidem, graviter pro arbitrio sue voluntatis afflixit, dum non contentus solidis quos per dictum Severinum recipiebat a curia nostra, scriptum doane nostre quod faciebat eisdem de terris assignatis et immunitatibus nostre gratie concessis eisdem, unicuique statuto precio

duorum augustalium vendere presumebat. Cum igitur hoc ad consequentiam trahi nolimus, mandamus quatenus inquiras super premissis diligentius veritatem per homines Trapani supradictos, et si tibi constiterit de premissis, tam id quod eum sicut dictum est inveneris recepisse, quam et solidos quos recipiebat a curia nostra tunc temporis, capere non omictas ab eo, quicquid inde feceris nobis fideliter et citissime rescripturus.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

(*Legitur insuper in margine :* Lator notarius Symon nuncius G. de Anglone justitiarii citra flumen Salsum. Date sunt ei apud Viterbium, XVI februarii, XIII indictionis.)

Mandatum ad Angelum de Marra de satisfaciendo pro interesse Nicolao Marchisano et socio ejus mercatoribus Romanis. Apud Aretium, 11 januarii.

(*Regest. imper. Fred. II*, fol. 53 recto; in edit. Carcan., p. 318.)

Item [de mandato magistri Alberti] (*a*).

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Nicolaus Marchisanus fidelis noster pro parte sua et Jacobi de Illa, mercatores Romani, nobis humiliter supplicaverunt, quod cum de mandato nostro restitueris eis pecuniam quam nostre camere mutuarant, de interesse sibi satisfieri, cum exinde sicut dicitur non satisfeceris, mandaremus. Nos igitur mandamus quatenus, si est ita, de quantitate temporis et interesse ipsis ratione debiti supradicti a nostra curia debito, diligentem et fidelem facias rationem, et eam plane sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

Mandata ad Andream de Cicala ut capi faciat et detineri Ebu- Apud Aretium, 11 januarii.

(*a*) Supplentur ex nota marginali.

lenses quosdam qui in defensis Ebuli temere venati sunt, et ut duos judices unumque notarium pro causis terminandis secum habeat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 verso; in edit. Carcan., p. 318.)

De imperiali mandato per magistrum R. de Trajecto scripsit R. de Salerno :

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo a porta Roseti usque Trontum, etc. Fidelitatem tuam credimus bene scire qualiter dudum statuerimus per diversas partes regni nostri defensas pro solatiis nostris, et sepe ac pluries mandasse per licteras nostras officialibus nostris quod unusquisque per jurisdictionem suam defensas ipsas faceret cum omni diligentia custodire. Verum quia nuper intelleximus quod in defensis curie nostre Ebuli, quidam Ebulenses contra mandatum nostrum temere sunt venati, grave ferimus et indignum; propter quod fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus super hoc inquisitionem facias diligentem et quoscumque inveneris in defensis curie nostre Ebuli fuisse venatos, capias de personis et in aliquo castrorum nostrorum sub diligenti custodia facias detineri, significaturus nobis per licteras tuas nomina eorum qui talia temere presumpserunt.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

Item scripsit :

Fredericus, etc., Andree de Cicala, etc. Quia nolumus quod servitia nostra tibi commissa nec non et cause et appellationes que ad te deferuntur et coram te ventilari et destinari contingunt, melius et citius expediantur, mandamus quatenus habeas tecum duos providos judices et unum notarium ad salarium, judicibus et notariis curie nostre in regno morantibus sicut modo recipiunt constitutum, cum quibus servitia nostra tibi commissa et causas et appellationes que deferuntur ad te, melius et citius valeas expedire.

Datum [*ut supra*].

Digitized by Google

Mandata de expensis dandis Nicolao de Trano valletto marescallae qui cum equis curiae ad praesentiam principis se conferre debeat. Apud Aretium, 11 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 verso; in edit. Carcan., p. 319.)

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentenaria scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Nicolao de Trano marescalle vallecto, etc. Quia equi nobis sunt plurimum oportuni, mandamus quatenus statim visis hys licteris cum equis omnibus curie nostre quos ducis ad presentiam nostram studeas te conferre, per viam quam noveris tutiorem, et ecce quod de expensis ipsis equis et tibi dandis, A. filio Henrici licteras nostras duximus destinandas.

Datum apud Aretium, XI januarii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Quia volumus ut Nicolaus de Trano, etc., cum equis nostris quos ducit, pro quibus eum hactenus miseramus, ad presentiam nostre majestatis accedat, mandamus quatenus ad requisitionem dicti Nicolai scuterios quotquot necessarios habuerit et statuto super expensis faciendis aliquo viro provido et fideli, expensas necessarias usque ad presentiam nostram pro dictis equis, scuteriis, eodem Nicolao, duobus scuteriis, et tribus equis ipsius, de pecunia curie nostre que est per manus tuas, debeas exhibere.

Datum [*ut supra*].

Mandata ad justitiarios ut bonos mulos invenire studeant et eos ad curiam mittant. Apud Aretium, 12 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 53 verso; in edit. Carcan., p. 319.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentenaria scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Roggerio de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum, etc. Cum boni muli sint nostre curie oportuni, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris invenire studeas tres mulos vel mulas ad sellam, bene sanos, juvenes, et ambulantes, ac eos sine mora per specialem tuum nuntium ad presentiam nostram mictas, tales missurus quod in eis tuum studium commendemus.

Datum apud Aretium, XII januarii, XIII indictionis.

Similes scripsit G. de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum pro mulis IIII.

Similes secreto Messane pro mulis VI.

Similes G. de Montefusculo justitiario Calabrie pro mulis III.

Similes justitiario Basilicate pro mulis II.

Similes justitiario terre Ydronti pro mulis IIII.

Similes justitiario terre Bari pro mulis III.

Similes justitiario Capitinate pro mulis III.

Similes justitiario Principatus pro mulis II.

Similes justitiario Terre Laboris pro mulis III.

Similes justitiario Aprutii pro mulis II.

Aretii, 12 januarii.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut Carnilevario de Papia falconum curiae custodi expensas exhibeat, sicut olim à Thomasio de Brundusio idem Carnilevarius recipiebat.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 53 verso; in edit. Carcan., p. 319.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Significavit nobis Carnilevarius de Papia, fidelis noster, quod cum de mandato nostro falcones

Digitized by Google

nostros in Apulia faciat custodire, expensas pro se, falconibus, falconeriis et custodibus eorumdem, sicut dudum recipiebat a Thomasio de Brundusio, a tempore quo idem Thomasius amotus ab officio fuit, habere non potuit. Quare mandamus quatenus a tempore quo tu statutus in officio Thomasii predicti fuisti, et idem Carnilevarius predictas expensas non habuit, expensas ipsas pro se, falconibus et custodibus eorumdem, sicut recipiebat olim a dicto Thomasio usque nunc et in antea, donec in eodem servitio nostro fuerit, debeas exhibere, significaturus nobis quantitatem falconum, et pro quot scuteriis et equis, et quid pro quolibet duxeris exhibendum.

Datum Aretii, XII januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut inquisitionem faciat contra Donnum Bisantium statutum super expensis faciendis in opere castri Capuae, et de processu magistri Liphantis ejusdem operis protomagistri. Aretii, 13 januarii

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 recto; in edit. Carcan., p. 320.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Delationes quasdam in conspectu culminis nostri factas contra Donnum Bisantium statutum super faciendis expensis in opere castri nostri Capue, tibi mictimus presentibus interclusas; super quibus cum inquisitionem velimus fieri diligentem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus super omnibus que cedula continet interclusa, cautam et diligentem inquisitionem facias et quicquid inde inveneris sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas. Volumus preterea quod inquiras de meritis et processu magistri Liphantis prothomagistri operis memorati caute et diligenter, qualiter se gessit in opere memorato, cum et idem apud celsitudinem

Digitized by Google

nostram in pluribus sit delatus, et qnodcumque inveneris snb tuo sigillo similiter ad curiam nostram mictas.

Datnm Aretii, XIII jannarii, XIII indictionis.

Aretii, 13 januarii. Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut Parisium Latronem in Sardiniam ad servitia Henrici regis ire compellat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 recto; in edit. Carcan., p. 320.)

De imperiali mandato facto per magistrum T. de Suessa scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Quia Parisius Latro fidelis noster est oportnnus servitiis karissimi filii nostri H. illnstris regis, etc., in partibns Sardinie, fidelitati tne precipiendo mandamns qnatenns eundem Parisinm compellas districtione qna convenit, nt ad reqnisitionem ejnsdem regis ad servitia ipsius vadat in Sardiniam sine mora, qnod eidem mandaverit devote et fideliter completurus, nisi sit nostro ratiocinio vel officio obligatns.

Datnm Aretii, XIII januarii, XIII indictionis.

Aretii, 13 januarii. Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut det expensas Johanni de Ferullo pro ducendis canibus ad curiam.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 recto; in edit. Carcan., p. 320.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Johannes de Idronto :

Fredericns, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Quia Johannem de Ferull. vallectnm et fidelem nostrum pro ducendis canibus ad nostram

Digitized by Google

presentiam destinamus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem Johanni pro se, duobus scuteriis et tribus equis a kalendis februarii primo venturi competentes expensas quousque ad nostram presentiam cum canibus venerit debeas assignare; nichilominus etiam des expensas competentes et necessarias pro singulis quatuor canibus uni custodi pro se et ipsis canibus qui cum predicto Johanne ad nostram presentiam sunt venturi. Mandamus insuper quatenus omnibus qui super custodia falconum, canum et aliorum solatiorum nostrorum sunt deputati et ipsos falcones habere et custodire tibi constiterit, expensas prout hactenus Thomasius de Brundusio eis dare consuevit, facias exhiberi juxta priorum nostrarum continentiam licterarum.

Datum Aretii, XIII januarii, XIII indictionis.

Item eodem die scriptum est universis custodibus canum curie, ut ad requisitionem Joannis de Ferrul. assignent ei quoscumque canes ab eis duxerit requirendos ad presentiam domini ducendos, et canes quos ipse illis assignaverit, ad custodiam recipiant.

Mandatum ad secretum Messanae ut det expensas Gualterio de Fisaulo pro se et pro persona quam de partibus transmarinis ad praesentiam principis ducit. Apud Aretium, 14 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 verso; in edit. Carcan., p. 320.)

De mandato imperiali facto per Marinum de Panormo scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., secreto Messane, etc. Cum G. de Fisaulo fidelem nostrum cum illa persona quam de partibus transmarinis secum duxit per servicia nostra ad presentiam majestatis nostre venire mandemus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem G. pro se, scuteriis et equitaturis suis, et pro illa persona pro se, scuterio suo ad requisitionem ejusdem G. roncinos duos et expensas usque ad presentiam nostram de pro-

ventibus curie nostre qui sunt per manus tuas, studeas exhibere. Recipiens ab ipso de omnibus que dederis et expenderis apodixam et rescripturus nobis quantum et pro quot personis et equis expensas pro eis duxeris exhibendas.

Datum apud Aretinm (a), XIV januarii, XIII indictionis.

Eodem die de eodem mandato scriptum est eidem Gualterio, ut veniat cum illa persona.

Apud Aretium, 14 januarii.

Mandata ad secretum Messanae ut tubectam et tubas argenteas fieri faciat et eas cum sclavis ad tubam docendis ad curiam destinet.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 verso; in edit. Carcan., p. 320, 321.)

De imperiali mandato scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., secreto Messane, etc. Cum quatuor tubas et unam tubectam argenteas ad presens in camera nostra habere velimus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ipsas tubectam et tubas argenteas fieri facias et ipsas factas salubriter ad cameram nostram mictas; per presentem portitorem eas enim volumus presentari.

Datum apud Aretium, XIV januarii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus id quod dudum tibi mandavimus per licteras nostras de sclavis docendis ad tubam et tubectam et ipsis mictendis ad curiam nostram cum tubis et tubectis juxta quod tibi mandavimus, celeriter exequi et adimplere procures, ipsos cum tubis et tubecta cum latore presentium ad nostram curiam destinando, quibus omnibus

(a) In codice Phillipps. legitur *apud Ortam* et ita in sequentibus mandatis usque ad Castellionem Aretinum.

Digitized by Google

necessaria usque ad curiam nostram sive per mare veniant vel per terram, studeas exhibere. Mandamus etiam tibi quatenus locum minse subtus palatium nostrum sicut expedire videris reparari facias, et colombarium in ea fieri, et columbas ibidem ad opus curie nostre nutriri.

Datum apud Aretinm, XIV januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut Henrico Baumo de Wienna mercatori pro marcis argenti mille quas in camera mutuavit, frumenti salmas quatuor millia quadringentas sexaginta duas et mediam de regno libere extrahendas exhiberi faciat. Apud Aretium, 15 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 54 verso; in edit. Carcan., p. 321.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Noveris quod Henricus Baumo de Wienna mercator fidelis noster mutuavit et assignavit in camera nostra, septimo die decembris proximo preteriti hujus XIII indictionis apud Parmam, quingentas marcas argenti in denariis grossis Cremone, ana solidos octo et denarios decem per marcam, valentes in auro ad rationem de tarenis quadraginta duobus per marcam ad generale pondus uncias DCC, factaque conventione cum eo quod tam de pecunia ipsa, quam de aliis quingentis marcis argenti ad pondus Wienne, que sunt ad marcam Colonie marce quingente sexaginta due et media, computande in auro ad rationem aliarum predictarum (1), quas quidem dare sibi nostra curia tenebatur pro expensis quas de mandato nostro fecerat, nobis dudum existentibus in Wienna, pro nunciis regis Ruscie (2), pro quibus videlicet obligaveramus ei villam unam in Austria tenendam et

---

(1) Scilicet in summa 14625 tareni sive 1487 unciae auri et dimidia.

(2) Verisimiliter agitur de Georgio secundo, cui etiam Gregorius IX papa regis titulum adscribit in litteris datis 18 julii 1231 (Cf. RAYNALDI, ad ann. § XLIII), licet tantummodo dux magnus Wladimerii appellari soleat.

usufruendam sibi quousqne de ipsa pecunia qnietaretnr a nobis, et occasione guerre villam ipsam habere non potuit nec tenere, faceremus exhiberi sibi per te estate proximo futura in Apnlia de frumento novo curie nostre, ad rationem de tarenis decem per salmam, in summa salmas quatuormilia quadringentas sexaginta duas et mediam, extraendas de regno libere et sine aliquo jure portus, fundici et doane ac deferendas quocumque voluerit extra regnum preter qnam Venetias. Quare mandamus quatenus estate primo futura de novo frumento curie nostre predictas salmas quatuormilia quadringentas sexaginta duas et mediam Josepho de Brundusio et Diethmaro latoribus presentium pro parte dicti Henrici, facias exhiberi, permictens eis extrahi de portubus infra jurisdictionem tuam positis libere et sine aliquo jnre predicto, et preter quam Venetias deferri ubicumque voluerint extra regnum; patentes etiam licteras nostras ab eis et ad curie nostre cautelam scriptum competens recepturus.

Datum apud Aretium, XV januarii, XIII indictionis.

Similes a principio usque ad conclusionem patentes scripsit idem.

XVII madii, XIII indictionis, renovate sunt superiores lictere dicti Henrici ad P. de Castaldo magistrum procuratorem curie loco dicti Alexandri statutum. (*Vide infra ad locum suum.*)

Apud Aretium, januario.

Fridericus, Romanorum imperator, Borromeum de Cortona, filium quondam Peponis Albertini, publicum imperii tabellionem constituit.

(Memorat. in *Epistol. Franc. Bonainii* ap. *Arch. stor. ital.*, Append., n° 12, p. 464, ex regist. veter. coaetan. not. Crescentii in arch. comm. Corton., f. 95 recto.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus qnam futuris quod nos confidentes de prudentia

et legalitate Borromei de Cortona fidelis nostri, filii quondam Peponis Albertini, recepto ab eo juxta consuetudinem fidelitatis et officii juramento, constituimus eum publicum tabellionem imperii ut amodo publici tabellionatus officium ubique per imperium ad honorem et fidelitatem nostram debeat fideliter exercere. Quocirca universitati vestre precipiendo maudamus quatenus predicto Borromeo in hiis que ad ejusdem publici tabellionatus officium spectare noscuntur, intendatis de cetero tanquam publico tabellioni a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram, et nullus sit qui eum super eodem officio publici tabellionatus temere impedire vel perturbare presumat; quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum apud Aretium, anno dominice incarnationis MCCXXXVIIII, mense januarii, tertiedecime indictionis.

Mandatum ad Andream de Cicala de militibus missis ad regem Sardiniae et de manutenendis Reatinis ad promissa.

Apud Castellionem Aretinum, 15 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 55 recto; in edit. Carcan., p. 321.)

De imperiali mandato facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Andree de Cicala, etc. Benigne recepimus, etc., gratum quoque gerentes quod in muniendis castris nostris sicut significasti curam et diligentiam habuisti, juxta quod a nobis receperas in mandatis. Satis etiam celsitudini nostre placet quod ad dilectum filium nostrum illustrem regem Turrium et Gallure, sacri imperii in Ytalia vicarium generalem, milites juxta mandatum ipsius mictere procurasti. De tractatu autem habito cum Reatinis, volumus quod semper des eis bona verba, et caute inducas eos ad ea que promictunt, ut cum venerimus ad partes ipsas

nobis presentibus adimpleant que obtamus. De domino insuper de Reate quem se obtulisse nostris servitiis intimasti, adhuc credimus quod bonus sit et fidelis. Tu vero circa servitia nostra, etc.

Datum apud Castellionem Aretinum, XV januarii, XIII indictionis.

Apud Cortonam, 16 januarii.

Mandatum ad Jacobum Capicem quod permittat semel videri filiam Alberici de Romano.

(*Regest. imper. Frider. II*, fol. 55 verso; in edit. Carcan., p. 322.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Guillelmus de Tocco:

Fredericus, etc., Jacobo Capice, etc. Quia Martius lator presentium venit ut videat filiam Alberici de Romano, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus permictas quod semel eam videat, et loquatur sibi palam, non tamen occultum aliquid dicat ei, sed sermo utriusque ab aliquibus fidelibus nostris ibi stantibus audiatur, et lictere ejus ad nostram celsitudinem referantur; quo sermone semel peracto discedat.

Datum apud Cortonam, XVI januarii, XIII indictionis.

Apud Cortonam, 16 januarii.

Litterae responsales ad justitiarium Basilicatae quod homines Sancti Archangeli ad subventionem compellat pro militia filii Ugutionis de Saxoforte.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 55 verso; in edit. Carcan., p. 322.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Guillelmus de Tocco :

Fredericus, etc., T. Filasmundo justitiario Basilicate, etc. Benignitate

Digitized by Google

solita recepimus licteras tuas, etc. Super eo autem quod sicut scripsisti homines Ugnizonis de Saxoforte de Sancto Archangelo dare sibi subventionem pro B. filio suo faciendo milite renuerunt, spreta pena ipsis imposita per tuum nuncium specialem et specialiter quatuor quibus per eumdem nuntium taxare pecuniam pro subventione ipsa et taxatam colligere mandabatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus homines ipsos Sancti Archangeli compelli facias cohertione qua convenit ut subventionem tribuant pro militia B. predicti filii Ugnizonis fidelis nostri, sicut est de consuetudine regni et nostris constitutionibus est statutum. Super pena vero per nuntium tuum imposita et specialiter quatuor ab ipsis accepta, procedas contra eos justitia mediante.

Datum apud Cortonam, XVI januarii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Buiamontem Cavalcantem, quondam Ugonis Occonis filium, publicum tabellionem et judicem ordinarium imperii constituit. Apud Cortonam. 16 januarii.

(Memorat. in *Epist. Franc. Bonainii* ap. *Archiv. stor. italiano*, append. n° 12, p. 465, ex regist. veter. coaetan. not. Crescentii in archiv. comm. Corton., f. 95 verso.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod nos confidentes de prudentia et legalitate Buiamontis Cavalcantis quondam Ugonis Occonis fidelis nostri, constituimus eum publicum tabellionem et judicem ordinarium imperii ut amodo publici tabellionatus et judicatus officium ubique per imperium ad honorem et fidelitatem nostram debeat fideliter exercere, recepto prius ab eo fidelitatis et utriusque officii juxta consuetudinem juramento. Quocirca universitati vestre precipiendo mandamus quatenus predicto Buiamonti in hiis que ad ejusdem publici tabellionatus et judi-

Digitized by Google

catus officium spectare noscuntur, intendatis de cetero tanquam publico tabellioni et judici ordinario a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram, et nullus sit qui eum super eodem officio publici tabellionatus et judicatus temere impedire vel perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram se noverit incursurum. Ad hujus autem rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum apud Cortonam, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIIII, mense januario, tertiedecime indictionis (1).

Extant in eodem registro tres aliae tabellionum institutiones ab eodem imperatore in eodem loco et tempore factae: prima scilicet pro Crescentio filio olim Simeonis de Bacialla.

Datum Cortone, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIIII, mense januario, XIII indictionis (*fol.* 96 *recto*).

Secunda pro Guidone de Cortona filio quondam Johannis de Cortona.

Datum apud Cortonam, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIIII, mense januario, XIII indictionis (*fol.* 98 *recto*).

Tertia pro Rainerio filio Riccomanni de Cortona.

Datum apud Cortonam, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIIII, sexto decimo mensis januarii, die (*lege* tercie) decime indictionis (*fol.* 98 *verso*).

Quas cum similis formulae sint, hic denuo transcribere supervacaneum duximus.

Apud Aretium, 20 januarii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut bona magistri Johannis de Caserta in curia papae morantis capi faciat et Ric-

(1) Testante Guazzesi, *Dell'antic. dom. del Vescovo d'Arezzo*, noscimus Fridericum apud Cortonam 18 januarii 1240 universitati Cortonensium varia privilegia concessisse et ibi judicem ordinarium instituisse. Notandum tamen est Laurum in sua Cortonensi historia, parte II, dum eodem Friderici Cortonae morantis memoraverit, de hoc speciali documento siluisse.

Digitized by Google

cardum de Isa pro Johanne clerico filio suo litteras papales praesentantem similiter capiat et detineat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 65 verso, 66 recto; in edit. Carcan., p. 322.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. de Moutenigro justitiario Terre Laboris, etc. Generale nostre majestatis edictum super publicandis bonis eorum de regno qui post prohibitionem nostram circa papam presumerent commorari, ad te jam credimus pervenisse. Nuper scias (*a*) ad audientiam culminis nostri fama referente pervenit quod tu bona magistri Johannis de Caserta que habet in Capua et Aversa, qui adhuc tanquam temerarius transgressor mandati nostri in curia papali non est veritus commorari, ad opus nostre curie non cepisti. Quod si verum est, digne mirari cogimur et moveri, presertim cum R. comes Caserte vallectus et fidelis noster ea que dictus Johannes tenuit in Caserta ad opus suum jam fecerit annotari. Cum igitur dictum magistrum Johannem de hujusmodi presumptuosa temeritate sua gaudere nolimus, fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus incontinenti receptis hys licteris bona singula ipsius tam mobilia quam stabilia in Capua et Aversa ad opus nostre curie capias et diligenter facias custodiri. Quicquid etiam a tempore prohibitionis nostre de bonis predictis perceptum fore inveneris aut aliquatenus diminutum, ad opus nostrum recipi facias et servari, rescripturus nobis per licteras tuas quicquid inde duxeris faciendum; tale, etc.

Datum apud Aretium, XX januarii, XIII indictionis.

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. justitiario Terre Laboris, etc. Intellexit nuper serenitas nostra quod cum dudum generalem prohibitionem fecerimus specialiter hominibus regni nostri ut nullus nostrorum fidelium papales licteras aliquas deferret in regnum nec de regno cum aliquibus licteris iret ad

(*a*) Sic; dum legendum videretur *tamen* vel hujusmodi.

Digitized by Google

papam, Riccardus de Ysa de Caserta A. venerabili Casertano episcopo fideli nostro pridem post prohibitionem nostram papales licteras presentavit ut Johanni clerico filio suo in Casertana ecclesia beneficium exhiberet et ipsum reciperet in canonicum et in fratrem. Quod si verum est et ad notitiam tuam aliquo modo perveuit, quod usque nunc predicta transgressio sine debita pena transivit, tanto digne miramur quanto in contemptum edicti nostri impetratio et assignatio licterarum ipsarum noscitur actentata. Cum igitur tam presumptuosam audaciam transire non deceat impunitam, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus cognita super hoc diligentius veritate, si tibi constiterit ita esse, tam presentatorem licterarum ipsarum supradictum quam illum pro quo fuerunt lictere presentate, capi facias et cum diligentia custodiri, rebus suis omnibus annotatis, ut transgressoribus ipsis ad penam veniat et aliis ad terrorem; publicationem vero ipsam nobis per licteras intimabis.

Datum apud Aretium, XX januarii, XIII indictionis.

Apud Aretium, 21 januarii.

Mandata ad recollectores pecuniae in Aprutio et in Terra Laboris pro Johanne de Raymo et Guillelmo de Laurentio provisoribus castrorum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 56 recto; in edit. Carcan., p. 323.)

De imperiali mandato facto per magistrum T. scripsit Angelus de Capua :

Fredericus, etc., Sylvestro de Sancto Paulo recollectori pecunie in Aprutio, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus Johanni de Raymo provisori castrorum in Aprutio fideli nostro pro se, tribus scuteriis et quatuor equis expensas dare procures juxta assisiam curie nostre quamdiu fuerit in servitio supradicto, hiis videlicet tantum diebus quibus juxta mandatum nostrum exercuerit officium antedictum.

Datum apud Aretium, XXI januarii, XIII indictionis.

Similes scripsit idem ad Stephanum Romoaldi statutum super erario in

Digitized by Google

Terra Laboris pro Guillelmo de Laurentio de Suessa provisore castrorum Principatus et Terre Laboris.

Mandatum ad secretum Messanae ut centum barrilia de vino de galoppo usque Neapolim mittat. Apud Aretium, 21 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 56 recto; in edit. Carcan., p. 323.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit notarius Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone, etc. Fidelitati tue mandamus atque precipimus quatenus statim receptis hys licteris mictas per nuncium centum barrilia de bono vino de galloppo usque Neapolim et illa facias assignari compalatio Neapolis, cui damus per nostras licteras in mandatis ut vinum ipsum a nuntio tuo recipere debeat et ad nostram presentiam per suum nuntium destinare.

Datum apud Aretium, XXI januarii, XIII indictionis.

Item scripsit idem compalatio Neapolis quod recipiat a nuncio Majoris de Plancatone centum barrilia de vino de galloppo et statim per suum nuntium mittat cum sommeriis ad presentiam domini.

Litterae responsales ad ammiratum regni de processu ejus et studio in apparatum stolii, de darsanis Brundusii ponendis prope castrum, de navibus naulizatis, de carobana Venetorum et Januensium intercipienda, de rege Tunnisi, de Sclavis qui piraticam in Apulia exercent. In Civitate Castellae, 23 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 56 verso; in edit. Carcan., p. 323-324.)

De imperiali mandato facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Nicolino Spinule ammirato regni, etc. Benignitate consueta recepimus licteras, etc. Quod autem significasti te tantum adhibuisse studium quod de proventibus curie nostre taliter ordinasti quod galeas multas inter novas et veteres et teridas preter alia parva vassella in brevi paratas habebis pro nostris servitiis faciendis, licet invenisses negotia maris in ipsis partibus quasi nulla, inter quas viginti quatuor reparari facis instanter, que adeo devastate erant quod ad navigandum non valerent aliquatenus ut scripsisti, et octo alias novas facis instanter fieri bene aptas, nec processisti in partibus Apulie ad faciendam nunc majorem quantitatem earum pro alleviandis expensis curie nostre et reparandis aliis parvis vassellis curie nostre que reparatione necessaria in presenti indigere scripsisti, et quod protontinos, comites et alios officiales oportunos et aptos ad maris officia et tam vassellorum quam darsanarum custodiam statuisti, nec non per darsanas quas per maritimam Apulie imperfectas invenisti, perfici facis et perfectas cum exacta diligentia custodiri, placet nobis et in omnibus processum tuum et studium commendamus. Quod vero apud Brundusium scripsisti darsanas non invenisse muratas, immo sub quodam remedio facto ad modum logiarum, propter quod expedire curie nostre scripsisti ut in eadem terra que videtur esse caput terrarum maritimarum Apulie, fierent prope castrum nostrum darsane lucide et murate, in quibus viginti galee possent omni tempore oportune manere, placet nobis ut hoc fieri facias prope castrum, sicut melius ad utilitatem curie nostre videris expedire. Super eo quod significasti te usque ad kalendas madii proximo venturi reparatas habere decem naves curie nostre et inter galeas et teridas LXXV et omnibus necessariis communitas, preter alia plura parva vassella, ad faciendum tunc victoriosum stolium nostrum ubicumque nostre placuerit majestati, satis gratum hoc ducimus et acceptum, fidelitati tue mandantes ut ad habendam quantitatem ipsam in predicto tempore paratam omnem impendas sollicitudinem et studium non remissum. Placet etiam majestati nostre quod duas naves nostras et tertiam partem alterius que sunt in portu Brundusii, ad com-

Digitized by Google

modum curie nostre quibusdam mercatoribus naulizasti, eo quod scripsisti victualia nostra seu merces alias in Apulia non invenisse quibus eas ad tractandam utilitatem nostre curie onerares. Quod vero nobis de carobana mercatorum Januensium et Venetorum significasti qui de ultramarinis partibus circa mensem madii soliti sunt venire, et nunc quia tregua inter Christianos et Saracenos rupta est in partibus illis, providisti quod si venirent facile possent capi si quatuor naves et totidem galeas nostras armari contra eos et bene mandaremus muniri, placet nobis et volumus ut hoc studeas ordinare et mictere contra eos, sicut honori et commodis nostris melius videris expedire. De facto autem regis Tunnisi ut scripsisti cui ad certum tempus treguam de gratia nostra concessimus, et ipse in partibus suis Januenses et Venetos infideles nostros recipit atque fovet, noveris nos speciales nuncios nostros ad eumdem in proximo directuros, post quorum reditum procedes sicut te instrui faciemus; interim super hoc in aliquo non procedas. De Sclavis qui in partibus Apulie piraticam exercere non metuunt et sub specie mercatorum fidelibus nostris dampnosi sunt in personis et rebus, propter quod bonum esse scripsisti ut tota Sclavonia banniri publice debeat, ut per pacificos mercatores illarum partium piratarum loca strictius arceantur, placet nobis et volumus ut hoc fieri facias et nichilominus ut scripsisti armari facias aliqua vassella in partibus Apulie, tunc videlicet cum videris expedire, que sint ad custodiam partium earumdem, processurus tamen in omnibus prout melius videris nostris utilitatibus provenire; de licteris nostris quas fieri ad novos officiales regni fecisti (*leg.* petisti), ecce tibi duximus destinandas. Tu igitur, etc.

Datum in Civitate Castelle, XXIII januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut ammirato regni Siciliae in omnibus necessariis de proventibus curiae qui sunt per manus ejus, intendere et respondere procuret. In Civitate Castellae, 23 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 57 recto; in edit. Carcan., p. 324.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Cnm de prudentia et fidelitate Nicolini Spinule civis Januensis fidelis nostri plene confisi, enm ob expertam suam industriam et fidei sue meritum regni Sicilie ammiratum duxerimns statuendnm, fidelitati tne mandamus quatenus ad requisitionem ipsius naves, galeas et cetera vassella curie nostre que habes assignes ei cum apparatibus et omnibus necessariis eorumdem pro utilitatibus curie nostre procurandis. Mandamns insuper et firmiter tibi precipimus quatenns de faciendis navibus, galeis et vassellis aliis ac armandis eisdem, de emendis afisis et ceteris necessariis eorumdem, de incidendis lignaminibus et deferendis ad mare, de faciendis quoque, reficiendis et custodiendis darsanis per singnlas regiones, secnndum quod idem viderit expedire, necnon de navibus et vassellis aliis onerandis frumento, victualibus, mercibus et rebus aliis curie nostre, et in earumdem defectn emantur et assignentur sibi per te, ac de tribuenda ei pecunia necessaria pro hys et aliis oportnnis de proventibus curie nostre qni sunt per manus tuas, intendere et respondere sibi procures juxta quod idem expedire viderit et a te de predictis omnibus duxerit requirendum.

Datum in Civitate Castelle, XXIII januarii, XIII indictionis.

Similes scripsit Riccardo de Pnlcaro.

In Civitate Castellae, 23 januarii.

Mandatum ad justitiarium Principatus de cisterna in castro Montisfusculi facienda, de custodia adhibenda ne homines Beneventi exire liceat, quum haec civitas in regno sit petra scandali.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 57 recto; in edit. Carcan., p. 324.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum de Trajecto facte sunt lictere responsales per notarium Roggerium de Salerno :

Fredericns, etc., Thomasio de Montenigro justitiario Principatus, etc. Fidelitatis tue licteras quas nostro culmini destinasti benivolentia recepi-

Digitized by Google

mus consueta et ad ea omnia que eedem tue lictere continebant benivolum prestitimus intellectum, studium, etc. Quod autem scripsisti nobis per eas quod in castro nostro Montisfusculi cisterna est plurimum oportuna, volumus et mandamus ut in ipso castro cisternam sicut expedire videris fieri facias de pecunia curie nostre que est per manus tuas. Significasti insuper nobis quod plures homines exire volunt de Benevento et habitationes eorum transferre ad terras nostras, et petisti super hoc scire nostre beneplacitum voluntatis; ad quod tibi taliter respondemus : quia civitas Beneventana est lapis offensionis et petra scandali regni nostri, nolumus quod ipsius habitatores exeant in hoc a predicta civitate, cum potius sibi et eorum indempnitati videantur consulere quam nostre satisfacere majestati; propter quod volumus quod omnes intus tamdiu squalore famis arescant quousque cogantur per famis asperitatem et aliarum rerum inopiam omnes unanimiter nostris addiscere obedire imperiis et mandatis; ad quod faciendum per arctiorem custodiam te volumus cum omni studio debitam prout negotio expedit diligentiam adhibere, ut tam super hoc quam super omnibus serviciis nostris effectus operum coram nobis te commendabilem representet. Ad hoc scriptum continens nomina officialium jurisdictionis tue quod misisti per nuntium tuum juxta mandatum nostrum, idem tuus nuntius in nostra camera assignavit.

Datum in Civitate Castelle, XXIII januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Vallis Gratis et Terrae Jordanae de baronibus et feudatariis citatis ad arma, de quaternis actorum, feudorum et collectae, de inquisitione facienda super carceratis, de illis qui arma prohibita portaverunt, de pecunia quae fuit imposita baronibus, de venationibus, de nominibus officialium. In Civitate Castellae, 24 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 57 verso; in edit. Carcan., p. 325.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia responsales :

Digitized by Google

Fredericus, etc., Tholomeo justitiario vallis Gratis et terre Jordane, etc. Consueta benignitate recepimus licteras, etc. De baronibus autem et feudatariis jurisdictionis tue quos juxta tenorem mandati nostri exinde tibi missi citasti quod se equis et armis pro nostris servitiis communirent, tuum studium commendamus. Volumus tamen ut distincte nobis significes quot sunt et qui sunt illi qui se ad hoc paraverunt et qualiter sunt muniti, inquiras etiam diligenter facultates et posse cujuslibet et qui sunt qui jussi sunt munire se nec se munierunt, et in quo etiam illi qui paupertatem allegant se possunt munire et potentiam et impotentiam uniuscujusque, et terram quam quilibet tenet, et nobis singula studeas intimare distincte. De quaternis autem actorum, feodorum, collecte generalis et clericorum quos habet Senator de Archis predecessor tuus, fidelis noster, quos propter ipsius absentiam habuisse te non posse scripsisti; ecce quod eidem S. qui de mandato nostro a curia nostra rediit, damus per nostras licteras in mandatis ut eos tibi debeat assignare. De illis vero quos per jurisdictionem tuam carceratos invenisse scripsisti per predictum Senatorem quondam justitiarium, qui se proponunt sine causa rationabili captos esse et offerunt se fidejussoriam cautionem prestare de justitia facienda, volumus ut diligentius inquiras qui sunt illi qui capti sunt et qua de causa capti fuerunt et a quo tempore, et omnia nobis distincte significes. Nos enim cognitis omnibus rescribemus tibi nostre beneplacitum voluntatis. Nam cum obscure super hoc scripseris, certum tibi non potuimus demandare; tam enim super hoc quam super aliis omnibus que nobis aliquando nuntiabis, studium adhibeas quod distincte nobis universa significes et aperte. De illis qui sicut scripsisti contra tenorem sacrarum constitutionum nostrarum arma prohibita non veriti sunt portare, volumus ut contra eos secundum formam earumdem constitutionum nostrarum procedas. Quod autem significasti de pecunia que imposita fuit comitibus, baronibus, militibus et feudatariis jurisdictionis tue pro eorum demaniis quamdam quantitatem esse adhuc colligendam, volumus ut operam in hoc impendas quod pecunia ipsa cito ad manus curie nostre valeat devenire. De facto vero venationum per partes ipsas quas Senator de Archis olim justitiarius fecerat inhiberi, sed ignoras quo modo, propter quod instrui

Digitized by Google

exinde postulasti, mandamus ut in defensis nostris et locis solatiorum nostrorum nullo modo aliquem venari permictas; ita tamen quod ingenia prohibeas universis quod cum eis aliquis non venetur. Recepimus preterea nomina officialium de tempore quo justitiariatus officium exercuisti in Aprutio, que ad mandatum nostrum tam tu quam tuus filius ad curiam nostram misit, et tuum exinde studium commendamus.

Datum in Civitate Castelle, XXIV januarii, XIII indictionis.

Item scripsit Senatori de Archis castellano Messane quod assignet predicto justitiario quaternos actorum, feodorum, collecte generalis et clericorum, retentis secum similibus eorumdem.

Mandatum ad Jordanum Filangerium ut pro officio capitanei moram ulteriorem in partibus Siciliae et Calabriae non faciat, sed ad propria revertatur. In Civitate Castellae, 24 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 57 verso; in edit. Carcan., p. 325.)

Scripsit [*G. de Cusentia*] *de mandato facto per magistrum Taddeum :*

Fredericus, etc., Jordano Filangerio, etc. Licet dudum mandaverimus tibi ut in partes Calabrie et Sicilie te conferres et ibi pro nostris servitiis capitanie officium exerceres, quia tamen venientibus nobis feliciter in partes Tuscie et omnibus nobis pro voto succedentibus, expedire non videmus ad presens ut in partibus ipsis in eodem officio ulterius commoreris, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus pro ipso officio moram ibi ulteriorem non facias, sed ad propria revertaris.

Datum in Civitate Castelle, XXIV januarii, XIII indictionis.

Renovate fuerunt postmodum quia nuntius rediens disrobbatus dixit se licteras ammisisse.

Apud Civitatem Castellae, 24 januarii.

Mandata pro Petro de Calabria statuto super arratiis et marescallis Calabriae, et pro asinis inveniendis qui boni sint ad jumenta cooperienda.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 58 recto; in edit. Carcan., p. 326.)

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentanaria scripsit G. de Tocco:

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Cum P. de Calabria fidelem nostrum super arratiis et marescallis nostris Calabrie provisorem et magistrum duxerimus statuendum, ut eas ad commodum et utilitatem nostram prout melius expedire videbitur faciat procurari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus quecumque fuerint necessaria pro stallonibus custodiendis sine defectu, pro solidis scuteriorum et servientium qui ad custodiam aratiarum et marescallarum nostrarum Calabrie fuerint deputati, ad requisitionem ipsius P. de Calabria sibi respondeas et intendas, ut servitium nostrum studio suo commissum possit sine defectu quolibet percomplere.

Datum apud Civitatem Castelle, XXIV januarii, XIII indictionis.

Item:

Fridericus eidem. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tres asinos grandes et bonos in Sicilia studeas invenire qui boni sint pro jumentis cooperiendis et ipsos facias assignari P. de Calabria fideli nostro quem in aratiis et marestallis nostris Calabrie duximus statuendum, ut ipsos asinos pro cooperiendis jumentis nostris sicut expedire viderit faciat custodiri.

Datum [*ut supra*].

Item:

Fridericus, etc., P. Roggerio monacho Florensis monasterii, etc. Cum P. de Calabria fidelem nostrum super aratiis et marescallis nostris Calabrie

magistrum et provisorem duxerimus statuendum, ut eas ad commodum et utilitatem curie nostre prout melius expedire videbitur faciat procurari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de jumentis nostris que sunt in curia (*a*) tua eidem P. respondeas et intendas.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad justitiarium Calabriae ut Petro de Catania injungat quod se in Tusciam conferat cum Pandulfo de Fasanella moraturum.

Apud Civitatem Castellae, 24 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 58 recto; in edit. Carcan., p. 326.)

De mandato facto per magistrum T. scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., G. de Montefusculo justitiario Calabrie, etc. Cum fides et bonitas Petri de Cathania quondam judicis Regii relatione nostrorum fidelium ad notitiam nostram devenerint et velimus eum in nostris servitiis permanere, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris expressim injungas sibi ex parte culminis nostri ut sine mora in Tusciam se conferat moraturum in servitio nostro cum P. de Fasanella capitaneo nostro in Tuscia, fideli nostro, cui precepimus ut sibi in necessariis debeat providere.

Datum apud Civitatem Castelle, XXIV januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut equitaturas et expensas necessarias Alberto de Nuceria exhibeat, quem Riccardus Filangerius marescallus a partibus transmarinis ad praesentiam principis misit.

Apud Civitatem Castellae, 25 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 58 recto; in edit. Carcan., p. 326.)

(*a*) Forsitan *in cura*.

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit notarius Roggerius de Salerno :

« Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Intelleximus quod Riccar-» dus Filangerius marescallus et fidelis noster miserit nuper a partibus » transmarinis Albertum de Nuceria pro servitiis nostris, quem cum veli-» mus quod ad presentiam nostram cito se conferat cum rumoribus illa-» rum partium, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus statim quod » idem Albertus ad te veniat, exhibeas ei equitaturas et expensas neces-» sarias usque ad presentiam nostram; et si portat res aliquas quas desti-» navit ad presentiam nostram, ipsa etiam facias tu portari, cavens ne » pro negligentia vel desidia tui moram trahat aliquam in veniendo. Tu » vero quotiens nuncii aliqui de extraneis partibus ad presentiam nostram » se conferentes habuerint per te transitum, equitaturas similiter et ne-» cessarias expensas exhibeas usque ad presentiam nostram.

» Datum apud Civitatem Castelle, XXV januarii, XIII indictionis.

» Item de superiori mandato scripsit idem notarius ad Albertum de » Nuceria quod veniat et recipiat equitaturas et expensas necessarias » a Riccardo de Pulcaro *usque ad presentiam nostram.* »

Cassate sunt quoniam prius venit ad curiam dictus Albertus quam mitterentur lictere ipse pro eo.

Apud Civitatem Castellae, 23 et 26 januarii.

Litterae patentes et mandatum quod Paulus, Andreas et Petrus de Carnali mercatores Romani de unciis auri centum sexaginta octo et dimidia quas in camera mutuaverunt, ab hinc ad tres menses quietentur.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 58 verso; in edit. Carcan., p. 326, 327.)

Die jovis XXVI date sunt ad sigillum lictere infrascripte de mutuo Romanorum que facte fuerunt preterito die lune XXIII hujus mensis jannarii et scripte per manus notarii P. de Capua de mandato imperiali facto per magistrum Albertum :

Digitized by Google

Fredericus, etc. Notum facimus universis quod Paulus de Carnali, Andreas de Carnali et Petrus de Carnali mercatores Romani fideles nostri mutuaverunt nobis et assignaverunt in camera nostra de Venetianis grossis libras quadraginta tres solidos octo et dimidium pro unciis auri centum sexaginta octo et dimidia ad generale pondus regni, ad rationem de solidis quinque minus denario uno pro uncia; de quibus unciis promisimus et convenimus eis, posito sibi fidejussore T. de Aquino comite Acerrarum fideli nostro, ut Marinus de Valle, Angelus de Marra et judex Heufrano de Porta, custodes erarii nostri Salvatoris ad mare, pro parte curie nostre de pecunia erarii nostri que est per manus eorum, predictos mercatores vel alterum eorum sive certum nuntium vel procuratorem ipsorum hinc ad tres menses completos ab hodierno die lune vicesimo tertio presentis mensis januarii hujus XIII indictionis in antea numerandos, sine difficultate, defectu et majoris more dispendio debeant quietare. Si vero quod omnino nolumus, aliquo casu predicte solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretur de singulis centum unciis, tres uncias auri ad generale pondus regni per mensem predicti custodes erarii de eadem pecunia curie nostre eis solvere teneantur et debent pro dampnis et interesse, et nichilominus integre et cum omni celeritate solvere uncias supradictas. Ad hujus rei memoriam et predictorum mercatorum cautelam, presentes licteras fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum apud Civitatem Castelle, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo nono, die vicesimo tertio januarii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit notarius Gualterius de Cusentia :

Fredericus, etc., custodibus erarii nostri Salvatoris ad mare. *In eadem forma per omnia usque ad* uncias supradictas. *Sequitur deinde :* Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus adveniente termino supradicto, jamdictas centum sexaginta octo uncias et dimidiam ad dictum pondus regni mercatoribus ipsis vel alteri eorum seu certo nuntio vel procuratori ipsorum de pecunia erarii nostri que est per manus vestras pro parte curie nostre sine majoris more dispendio persolvatis; et si forte

Apud Civitatem Castellae, 26 januarii.

Digitized by Google

ut predictum est, aliquo casu ipsius solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu ipsa solutio differretur de singulis centum unciis tres uncias auri ad generale pondus per mensem pro dampnis et interesse de eadem pecunia erarii nostri solvatis eisdem, provisuri tamen ut predicto termino quietentur ne per moram curia nostra dispendium usurarum incurrat. Vos autem soluta ipsa pecunia patentes licteras nostras quas eis de ipso mutuo fieri fecimus, recipiatis ab eis, facturi inde aliud scriptum competens de solutione ipsa ad curie nostre cautelam, et si vos omnes presentes non eritis, nichilominus quicumque vestrum presens fuerit nostrum beneplacitum exequatur.

Datum apud Civitatem Castelle, XXVI januarii, XIII indictionis.

Apud Civitatem Castellae, 26 januarii.

Mandatum ad justitiarium Capitanatae ut castrum Sancti Juliani recipiat ad opus curiae procurandum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 58 verso; in edit. Carcan., p. 327.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum scripsit Johannes Idronti in hunc modum :

Fredericus, etc. Riccardo de Montefuscolo justitiario Capitinate, etc. Quia castrum Sancti Juliani quod sicut intelleximus ad nostram curiam spectat, detinetur in nostrum prejudicium occupatum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus castrum ipsum recipias et ad opus curie nostre facias procurari.

Datum apud Civitatem Castelle, XXVI januarii, XIII indictionis.

Que lictere assignate sunt portande et procurande.

Agubii, 29 januarii.

Mandata varia de domibus principis cum diligentia praeparandis, de astraco faciendo pro castro Sanctae Mariae de Monte,

Digitized by Google

de novo custode ad custodiam defensae Tarenti statuendo, de falconibus curiae, de necessariis curiae imperatricis ministrandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 59; in edit. Carcan., p. 327, 328.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Montefusculo justitiario Capitinate, etc. Mandamus fidelitati tue quatenus sine mora omnes domos nostras que sunt in justitiariatu tuo facias cum diligentia et celeritate debita preparari, faciens fieri in singulis apparatum de gallinis, anseribus et anatibus, sicut per alias licteras nostras tibi dedimus in mandatis, ita studiose facturus, etc.

Datum Agubii, XXVIIII januarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato facto per eumdem scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., R. de Montefusculo, etc. Cum pro castro quod apud Sanctam Mariam de Monte fieri volumus, per te licet de tua jurisdictione non sit, instanter fieri velimus actractum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus actractum ipsum in calce, lapidibus et omnibus aliis oportunis fieri facias sine mora, significaturus nobis frequenter quid inde duxeris faciendum; tale in hoc studium habiturus ut sicut hoc specialiter sollicitudini tue commitimus, sic, etc.

Datum [*ut supra*].

Item scripsit P. de Capua de eodem mandato :

Fredericus, etc., A. de Aquaviva justitiario terre Idronti, etc. Intellexit nuper serenitas nostra quod custos defense nostre Tarenti propter senectutem inutilis est ad custodiam defense predicte. Cum igitur velimus quod tam defensa ipsa quam omnes defense nostre jurisdictionis tue juxta ordinationem nostram bene debeant custodiri, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si custos predicte defense Tarenti adeo senex est quod ad custodiam ipsius inutilis videatur, tu alium virum bonum et fidelem ad custodiam ipsius defense substituas loco sui; ceteras defensas nostras in jurisdictione tua taliter facias custodiri ut studium tuum, etc.

Datum Agubii, XXVIIII januarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit G. de Cusentia :

Digitized by Google

Fredericus, etc., magistro Enzio falconerio, etc. Quia intelleximus te graviter infirmari, quod nostre displicet majestati, propter quod tue convalescentie providentes mictimus R. de Morra vallectum et fidelem nostrum ut falcones nostros qui sunt in tui custodia debeat affaitare et aliquos quos mictendos viderit ad nostram presentiam destinare, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus id quod idem R. de falconibus ipsis tibi dixerit, credere debeas et complere; tu autem saluti tue intendas ut cito valeas confortari.

Datum Agubii, XXVIIII jannarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Sardo falconerio, etc. Noveris quod licet tu absens sis, nos frequenter capimus pingues gruas de quibus fructum tuum videlicet de c.......ribus facimus preservari. Ideoque fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris ad presentiam nostram venias sine mora.

Datum [*ut supra*].

Fol. 59 verso. | *De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Tocco patentes literas in hac forma :*

Fredericus, etc., universis officialibus regni Sicilie, etc. Cum karissimam consortem nostram Romanorum imperatricem semper augustam, Ierusalem et Sicilie reginam, transmictamus in regnum (1), fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Jacobi de Amato fidelis nostri omnia necessaria pro curia sua sine difficultate et defectu ministrare curetis, recepturi de omnibus que dederitis apodixam.

Datum Agubii, XXVIIII januarii, XIII indictionis.

Gualdi, 30 januarii. Litterae patentes et mandatum ut Bartolus Afforza et Mathaeus Brunus mercatores Senenses de unciis auri nongentis viginti quin-

(1) Legimus enim apud Riccardum de Sancto Germano ad mensem februarium : « Imperatrix cum Berardo archiepiscopo Panormitano redit in regnum. »

Digitized by Google

que quas Henrico regi Turrium et Gallurae mutuaverunt, in proximis kalendis aprilis per Alexandrum filium Henrici quietentur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 60 recto; in edit. Carcan., p. 328.)

Mandante domino imperatore per notarium Riccardum de Trajecto scripsit Rogerius de Salerno patentes licteras :

Fredericus, etc. Notum facimus universis quod Bartolus Afforza mercator Senensis et Mattheus Brunus socius ejus, fideles nostri, mutuaverunt et assignaverunt Henrico illustri regi Turrium et Gallure et totius Italie sacri imperii legato dilecto filio nostro existenti in marchia Anconitana pro servitiis nostris, de Venetianis grossis, sterllingis, miliarisis, Turonensibus et aliis monetis argenteis computatis per Venetianos grossos de Venetianis grossis in numero libras ducentas triginta unam et solidos quinque pro unciis nongentis viginti quinque ad generale pondus regni, ad rationem videlicet de solidis quinque Venetianorum grossorum per unciam, de quibus unciis promisimus et convenimus ei quod Alexander, filius Henrici, de pecunia curie nostre que est per manus suas, in kalendis aprilis proximo venturi hujus terciedecime indictionis predictos mercatores vel alterum eorum sive certum nuncium vel procuratorem eorum in Apulia pro parte curie integre debeat quietare. Si vero quod omnino nolumus, predicte solutionis terminus aliquo casu pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretur, de singulis centum unciis tres uncias auri ad generale pondus regni per mensem predictus Alexander filius Henrici de eadem pecunia curie nostre pro dampnis et interesse solvere tenetur et debet, et nichilominus integre et cum omni celeritate solvere uncias supradictas. Ad cujus rei memoriam, etc.

Datum Gualdi, [anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo nono], tricesimo die januarii, XIII indictionis.

Item per eumdem notarium de superiori mandato scriptum est :

Fridericus, etc., Alexandro, filio Henrici, etc. *In eadem forma per omnia usque ad* uncias supradictas. *Sequitur de eisdem licteris* : Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus adveniente termino supradicto predictas nongentas viginti quinque uncias auri ad dictum pondus mercatoribus

Digitized by Google

ipsis vel alteri eorum seu certo nuncio vel procuratori ipsorum de pecunia curie que est per manus tuas, pro parte curie nostre sine dispendio majoris more persolvas; et si forte ut predictum est aliquo casu ipsius solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio ipsa differretur, de singulis centum unciis tres uncias ad generale pondus per mensem pro dampnis et interesse de eadem pecunia curie nostre persolvas eisdem, provisurus tamen ut predicto termino quietentur ne per moram curia nostra dispendium usurarum incurrat. Tu autem soluta ipsa pecunia patentes licteras nostras quas eis de ipso mutuo fieri fecimus, recipias ab eisdem, facturus aliud scriptum competens de solutione ipsa ad curie nostre cautelam.

Datum Gualdi, XXX januarii, XIII indictionis.

Que lictere (1) misse sunt per Muscatum scuterium marescalle ad regem, pro eo quod pecunia nondum eidem Roggerio (*lege* regi) fuerat assignata, ut idem rex recepta pecunia a mercatoribus easdem licteras assignaret eisdem.

Gualdi, 30 januarii.

Mandatum ad justitiarium Principatus pro recipiendo balio terrae et filiorum quondam Johannis de Hossen, quod hactenus Aroasa uxor ejus per curiam procuravit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 60 verso; in edit. Carcan., p. 329.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., T. de Montenigro justitiario Principatus, etc. Licet consideratis gratis servitiis et fidei meritis quondam Johannis de Hossen fidelis nostri, dudum Aroase uxori ejus balium filiorum et terre sue de speciali gratia nostra duxerimus immictendum et procurandum per eam

(1) Scilicet litterae patentes quae supra.

Digitized by Google

donec nostre majestati placeret, quia tamen nuper veridica assertione audivimus quod dicta Aroasa sororum ac feminarum et aliarum religiosarum vitam et religionem sectatur, ac bona omnia et proventus terre predicte que ad opus pupillorum ipsorum conservari deberent, in eorum detrimentum cum religiosis consumit, volentes sicut tenemur eorumdem pupillorum curam gerere et habere, balium ipsorum et terre ad manus nostre curie duximus revocandum; fidelitati tue mandamus quatenus receptis hys licteris balium pupillorum et terre predictorum ad opus curie nostre recipias et diligenter facias procurari. De proventibus vero ejusdem terre omnia necessaria pupillis ipsis facias ministrari juxta quod ipsis videris expedire, rescripturus nobis per litteras tuas distincte annuum valorem proventuum terre cujus balium hactenus ipsa Aroasa per nostram curiam procuravit et a quo tempore balium ipsum exercuit, ut inde certi indempnitati pupillorum ipsorum providere possimus.

Datum Gualdi, XXX januarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum filium Henrici pro dandis expensis Rogerio de Morra pro se, scuteriis et falconibus. Gualdi, 30 januarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 60 verso; in edit. Carcan., p. 329.)

De mandato imperiali scripsit Johannes de Idronto :

Fredericus, etc., Alexandro, filio Henrici, etc. Quia Rogerium de Morra vallectum nostrum pro affaitandis falconibus nostris peregrinis in regnum duximus destinandum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus a kalendis martii proximo futuri in antea donec moram ibi traxerit in eodem servitio nostro, expensas pro se, duobus scuteriis et tribus equis suis, pro Jordano Sarraceno et uno equo nec non et pro falconibus nostris quos ipsum tibi habere constiterit, juxta assisiam curie de pecunia curie nostre que est per manus tuas debeas exhibere, recepturus, etc.

Datum Gualdi, XXX januarii, XIII indictionis.

Fulinii, 1° februarii.

Mandatum ad castellanum Introduci pro Oddone de Palumbara.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 recto; in edit. Carcan., p. 329.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., castellano Introduci, etc. Cum Oddoni de Palumbar. fideli nostro quedam servitia nostra commiserimus exequenda, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ei pro nostris servitiis exequendis ubi te duxerit requirendum, tribuere debeas auxilium oportunum, ut tuam in hoc diligentiam commendemus.

Datum Fulinii, I februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit Henrico de Senis.

Fuligni, 1° februarii.

Mandata ad justitiarios regni ut omnes Spoletanos quos invenerint detineri et custodiri faciant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 recto; in edit. Carcan., p. 329.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Gualterius de Cusentia :

Fredericus, etc., Boamundo Pissono justitiario Aprutii, etc. Quia civitas Spoleti spiritu rebellionis assumpto nostris beneplacitis se opponit, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris omnes Spoletanos quos per jurisdictionem tuam poteris invenire, in personis et rebus debeas detinere, faciens eos cum diligentia custodiri, ad quos inveniendos omne studium adhibeas et cautelam.

Datum Fuligni, I februarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit Johannes Idrunti similes per omnia licteras hys subscriptis justitiariis :

Digitized by Google

Landulfo de Franco justitiario terre Bari.

Item Riccardo de Montefusculo justitiario honoris montis Sancti Angeli et Capitinate.

Item Thomasio, filio Osmundi, justitiario Basilicate.

Item Andree de Aquaviva justitiario terre Idronti.

Item Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et terre Beneventane.

Item Goffrido de Montefusculo justitiario Calabrie.

Item Tholomeo de Castillione justitiario vallis Gratis et terre Jordane.

Item Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii.

Item Roggerio de Amicis justitiario in Sicilia ultra flumen Salsum.

Item Guillelmo de Anglone justitiario in Sicilia citra flumen Salsum.

Mandatum ad Rogerium de Morra pro falconibus ad curiam deferendis.

Fuligni, 1° februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 recto; in edit. Carcan., p. 330.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Morra, etc. Post discessum tuum a presentia nostra intelleximus magistrum Encium falconerium et fidelem nostrum convaluisse ab infirmitate sua; propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si ipsum inveneris convaluisse, sicut audivimus, tu tres tantum falcones et turziolum deferens, licet tibi de octo falconibus et turziolo mandatum fecerimus, redeas ad curiam nostram. Si vero ipsum infirmitate gravatum inveneris, ipsos tres tantum falcones et turziolum mictas ad nos, et tu pro affaytandis falconibus nostris moreris juxta mandatum nostrum.

Datum Fuligni, I februarii, XIII indictionis.

Item magistro Hencio ut si ita est quod convaluerit, mictat per eumdem R. de Morra tres solummodo falcones et turziolum, et ipse in avibus domini curam habeat more solito diligentem.

Datum [*ut supra*].

Fulginei, die mercurii I° februarii.

Litterae responsales ad Stephanum de Romoaldo de dandis stipendiis militibus ituris in Campaniam cum P. de Aquino, de dandis expensis officialibus, equis et mulis curiae, falconeriis et nunciis venientibus ad curiam, de habendo uno notario, de danda pecunia pro munitione castrorum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 verso; in edit. Carcan., p. 330.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Sugio scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales :

Fredericus, etc., Stephano de Romoaldo recollectori pecunie per Terram Laboris et Principatus, etc. Solita benignitate recepimus licteras quas tua nobis devotio destinavit, et earum tenore plenius intellecto favorabiliter commendamus studium et sollicitudinem tuam quam in exequendis servitiis nostris tibi commissis te sollicite gerere novimus et habere. Super eo autem quod a nobis certum fieri postulasti super dandis stipendiis militibus ituris in Campaniam cum P. de Aquino, sicut A. de Marra receperat per nostras licteras in mandatis, sic duximus respondendum ut juxta ipsius mandati tenorem stipendia ipsa solvas si per eumdem Angelum non fuerint integre persoluta. Volumus etiam quod statutas expensas pro equis et mulis nostris quos Obbertus Fallamonachus secretus Panormi de Sicilia misit ad partes ipsas, facias exhiberi. De dandis vero expensis officialibus sic mandamus ut illis officialibus expensas tribuas qui mandatum nostrum super hoc tibi deferent speciale. De dandis insuper expensis et conducendis navigiis pro falconeriis nostris et nuntiis venientibus ad nos usque Pisas, volumus ut cum tempus fuerit et casus acciderit

id diligenter facias; ad presens tamen non expedit cum iu illis partibus non moremur. De habeudis autem duobus notariis, nt lictere contiuebaut, nequaquam vidimus expedire, sed cnm satis unus sufficiat nt nulla sit tibi occasio, volumus quod unnm notarium retineas sub expensis nostris pro se et nno eqno juxta assisam curie, et pro salario suo des ei de pecunia curie nostre que est per manus tuas octo uncias auri ad idem pondus. Volumus etiam quod pro munitioue castrorum uostrorum ipsarum partium ad requisitionem G. de Laurentio de Suessa provisoris eorum solvas pecuniam oportunam; tu attameu circa recollectionem pecunie curie nostre debite sollicitus et actentus existas ut devotiouem tuam, etc.

Datum Fulgiuei, I februarii, XIII indictiouis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de revocandis duobus casalibus et quodam feodo quondam Johannis de Ademaro, quae in praejudicium curiae tenet judex Bernardus de Avellino. Fulginei, 1° februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 verso; in edit. Carcan., p. 331.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit notarius R. de Salerno:

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Ad audientiam nostram nuper pervenit quod judex Bernardus de Avelliuo quoddam casale quod dicitur aliunde Nucelletum, quoddam quod dicitur Bannirosule et quoddam feodum quod fuisse quondam dicitur Johaunis de Ademaro, que omnia ad demauium nostrum pertinere dicuutur, detinet in uostre curie prejudicium et non modicam lesionem, ac cum inveutum fuisse dicatur per inquisitionem dudum factam per judicem Peregrinum de Caserta, olim revocatorem ipsarum partium, predicta omnia ad nostrum demanium pertinere, per incuriam procuratorum demanii uostri peues eumdem judicem B. ipsa omuia remanserunt. Verum quia pati nolumus jura nostra ab aliquo detineri, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquiras

Digitized by Google

super premissis diligentius veritatem, et si inveneris predicta omnia ad nostrum demanium rationabiliter pertinere sive per inquisitionem quam feceris per homines fide dignos regionis ipsius, sive per inquisitionem dudum factam per predictum judicem Peregrinum, ea omnia ad demanium nostrum revoces et diligenter ad opus nostre curie facias procurari, non obstantibus licteris nostris si quas super hoc dictus judex B. contra jus curie nostre a celsitudine nostra veritate tacita impetravit.

Datum Fulginei, I februarii, XIII indictionis.

Fulginei, 2 februarii. Mandatum ad justitiarium Aprutii ut causam audiat inter Gualterium de Mazaria et Blancam relictam Matthaei de Ebulo et finaliter procedere studeat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 81 verso; in edit. Carcan., p. 331.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Querelam Gualterii de Mazaria de castro Sangri fidelis nostri recepimus continentem quod Blanca relicta Matthei de Ebulo destituit eum injuste et auctoritate propria quibusdam hominibus suis quos in castro Alfidene et pertinentiis ejus rationabiliter possidebat, spreta defensa quam dictus G. sibi imposuit pro parte nostra sub pena centum unciarum auri. Quare mandamus quatenus partibus convocatis causam audias et tam de ea quam de pena imposita finaliter procedere studeas, sicut postulat ordo juris.

Datum Fulginei, II februarii, XIII indictionis.

Lator Mattheus de Suessa nuncius magistri Henrici de Suessa et idem imp[eratoris.]

Digitized by Google

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut emat unum asinum pro servitiis castri Roccae Pimontis oportunum. Fulginei, 2 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 61 verso; in edit. Carcan., p. 331.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum scripsit Johannes Idronti :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Exposuit excellentie nostre magister Rogerius de Salerno notarius, etc., quod in castro Rocce Pimontis quod ad honorem et fidelitatem nostram custodit, est asinus unus necessarius ad opus ipsius castri, eo quod alius sumerius pro ipsius castri serviciis deputatus defecit. Quare mandamus, etc., quatenus si tibi constiterit dictum sumerium defecisse, alium ad opus ipsius castri emas de pecunia curie nostre que est per manus tuas, et ab eo cui ipsum assignaveris recipias apodixam.

Datum Fulginei, II februarii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, archiepiscopo Messanae respondet se verbis pacis inter se et Romanum pontificem minime obaudire velle, injurias quas a papa fuerit passus memorans, nuntiatque se in firmo habere proposito quod ducatus, marchia et aliae terrae a longo tempore imperio subtractae in manus suas revocentur. Fulginei, 2 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 62 recto; in edit. Carcan., p. 331.)

De mandato imperiali scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales :

Fredericus, etc., archiepiscopo Messane, etc. Licet de devotionis et fidei quam erga celsitudinem nostram geris zelo processerit ut per nun-

tium tuum ad nos transmissum pacem persuaseris inter nos et domnum Romanum pontificem reformandam, si tamen recte premeditasses auctorem scandali et ipsum suscitasse odii fomitem, actendisses nequaquam per te qui causam noveras hys diebus ad nos sermo talis pervenisset, cum nullam in nobis culpe notam, nullam a nobis invenisses ipsius discordie materiam processisse, quamquam ipse rector improvidus et pastor inutilis gregis Dei multis et multotiens injuriis et gravaminibus gratis innocentiam nostram leserit manifeste. An forte oblitus es quod nobis existentibus in servitio Jeshu Christi ad quod ipse causam impedimenti prebuerat publice, non favoris, dum ibidem vite nostre periculum subdole moliretur et niteretur omnino nostrum reditum impedire, fines concesse sibi desuper auctoritatis excedens, invasit hostiliter regnum nostrum et exercens contra nos sui robur exercitus, ab ejus occupatione noluit manus avidas retinere? Fuitne istud, pace contempta, justitia pretermissa, turbato divini cultus ordine, diligere scandalum, discordiam excitare? Cum autem grave tulerit Dominus et indignum quod a sanctuario suo vel a Petri sede fuisset nostri juris invasor egressus, contra opinionem et votum illius ad propria nos reduxit. Ipso nobis previo, sine alicujus injuria fugato ejusdem invasoris exercitu, regni nostri tantummodo recuperavimus occupata, et cum possemus tunc totam terram ipsius vel majorem partem dominio nostro sine alicujus obstaculo subjugare, patienter potius illatam injuriam sustinentes ut vinceremus in bono malum, nequaquam extra fines regni porreximus pedes nostros, sed ex toto desiderantes unire nobis Ecclesiam et nos ei, ledenti lesus applaudens, preterite quasi lesionis obliti, te et alios fideles nostros plures et pluries speciales super hoc nuntios misimus ad eumdem, sue nos exponentes arbitrio voluntatis. Fuit hoc videas velle nos pacem querere et discordiam evitare, et ad ultimum postmodum pace data, dum crederemus eam nobis, multis et gratis obsequiis presentialiter et potenter eidem a nobis impensis, ut nosti, in perpetuum et inviolabiliter conservari, dum aliud idem in corde gesserit quam ore promiserit pacem dando, sepe sepius in observatione pacis turpiter vacillavit quamquam nobis grata prepediens et ingrata sollicite procurando. Nobis deinde proficiscentibus in Alema-

niam ut statnm reformaremus imperii, visitantibus postmodum partes Italie ut scissnras repararemus ejusdem, ab ipso sicnt a patre filius contra Mediolanenses et alios rebelles imperii snbsidinm prestolantes, frustrati spe nostra, proh dolor! manifeste se nobis ipse contrarinm posuit qnem speravimns adjntorem. Hoc antem totum equanimiter tolerantes, optenta contra votnm illius victoria, sicut Domino placuit, eorumdem, hnmilitatis exinde spiritum assumentes et optantes ipsnm nobis benivolum exhibere, te et alios sollempnes nnncios pluries ad ejns presentiam misimns, per eosdem sibi servitiorum gratitndinem et reverentiam offerentes ac devote nos in omnibns exponentes sue beneplacito volnntatis; sed quid inde boni consecuti fuerimus ab eodem notum est omnibus usque ad terminos orbis terre, cnm adversus nos durins sevierit fnror ejns et concepte jacula pravitatis injuriosins emiserit in filinm innocentem. Cum autem non fuerit in sede Petri qni patientie nostre longanimitatem et innocentie causam attenderet, qui servitiorum nostrornm et munerum memor existeret, ut sicut expectabamus assidue se gratum nobis et benivolnm exhiberet, sed semper expectatio nostra sinistrum nobis eventum tulerit ab eodem, viam alteram eligentes proposnimns in mann forti procedere; cnm apud ipsum nobis humilitas nil prodesset, disposnimus firmiter irrevocabili proposito mentis nostre ducatnm et marchiam et terras alias que longo tempore imperio subducte fuerant et subtracte, ad manus nostras et imperii revocare, et deinde sic Dei nntu disponimus vicinari ut domnm tuam (a) de Anagnia possimus cominus intueri, et tnnc si de aliqno nos requisieris, respondebimns tibi prout decebit celsitudinem nostram et honori nostro videbimns expedire.

Datum Fulginei, II februarii, XIII indictionis.

Litterae patentes et mandata super diversis mutuis de quibus mercatores quidam ibidem nominati per custodes aerarii Sancti Fulgni, 2 februarii.

(a) Sic; forsitan *suam*, scilicet domum papae.

Salvatoris ad mare in kalendis maii proximo venturi quietari debeant, tres uncias de singulis centum ad mensem si solutio differatur, recepturi.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 62 verso; in edit. Carcan., p. 332.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit P. de Capua licteras patentes in hac forma :

Fredericus, etc. Notum facimus nniversis qnod Petrns Leonis, Nicolaus Petri Leonis, filins ejus, et Johannes frater, mercatores Romani, fideles nostri, mutuaverunt nobis et assignaverunt in camera nostra de Venetianis grossis libras septuaginta quatnor, solidos dnos et medium pro unciis auri ducentnm (*sic*) nonaginta sex et media ad generale pondns regni, ad rationem de solidis quinque pro uncia; de quibus unciis promisimus et convenimns eis ut Angelus de Marra et judex Eufrano de Porta cnstodes erarii nostri Salvatoris ad mare, fideles nostri, de pecunia ejnsdem erarii nostri qne est per manus eorum predictos mercatores vel certnm nuntinm vel procuratorem suum in kalendis madii proximo venturi hujus XIII indictionis debeant pro parte curie nostre sine difficultate, defectu et majoris more dispendio quietare. Si vero, quod omnino nolumus, aliquo accidente casn predictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretnr de singulis centnm unciis tres uncias auri ad generale pondus regni per mensem de predicta pecunia erarii nostri pro dampnis et interesse eis solvere teneantur et debent, et nichilominns integre et cum omni celeritate solvere uncias supradictas. Ad cujus, etc.

Datnm Fnligni, tertio februarii, XIII indictionis.

Item scripsit litteras clansas pro eisdem similes per omnia usque ad verbum illud *supradictas :*

Fredericns, etc., A. de Marra et E. de Porta, etc., ut supra. *Deinde sequitur :* Quocirca fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus adveniente termino supradicto predictas ducentas uncias nonaginta sex et mediam ad predictum pondus predictis mercatoribus seu certo nuntio vel procuratori eorum de pecunia erarii nostri que est per manus vestras pro parte curie nostre sine defectu et majoris more dispendio persolvatis; et si forte

Digitized by Google

ut predictum est aliquo accidente casu, predictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu ipsa solutio differretur, de singulis centum unciis tres uncias auri ad generale pondus per mensem pro dampnis et interesse de eadem pecunia erarii nostri solvatis eisdem; provisuri tamen ut predicto termino quietentur, ne per moram curia nostra dispendium usurarum incurrat. Vos autem soluta ipsa pecunia patentes licteras nostras quas eis de ipso mutuo fieri fecimus, recipiatis ab eis, facturi aliud competens scriptum de solutione ipsa ad curie nostre cautelam. Si vero ambo presentes non eritis, presens mandatum nostrum alter vestrum quem invenerit exequatur.

Datum [*ut supra*].

Similes tam apertas quam clausas scripsit Angelus de Capua pro Mattheo Stancione de libris de Venetianis grossis centum septem solidis duobus et medio pro unciis auri quadringentis viginti octo et media ad generale pondus.

Similes tam apertas quam clausas scripsit idem A. pro Mattheo Angelerii et Petro Angelerii fratribus pro libris Venetianorum grossorum sexaginta novem et solidis quindecim pro unciis auri ducentum septuaginta novem ad generale pondus.

Mandata ad Angelum de Marra ut rationem faciat cum Gilio Tynioso et aliis mercatoribus Romanis de interesse et dampnis quae ratione mutui facti iidem habere debeant. Fuligni, 3 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 63 recto; in edit. Carcan., p. 333.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Gilius Tyniosus mercator Romanus, fidelis noster, ad curiam nostram accedens majestati nostre humiliter supplicavit quod cum dudum de mandato venerabilium archiepiscopi Capuani et episcopi Ravellensis, dilectorum familiarium et fidelium nostrorum, restitueremus ei pecuniam quam nostre camere mutuarat et

Digitized by Google

de tempore elapso ultra prefixum sibi terminum nichil pro interesse et dampnis sibi fuerit persolutum, ut dicit, sibi exinde satisfieri mandaremus. Nos igitur predictum fidelem nostrnm nolentes suo jure fraudari, fidelitati tne precipiendo mandamus quatenus si est ita, de quantitate elapsi temporis et de eo quod contingit ipsum habere debere pro interesse et dampnis ratione mutui supradicti, diligentem et fidelem cum eo facias rationem et eam plene et fideliter facta[m] sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas.

Datum Fuligni, III februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit idem de eodem mandato ad eumdem Angelum pro Mattheo Stancione Romano.

Similes facte sunt pro Celdrigario Russo et socii[s] ad eumdem Angelum, XI februarii apud Coccoionem (1).

Fuligni, 3 februarii.

Mandatum ad justitiarium Aprutii super querela contra Gualterium de Collepetro et alios principi porrecta, et super defensis contemptis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 63 recto; in edit. Carcan., p. 333.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Petitionem Petri Johannis Rogerii de Rocca Preturi fidelis nostri latoris presentium contra Gnalterium de Collepetro, Johannem Petri Martini et quosdam alios de eadem Rocca majestati nostre porrecta[m] tibi mictimus presentibus interclusam. Fidelitati tue precipiendo mandamns quatenns quod justum et rationabile fuerit exinde fieri facias. Snper defensis vero impositis et contemptis sic justitia previa studiose procedas, commodo curie nostre aliquatenus non ommisso, ut, etc.

Datum Fuligni, III februarii, XIII indictionis.

---

(1) Ad hunc vero locum in regesto transumptae litterae non inveniuntur.

Digitized by Google

Mandatum ad universos per justitiariatum Aprutii constitutos ut Criscio Amalfitano de Capua magistro camerario et procuratori demaniorum curiae per eumdem justitiariatum statuto de caetero respondeant et intendant. Sequitur tenor capitulorum eidem Criscio commissorum. Fulinii, 4 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 63 verso; in edit. Carcan., p. 333.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., prelatis ecclesiarum, communitatibus, baronibus et universis per justitiariatum Aprutii constitutis, etc. Notum facimus fidelitati vestre quod nos de prudentia et legalitate Criscii Amalfitani de Capua fidelis nostri confisi, statuimus ipsum procuratorem demaniorum, morticiorum et excadentiarum curie nostre per totum justitiariatum Aprutii, ut ea que revocanda sunt ad opus curie nostre faciat cum aliis que sunt de demanio, morticiis et excadentiis curie nostre fideliter procurari et revocet ea que invenerit revocanda, cui plenam dedimus potestatem ut demania, morticia et excadentias et omnia que revocata sunt vel revocabuntur per eum ad commodum et incrementum curie nostre locare possit nichilominus et rehedificari faciat, prout melius viderit expedire; ita quod in utilitatem curie nostre magis ipsa proficiant et proventus ipsorum exigat et recolligat ad opus nostre curie conservandos. Commisimus etiam eidem Criscio (a) ut omnia nova statuta et quedam capitula sigillo nostre celsitudinis roborata ab omnibus, sicut inventum est per curiam nostram, faciat firmiter observari et ut transgressores seu contumaces puniat sicut viderit expedire. Mandamus igitur et districte precipimus universis quatenus eidem C. fideli nostro intendatis et respondeatis de cetero tanquam magistro camerario et procuratori a nostra celsitudine constituto novorum

(a) In impresso *curie*, male.

Digitized by Google

statutorum nostrorum et aliorum que sue industrie sunt commissa ad honorem et fidelitatem nostram et commodum curie nostre.

Datum Fuligni, IV februarii, XIII indictionis.

Capitula scripta per eumdem P. de eodem mandato:

Hec sunt capitula commissa Criscio Amalfitano civi Capue. In primis quod specialem curam habeat de sale, ferro, aczaro et ere, et ut omnia nova statuta servari faciat et inviolata teneri per totum justitiariatum Aprutii tam in duana, fundicis, tinctoriis, boczariis, quam in omnibus aliis que pertinent ad nova statuta; proventus qui ex eis proveniunt ad opus curie nostre recipiet et receptis ad imperialem curiam destinabit, et hec omnia diligentissime procurabit sive ad cabellam dando sive locando ad credentiam [et] ordinando sicut melius pro curia imperiali prospexerit, et ea que revocata ad demanium curie imperialis invenerit, excadentias, morticia ad opus curie nostre faciat procurari sive commictendo ea personis fidelibus sive ad cabellam dando sive locando, prout melius ad utilitatem curie viderit expedire. Dabit etiam studium et operam diligentem ad facienda omnia que ad demanium curie pertinent et id ipsum faciet de excadentiis et morticiis et omnia sicut predictum est diligenter faciet procurari. Proventus vero novorum statutorum necnon et demaniorum, morticiorum et excadentiarum ad opus curie percipiet, sicut superius continetur; et ut hec omnia firmius et utilius valeant procurari neque dubietas revocet aliquos qui secum super hys duxerint contrahendum ad utilitatem et honorem imperialis culminis, plenam auctoritatis potestatem super hys auctoritate imperiali sibi noverint esse commissam; et si qui sunt qui super predictis contradicere ausu temerario presumpserint vel ipsum C. in aliquo contra utilitatem curie impedire, una cum justitiario loci ejusdem ubi expedit auctoritatem habeat puniendi.

Datum [*ut supra*].

Fuligni, 4 februarii.

Mandata ad camerarium et justitiarium Aprutii de collecta exigenda ab ecclesia Sancti Clementis de Piscaria, de proventibus

Digitized by Google

ecclesiarum vacantium, de judicibus, notariis et advocatis civitatis Theatinae, de hominibus Piscariae pro sale vendito curiae quietandis, de officialibus statuendis, de decimis ecclesiarum, de facto salis, etc.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 63 verso; in edit. Carcan., p. 334.)

De eodem mandato scripsit idem [*P. de Capua*] *licteras responsales :*

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano, etc. Fidelitatis tue licteras, etc., capitulorum nunc missorum, etc. Super eo autem quod nostro culmini nunciasti quod B. Pissonus justitiarius et fidelis noster L uncias auri in quibus ecclesia Sancti Clementis de Piscaria taxata fuit pro subventione clericorum et ecclesiarum, cum instantia requirit habere de bonis ecclesie supradicte, presertim cum abbate ipsius monasterii exigentibus culpis suis de mandato nostro expulso de regno, monasterium ipsum ad manus nostras pervenerit cum omnibus bonis suis, tibi taliter respondemus quod damus eidem justitiario per nostras licteras in mandatis ut pro demanio ipsius ecclesie pro collecta ipsa nichil extorqueat vel requirat; si vero vassallos habet quibus pro collecta aliquid requiri possit, faciat inde ad utilitatem curie nostre sicut melius viderit faciendum. Quod autem significasti quod proventus ecclesiarum vacantium in jurisdictione tua non possunt fideliter ad credentiam procurari et precipue Sancti Clementis et obedientiarum ejus, | qui si ad extalium venderentur cederet ad utilitatem nostram, placet nobis quod sive ad credentiam sive ad extalium facias exinde commodum fisci nostri, ita tamen quod res ecclesiarum propterea minime dissipentur nec deteriorentur aliquatenus proventus. Quod valorem ecclesie Theatine per singula nunciasti, studium tuum specialiter commendamus. Ad ea vero que tue lictere continebant quod judices, notarii et advocati civitatis Theatine propterea quia per quondam episcopum Theatinum creati fuerunt, eorum officium dubitant exercere, quare jura bajulationis ipsius terre quodammodo minuuntur, ecce quod justitiario nostro regionis damus nostris licteris in mandatis ut ibidem judices annales statuat, sicut fit in aliis partibus regni nostri, advocatos et notarios ibidem patiatur sicut hactenus officia exercere. Et quia homi- Fol. 64 recto.

Digitized by Google

nes civitatis ipsius non prestiterunt sacramenta fidelitatis nobis quia in nostris licteris ut scripsisti exinde mentio non fiebat, volumus ut ab ipsis juxta regni nostri consuetudinem fidelitatis nobis sacramenta prestentur. Consultationi vero tue facte super rebus ecclesie Sancti Clementis assignatis tibi per Henricum de Morra, etc., sicut ipsa capitula continebant, quia res ipsas nobis distincte et plene non significasti, tibi ad presens plene non potuimus respondere. Monachis vero claustralibus ipsius ecclesie victum, vestitum et quecumque necessaria de proventibus ipsius te exibere volumus moderate. Victualia vero que munitionibus castrorum superfuerunt ut tue lictere continebant, volumus quod vendantur ad utilitatem et majus commodum fisci nostri. Ceterum quia nunciasti nobis quod homines Piscarie fideles nostri pro sale vendito curie nostre tempore undecime indictionis et duodecime ac pretium eis asserunt non solutum (*a*), satisfieri eis petunt instanter, volumus et mandamus ut cognita veritate de eo quod habere debent, de quo tibi fieri volumus plenam fidem, eisdem satisfacias, curie nostre in omnibus indempnitate servata. De proventibus vero demanii Marsie ut scripsisti, utilitatem curie nostre facere studeas et augmentum, ita tamen quod demania nostra suis temporibus excolantur et sicut expedit procurentur, ne abusio modica temporis demanii nostri depauperet utilitatem. Super facto bajulationis et aliorum proventuum curie nostre qui hominibus qui non sunt de demanio nostro ad utilitatem nostram in extalium vendi possunt ut dicis, taliter respondemus quod cum sacris nostris constitutionibus sit expressum quod in officiis nostris non statuantur officiales nisi sint fideles et de demanio nostro, nolumus quod per te in officiis curie nostre aliquis qui non sit de demanio et fidelis noster aliquatenus admictatur. Decimas vero ecclesiis debitas ad quarum solutionem in predictis (*b*) ut scripsisti, te exhibere volumus consuetas et debitas et sicut regis W. tempore consobrini nostri usque modo et continue sunt dari hactenus consuete. Homines autem Sancti Flaviani et Civitelle qui collectam Sancte Marie aliis officialibus predecessoribus tuis dare consueverunt et nunc ipsam dare con-

(*a*) Locus ut videtur mutilus.

(*b*) Deest ibi aliquid.

Digitized by Google

tempnunt in dampnum nostrum et prejudicium ut misisti, volumus et mandamus quod ad solutionem consuetam et debitam omnino compellas. Super facto vero salis de cujus portatione ab Apulia et de imperio in justitiariatum Aprutii dampnum non modicum provenire tue lictere recitabant, ecce quod justitiario regionis ipsius scribimus ex nunc juxta petitionem tuam nostre beneplacitum voluntatis, et ut ad requisitionem tuam illud ordinare procuret. Tu vero, etc.

Datum Fuligni, IV februarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem :

Fridericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Significavit nobis Criscius Amalfitanus magister camerarius Aprutii fidelis noster quod tu quinquaginta uncias auri impositas dudum monasterio Sancti Clementis de Piscaria de bonis ipsius, habere cum instantia exigis et requiris. Cum igitur ecclesia ipsa cum omnibus bonis suis de mandato nostro procuretur ad presens ad opus nostrum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus uncias ipsas ab aliquo pro parte ipsius monasterii pro ejus demanio non exigas amplius nec requiras. Si tamen vassallos habet a quibus pro adjutorio ipso aliquid requiri possit, commodum curie nostre exinde facias sicut videris expedire; et quoniam intelleximus per dictum Criscium fidelem nostrum quod homines civitatis | Theatine non prestiterunt nobis fidelitatis sacramenta propterea quia exinde in licteris tibi missis mentio non fiebat, et quod judices et notarii et advocati ipsius terre officia sua dubitant exercere quia per quondam episcopum Theatinum creati fuerunt, propter quod jura bajulationis nostre ibidem plurimum minuuntur, mandamus tibi ut homines ipsius terre compellas fidelitatis nobis sacramenta prestare juxta consuetudinem regni nostri; judices etiam annales ibidem statuas, advocatos vero et notarios sua sicut hactenus ibidem permictas officia exercere, ne jura curie nostre exinde propterea minuantur. Ceterum per predictum nostram intellexisse noveris majestatem quod multa quantitas salis de Apulia et imperio defertur in justitiariatum Aprutii tibi commissum per quod curia nostra non modicum dampnum incurrit. Volentes igitur nostris indempnitatibus providere, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Criscii predicti Fol. 61 verso.

ita statuas et procures quod sal de predictis partibus in justiciariatum ipsum nullatenus deferatur in nostre curie lesionem et ut sollicitudinem tuam, etc.

Datum [*ut supra*].

Fuligni, 4 februarii.

Mandatum ad camerarium Aprutii de expensis dandis pro equo curiae, de bajulationibus castrorum recolligendis, de fidelibus hominibus statuendis pro sale curiae in Piscaria vendendo.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 64 verso; in edit. Carcan., p. 336.)

De eodem mandato scripsit alias [*litteras*] *P. de Capua :*

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano, etc. Solita benignitate recepimus licteras quas misisti et ipsarum continentiam nec non et capitula que misisti audivimus et intelleximus diligenter. Ad quod tibi taliter respondemus mandantes fidelitati tue quatenus pro equo curie nostre qui est apud Sanctum Flavianum et pro ejus scutifero des expensas secundum quod per alias nostras licteras tibi recolimus injunxisse. Super eo siquidem quod scripsisti de castris a nostra majestate concessis, quorum bajulationes vendite fuerant, pro quibus nichil Silvester de Sancto Paulo collector in partibus ipsis fidelis noster recepit a bajulis quibus date fuerunt (*a*) conventam nostre curie quantitatem, mandamus tibi quatenus nomina castrorum ipsorum et eorum quibus concessa sunt et quo tempore nos ea concesserimus et residuam debiti quantitatem distincte culmini nostro scribas, et nos tibi rescribemus nostre beneplacitum voluntatis. Super eo quod misisti de Johanne de Belforte Armato et Berardo de Lanzano de Piscaria qui sint utiles et fideles pro vendendo sale curie nostre in Piscaria, mandamus tibi quatenus id inde facias quod utilitati curie nostre cognoveris melius expedire. Super aliis capitulis que de novo misisti, tibi per alias nostras licteras plenarie respondetur.

Datum Fuligni, IV februarii, XIII indictionis.

(*a*) Deest ibi aliquid.

Digitized by Google

Mandata ad justitiarios Aprutii et Principatus de inquisitione facienda contra Boamundum de Lecto qui pecuniam curiae debitam non solvit, et contra Riccardum et Johannem de Rocca castellanos Roccae Montis Draconis et castri Campaniae. Fuligni, 3 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 65 recto; in edit. Carcan., p. 336.)

De imperiali mandato facto per magistrum Rogerium de Petrasturmila scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Innotuit excellentie nostre quod Boamundus de Lecto curie nostre tenetur in quadam pecunie quantitate non minori mille tarenorum auri, pro restitutione videlicet terre sue facta sibi tempore quondam episcopi Melfiensis, dum justitiariatus officium exerceret, ac eadem quantitas in scripto restitutionis ipsius sicut intelleximus est expressa. Cum igitur curie nostre jura per detentorum suppressionem vel officialium nostrorum incuriam deperire nolimus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus statim visis hys licteris dictum Boamundum coram te facias presentari, querens ab eo pro parte curie nostre dictam pecunie quantitatem. Quod si confessus fuerit, eam recipias ab eodem. Si vero eam voluerit diffiteri, super hoc inquisitionem diligentem facias et fidelem, et si tibi per inquisitionem ipsum B. curie nostre teneri compereris in eadem, pecuniam debitam ab eo instanter recipias et tam de ipsius occultatione quam negatione ipsum punias ut est justum.

Datum Fuligni, III februarii, III indictionis (a).

Item :

Fredericus, etc., Thomasio de Montenigro justitiario Principatus, etc. Denunciationes curie nostre factas contra Riccardum de Rocca hostiarium nostrum castellanum Rocce Montis Draconis et Johannem de Rocca fra-

(a) Legitur in margine : *notarius Stabilis nuncius Crucii Amalfitani* [*lator.*].

trem ejus castellanum castri Campanie, fideles nostros, tibi mictimus presentibus interclusas. Mandamus quatenus de ipsis diligentem inquisitionem facias et fidelem et ad nostram curiam mictas eamdem, sciturus quod similes per omnia fecimus in nostra camera conservari.

Datum Fuligni, III februarii, XIII indictionis (*a*).

Fulinii, 3 februarii.

Litterae responsales ad Johannem de Cioffo commendantes quod naves Acon miserit pro balistis emendis; quod nomina officialium quondam per Matthaeum Marcafabam statutorum significare curaverit; quod Gualterio de Fisaulo de partibus ultramarinis redeunti expensas tribuerit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 65 recto; in edit. Carcan., p. 337.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia responsales :

Fredericus, etc., Johanni de Cioffo, etc. Benigne recepimus licteras, etc. Quod autem significasti te ad licteras dudum venerabilium J. Capnani archiepiscopi et P. Ravellensis episcopi familiarium et fidelium nostrorum quas tibi miserunt cum transcripto imperialium licterarum nostrarum que mictebantur quondam Mattheo Marcafabe secreto (1), sed ad eum pervenire non potuerunt morte preventum, unam navim curie nostre que fuerat olim R. ante nostre camerarii, cum peregrinis et quibusdam aliis rebus curie nostre misisse in Acon pro commodo curie nostre tractando, et statuisse in eadem navi quemdam probum virum fidelem nostrum qui de pecunia proveniente de venditione rerum delatarum in eadem navi, emat ad opus curie nostre, que rediens detulit balistas; et quia predicta navis

(*a*) Legitur in margine : *Jacobus de Celano habitator Capue nuntius et consanguineus magistri Elefantis* [*lator.*].

(1) Ex hoc loco, si illum cum praecedentibus conferas, anno 1238 vel circiter Matthæum Marcafabam vita fuisse functum arbitrari licet.

Digitized by Google

diu morari poterat, in quadam alia galea que ibat in Accon alium quemdam fidelem nostrum misisse pro balistis emendis ad opus curie nostre, que rediens detulit XXIIII balistas de duobus pedibus et unam de torno, satis bonas, veraces et pulcras, et tu etiam sicut scripsisti tres alias balistas de torno de ultramare satis bonas et pulcras apud Messanam emisti, placet nobis et tuum in hys studium commendamus; fidelitati tue mandantes quatenus balistas ipsas in palatio nostro Messane reponi facias et servari donec de eis mandemus nostre beneplacitum voluntatis. Recepimus preterea nomina officialium statutorum quondam per. M. Marchafabam secretum que nobis ad mandatum nostrum tibi et notario Johanni de Leutino missum dudum significare curasti, et vestrum inde studium commendamus. Quod autem nuntio tuo quem cum eis ad curiam nostram misisti, de pecunia curie nostre que est per manus tuas tribuisti moderatas et competentes expensas, et quod Gualterio de Fisaulo redeunti de partibus ultramarinis ad quas eum pro nostro servitio miseramus, fideli nostro, pro se et hominibus suis tribuisti expensas, nec non pro illa alia persona quam de mandato nostro duxit secum de partibus illis, expensas et alia etiam necessaria tribuisti ad requisitionem Gualterii nominati, placet nobis et volumus ut in tuis debeant rationibus computari.

Datum Fulinii, V februarii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad secretum Messanae, de studio quod in rebus curiae procurandis exhibuit, de balio castri Messanae, de Guillelmo de Pedevillano, de quaternis libri Palamides, de castro Jacii et Sanctae Anastasiae, de ancillis curiae, de magistris asbergeriis, de Saraceno saltatore. Fulgini, 5 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 65 verso; in edit. Carcan., p. 337-338.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia responsales licteras et capitula :

Digitized by Google

Fredericus, etc., secreto Messane, etc. Quod autem significasti te ad majorem utilitatem proventuum curie nostre in camerariis, granicteriis et omnibus que ad secretiam pertinent omni studio et sollicitudine promovere, nec non vineas, terras et alios proventus nostros ac vacantes ecclesias que sunt in manu curie nostre cum omni studio procurari et novam diligentiam super omnibus revocatis facere adhiberi et quod ad ordinandam procurationem animalium nostrorum Sicilie et Calabrie habere studium incepisti, placet nobis si ex premissis processibus curie nostre utilitas procuratur et tuum studium commendamus. De pecunia, ferro, pice, tuppis et aliis oportunis pro navibus et galeis nostris juxta mandatum nostrum, quod significasti te annuatim nostro vicario exhibere pro nostris servitiis, acceptamus. Quod autem statuisti super balio castri nostri Messane complendo quemdam probum et fidelem virum pro cogendis hominibus ad mictenda animalia ad servitium castri ipsius, qui ea mictere consueverunt et debent, tuum studium commendamus. De Guillelmo de Pedevillano qui sicut scripsisti non permictit in ipso opere alia esse animalia nisi sua, quod in dampnum curie nostre et gravamen nostrorum fidelium cedit, mandamus ut diligenter inquiras et si hoc inveneris ad dampnum curie nostre et gravamen nostrorum fidelium cedere, fieri non permictas et nobis studeas intimare. De LIIII quaternis scriptis de libro Palamides qui fuerunt quondam magistri Johannis Romanzor[i] quos nobis per notarium Symonem de Petramajore mictere te scripsisti, gratum ducimus et acceptum. De castro Iacii et Sancte Anastasie a quibus castellanum tanquam non ydoneum amovisti, jamdudum providimus nostre beneplacitum majestatis. De ancillis curie nostre que sunt in palatio nostro Messane et, cum nullum servitium faciant, victum a curia nostra recipiunt, mandamus ut statuas eas ad aliqua servitia facienda sive ad filandum sive ad alia quecumque opera ut panem non comedant otiosum. De hoc quod magistris asbergeriis qui sunt in palatio nostro Messane ad laborandum pro curia nostra statuti, tam pro eis quam pro faciendis ferramentis eorum oportuna facis tribui, placet nobis. Quod autem in Messana magistri alii non sunt qui sciant cum eis de eorum ministerio laborare, ecce quod sicut scripsisti licteras nostras mictimus apud Pisas ut de

Digitized by Google

terra ipsa mictantur qui instructi sint ad ministerium supradictum. Tu vero pro filo ferreo ad opus loricarum emendo mictas et facias inveniri. De Saraceno quem invenisti de partibus Aquitanie saltatore, qui cum sicut scripsisti diversimode saltare sciat, ipsum pro curia nostra retinere curasti, volumus ut eum ad curiam nostram mictas, in premissis, etc.

Datum Fuligni, V februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro pro expensis dandis notario Angelo de Capua. Fulinii, 5 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 65 verso; in edit. Carcan., p. 338.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Cum magistrum A. (*a*) de Capua notarium et fidelem nostrum pro quibusdam nostris servitiis exequendis ad presens mictamus in regnum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus quia in camera nostra in presenti pecunia non habetur, pro presenti mense februarii quo mense recepit expensas a curia nostra, septem uncias auri ad pondus curie, sicut in curia nostra recipiebat per mensem pro se, tribus scuteriis et quatuor equis, prefato notario fideli nostro de pecunia curie nostre que est per manus tuas exibere procures, et a mense marcii in antea si in regno pro predictis servitiis nostris moram traxerit, pro se, predictis scuteriis et equis suis expensas juxta assisam curie in regno persolvas, recepturus, etc.

Datum Fulinii, V februarii, XIII indictionis.

Similes facte sunt [secreto Messane pro (*b*)] Oliverio (*c*) de Pontetremulo similiter eunte in regnum de dandis sibi unciis novem pro mense februarii pro sex equis et quinque hominibus et a mense marcii pro se, quatuor

(*a*) Scilicet *Angelum*.

(*b*) Haec adduntur ex margine.

(*c*) Inferius vero *Alberius* : quae vera lectio esse videtur.

Digitized by Google

sculeriis et quinque equis si pro servitiis uostris ipsum ire contiugerit et redire, recepturos, etc.

Datum [*ut supra*].

Fuligni, 6 februarii.

Mandata ad Andream de Cicala et ad justitiarios regni de collecta hujus anni exigenda et de forma quae in taxandis civitatibus et aliis locis servanda sit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 66 recto; in edit. Carcan., p. 338.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo a porta Roseti usque ad Trontum, etc. Olim injuuxisse et mandasse recolimus ut presens collecta in ea quautitate et forma sicut collecta primo preterita pouerelur. Quia tamen pro certo comperimus quod iu ipsa collecta preterita satis informiter est processum, dum uec civitatibus, [castris] aut locis aliis nec etiam persouis quibuslibet quantitas eis imposita pauderetur, volumus et precipimus fidelitati tue quatenus tam per civitates, castra et loca alia quam per persouas quaslibet jurisdictionis tue, diligentissima consideratione habita, collectam poui facias et taxari cum cousilio nostrorum fidelium juxta facultates ipsorum, expressa quibuslibet a principio quantitate eis imposita, qua eis nichil amplius exigetur; ita tameu quod talis quautitas quibuslibet imponatur que imposita commode debeat et possit haberi, et in omuem eventum sic facias et procures quod collecte preterite quantitas habeatur.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictiouis.

Item de eodem mandato scripsit idem ad B. Pissonum justitiarium Aprutii:

(Non hic transumuutur litterae quia de verbo ad verbum sunt eaedem quae supra.)

Digitized by Google

Similes R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii.
Similes T. de Montenigro justitiario Principatus et terre Beneventane.
Similes B. (R.) de Montefusculo justitiario Capitinate.
Similes T. filio Osmundi justitiario Basilicate.
Similes L. de Franco justitiario terre Bari.
Similes A. de Aquaviva justitiario terre Idronti.

} Quas omnes portavit Angelus de Capua.

Similes scripsit Jacobus de Bantra [G. de Montefusculo (*a*)] justitiario Calabrie.
Similes T. de Castellione justitiario Vallis Grate.
Similes T. (G.) de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum.
Similes Rogerio de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum.

} Quas omnes portavit Alberius de Pontremulo.

Mandatum ad custodes aerarii Salvatoris ad mare ut totam pecuniam quam habent vel habere poterunt ad castrum Introduci transmittant. Fulgini, 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 66 verso; in edit. Carcan., p. 339.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., A. de Marra et judici Eufranoni custodibus erarii Salvatoris ad mare, etc. Cum celsitudo nostra nuper statuerit quod omnis pecunia curie nostre de regno apud castrum Introduci debeat congregari quo ad presentiam nostram possit facilius deportari, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem magistri Angeli de Capua notarii et fidelis nostri, quem ad hoc specialiter destinamus, omnem pe-

(*a*) In impresso male *Jacobo de Bantra,* omisso nomine justitiarii, quod restituimus.

cuniam curie nostre quam habetis vel ad manus vestras pervenerit, apud Introducum per fidelem nuntium transmictatis, custodi pecunie quem justitiarius Aprutii fidelis noster ibidem statuerit assignandam; quid et quantum ad castrum predictum miseritis per frequentes nuntios rescripturi.

Datum Fulgini, VI februarii, XIII indictionis.

Similes facte sunt ad Criscium Amalfitanum. Similes facte sunt ad Riccardum de Pulcaro. Similes facte sunt ad B. Pissonum justitiarium Aprutii.	Quas portavit Angelus de Capua.

Addita clausula illa sive mutuo sive undecumque pecuniam habere poteris.

Fulgini, 6 februarii.

Mandata varia pro Henrico Abbate et notario Johanne de Panormo ut ad regem Tunisi se conferant pro servitiis principis celeriter exequendis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 67 recto; in edit. Carcan., p. 339.)

De mandato imperiali facto per judicem Petrum de Vinea scripsit Jacobus de Bantra :

Fridericus, etc., Henrico Abbati, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus una cum magistro Johanne de Panormo notario et fideli nostro vel, si ipse infirmitate gravatus non poterit, cum alio quem R. de Amicis justitiarius Sicilie ultra flumen Salsum juxta quod sibi damus per nostras licteras in mandatis, duxerit eligendum, conferas te ad regem Tunisi cum licteris nostris quas sibi duximus destinandas, processurus cum eodem notario vel alio quem justiciarius eliget, in negotio quod tibi et eidem commictimus, juxta quod Alberius de Pontetremulo presentium portitor, fidelis noster, qui causam novit, ex parte nostra oretenus tibi referet et exinde te instruet diligenter.

Datum Fuligini, VI februarii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Similes scripsit magistro Johanni de Panormo quod eat cum ipso Henrico ad regem predictum.

Item scripsit :

Fredericus, etc., R. de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si magister Johannes de Panormo, notarius et fidelis noster, infirmitate gravatus ire non potuerit cum Henrico Abbate apud Tunisium cum licteris nostris quas regi duximus destinandas, sicut sibi dedimus per licteras nostras in mandatis, invenias alium idoneum et discretum virum qui ad regem predictum cum eodem Henrico debeat se conferre, processurus in negotio quod per latorem presentium Alberium de Pontetremulo sibi mictimus, juxta quod idem qui causam novit ex parte nostra orctenus ei referet et exinde ipsum instruet diligenter.

Datum [*ut supra*].

Item X februarii ut continent infrascripte, facte sunt lictere per G. de Tocco ad magistrum Theodorum ut scribat regi in lictera arabica super negotio supradicto et missa est ei carta sigillata et non scripta sigillo (*sic*).

Item scripsit :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Cum mandaverimus magistro Johanni de Panormo notario et Henrico Abbati fidelibus nostris ut ad regem Tunisi pro quibusdam servitiis nostris que ipsis commisimus exequenda, debeant se conferre, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus aliquod bonum vassellum invenias in quo ire oportune valeant et redire, quod armari facias et rebus necessariis preparari, et ipsum eis assignes, nullam in hoc moram protrahens ut ipsi celeriter predicta servitia nostra sicut expedit exequantur.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad Henricum praeceptorem domorum militiae Templi Fulgini, 6 februarii.

Digitized by Google

in Italia de corrigendis fratribus ejus ne ferant pecuniam contra dominum imperatorem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 recto; in edit. Carcan., p. 340.)

De imperiali mandato scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., fratri Henrico preceptori domorum militie Templi in Italia fideli suo, etc. Pro certo nos didicisse cognoscas quod quidam fratres de domibus tuis Italie religionis habitum abjicientes, malitiose sub cursorum specie pecuniam ab inimicis nostris acceptam deferre non timent tradendam per manus eorum ad eversionem nostrorum fidelium, in detrimentum nostri nominis et honoris et in subsidium nostrorum rebellium ac favorem. Quod quanto serenitas nostra debeat egre ferre, tu ipse tanquam vir sane mentis dilucida potes et debes ratione scrutari. Mandamus igitur precipiendo fidelitati tue quatenus, ne in posterum contra nostre majestatis honorem talia presumantur, cohibeas fratres tuos et a similibus studeas revocare; sciturus quod si de cetero contingerit hujusmodi per predictos fratres tuos commicti et nos inde sic certi erimus sicut sumus de predictis cum presentes tibi licteras injunximus destinari, equanimiter non valebimus sustinere (1).

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Notarius Angelus tulit.

---

(1) Ad hunc locum ex nomine ejusdem Henrici praeceptoris quoddam privilegium omni chronologica nota destitutum transcribendum esse censemus, quod extat inter *Petr. de Vin. Epistol.*, lib. VI, cap. XXXIII, licet multos ante annos concessum fuisse videatur. « [Fridericus, etc.]. Per praesens scriptum notum fieri volumus universis quod frater Heinricus » domorum militie Templi in Italia precepter, devotus et fidelis noster, majestati nostre » humiliter supplicavit ut domos in imperio sibi commissas, fratres, familias et bona sua sub » nostra et imperii protectione de nostra gratia recipere dignaremur. Nos igitur supplica- » tionibus ejusdem preceptoris favorabiliter inclinati, sue devotionis obtentu, domos pre- » dictas, fratres, familias, et bona que juste tenent et possident, sub nostra et imperii protec- » tione recipimus speciali, praesentis scripti auctoritate mandantes et firmiter inhibentes, sub » pena gratie nostre, quatenus nullus sit qui nominatas domos, fratres et familias, in per- » sonis, possessionibus et bonis suis, ausu temerario contra hujusmodi protectionis nostre » tenorem, impetere, impedire, offendere seu molestare praesumat. Immo universi et singuli

---

Mandatum ad justitiarium Principatus ut bona capellae Sancti Petri ad Curtem quam Johanni de Vinea contulit, illicite occupata et distracta ad proprietatem ipsius capellae revocare studeat. Fuligni, 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 67 recto; In edit. Carcan., p. 340.)

De eodem mandato scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Thomasio de Montenigro justitiario Principatus, etc. Insinuante Johanne de Vinea (1) cive Capue fideli nostro, nostra serenitas intellexit quod multa de bonis cappelle nostre Sancti Petri ad Curtem, quam specialem reputamus inter cappellas alias regni nostri et eam de nostre sibi contulimus gratia majestatis, pro malitia temporis retroacti et ob negligentiam eorum qui cappellam ipsam hactenus tenuerunt a tempore regis Guillelmi secundi consobrini nostri felicis memorie usque ad hec felicia nostra tempora, [sunt] occupata, locata, alienata illicite ac distracta in prejudicium jamdicte cappelle nostre et non modicam lesionem. Cum igitur eadem cappella nostra bonis fiscalibus sit dotata, nec deceat curiam nostram alienationes hujusmodi tolerare, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de premissis inquisitionem facias diligentem. Et ea facta, omnia que per eamdem inveneris occupata, locata, alienata illicite ac distracta de bonis predicte cappelle nostre, ad jus et proprietatem ipsius cappelle studeas revocare, presens mandatum nostrum taliter impleturus ut sollicitudinis tue studium merito commendetur.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

» ipsum preceptorem, fidelem et devotum nostrum, et fratres, cum domibus, possessionibus » et bonis suis, habeant pro nostre majestatis reverentia commendatos. Ad hujus autem » protectionis nostre memoriam, stabilitatem et firmitatem, praesens scriptum fieri jussimus, » nostri culminis sigillo munitum. »

(1) Scilicet judicis Petri de Vinea nepos, dum Thomasium de Vinea Petri fratrem genitorem habuerit.

Digitized by Google

Fuligni, 6 februarii.

Mandatum ad secretum Messanae pro revocandis ecclesia Sanctae Mariae de Joa, pecunia et animalibus a conventu monasterii Sancti Lucae in curiae damnum detentis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 verso; in edit. Carcan., p. 340.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Sugio scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Intellexit serenitas nostra quod cum olim R[icardus] camerarius noster ecclesiam Sancte Marie sitam apud Joam habuerit a monasterio Sancti Luce, dato exinde abbati et conventui ipsius monasterii competenti excambio pro eadem, eosdem (*sic*) post mortem ejus dictam ecclesiam retento excambio occupare (*a*). Intelleximus etiam quod cum idem camerarius noster quamdam quantitatem pecunie, duo paria boum et quasdam pecudes deposuerit penes eos, ipsi ea detinent ad suum commodum et curie nostre dampnum. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquiras super iis omnibus veritatem, et si tibi constiterit de premissis, tam ecclesiam ipsam quam pecuniam et animalia supradicta ad utilitatem curie nostre studeas revocare, ea faciens ad opus nostre curie procurari; ut quicquid inde feceris studeas nostro culmini nuntiare.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Fuligni, 6 februarii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris super negotio Deoteguardi de Cerro.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 verso; in edit. Carcan., p. 340.)

(*a*) Sic in impresso; forsitan legendum *occupavere*.

Item scripsit litteras responsales :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Solita benignitate recepimus literas fidelitatis tue et favorabiliter commendamus studium et diligentiam tuam adhibitam juxta mandatum nostrum super negotio D[eoteguardi] (*a*) de Cerro, licet adhuc frustretur effectus, sicut per easdem nobis licteras intimasti; fidelitati tue mandantes quatenus cante et actente procures ut castrum Cerri accipias ad opus curie nostre, ita tamen ut mediante studio tuo fiat sine scandalo regionis, ut super hoc tuam possimus providentiam commendare. Ipse autem nondum venit ad curiam nostram, sicut significasti nobis ipsum esse venturum.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad Andream de Cicala quod procedat contra suspectos in justitiariatu Aprutii sicut processum est contra alios de comitatu Molisii et Fundano; de castris diruendis, de invenienda pecunia, de custodia castri Sancti Johannis. Fuligni, 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 verso; in edit. Carcan., p. 341.)

Item scripsit Jacobus de Bantra de mandato facto per judicem Thaddeum de Suessa :

Fredericus, etc., A. de Cicala capitaneo, etc. Devotionis tue licteras benignitate recepimus consueta, tenorem ipsarum intelleximus diligenter, studium et sollicitudinem tuam quam in exequendis servitiis nostris tibi commissis et in omnibus que commodum nostrum respiciunt et honorem manifeste novimus te habere, favorabiliter commendamus. Super inquisitione autem facienda per justitiariatum Aprutii de suspectis, volumus et mandamus fidelitati tue ut eo modo quo facta fuit per comitatum Molisii et Fundanum, per predictum justitiariatum inquisitionem facias diligentem et contra illos quos improbitatis culpa et nota suspicionis accusat, simili

(*a*) In margine scribitur *Deuteperdi*, minus recte.

Digitized by Google

modo procedas sicut contra suspectos predictorum comitatuum est processum. De castris antem comitatus Fundani que persuasisti nobis tuis licteris diruenda, quia non expressisti nobis nomina eorumdem plene deliberare nequivimus. Quare devotioni tue mandamus ut nomina illorum nobis significes et causam exprimas cur ipsorum custodia inutilis videatur. Super eo vero quod significasti nobis quia pro defectu pecunie ad inquisitiones faciendas tibi commissas procedere non poteras, sic mandamus ut pecuniam undecumque invenias; per te enim ipsam de pecunia curie nostre debita restitui faciemus, ita tamen quod de pecunia collecte et alia pecunia que ad presens curie nostre portari debet, propter hoc nichil accipias. Castrum insuper Sancti Johannis per notarium Bartholomeum de Supino volumus quod diligenter facias hys temporibus custodiri.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Fuligni, 6 februarii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro pro expensis operis castri Aversae.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 verso; in edit. Carcan., p. 341.)

De mandato imperiali facto per magistrum T. de Suessa scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem superastantium operi castri Averse, de pecunia curie nostre que est per manus tuas pro faciendis portis camerarum et fenestrarum ejusdem expensas necessarias studeas exhibere, si per Thomasium de Montenigro justitiarium Principatus fidelem nostrum per quem expensas ipsas dari mandavimus, expensas ipsas tibi constiterit exibitas non fuisse, recepturus ab ipsis, etc.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Mandatum ad Raynaldinum de Panormo de leopardis curiae usque Introducum ducendis. Fuligni. 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 67 verso; in edit. Carcan., p. 341.)

Mandante domino imperatore per magistrum Roggerium de Camera scripsit responsales licteras Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Raynaldino de Panormo, etc. Benigne recepit serenitas nostra licteras tuas et diligenter intelleximus significata ipsarum, tuum studium in nostris servitiis commendantes; et quia leopardos quos tecum habes volumus habere nobiscum, fidelitati tue mandamus quatenus receptis hys licteris ducas leopardos ipsos usque Introducum, ac si abinde secure venire poteris, ad presentiam nostram te conferas cum eisdem. Quod si forte deinde ad nos securus non posses venire cum ipsis, moreris ibidem significans nobis adventum tuum et nos mandabimus tibi nostre beneplacitum voluntatis.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Mandata ad Alexandrum, filium Henrici, de dandis expensis pro equis ducendis et canibus curiae. Fuligni. 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 recto; in edit. Carcan., p. 341.)

De mandato magistri R. de Trajecto scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Pro dandis expensis Nicolao de Trano et pro equis quos ad curiam nostram pridem duci mandavimus, tibi misisse recolimus scripta nostra. Cum igitur velimus quod equi ipsi cum festinantia ad nos ducantur ad presens, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tam super dandis expensis eidem Nicolao

Digitized by Google

et pro equis predictis procedas juxta priorum nostrarum continentiam licterarum. Volumus etiam et mandamus tibi ut pro equis ipsis frena, cingulos, cohopertas et capistra necessaria debeas exibere, et pro marescalco etiam quem cum ipsis equis venire volumus similiter des expensas juxta assisam curie nostre.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., A. filio Henrici, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Petri de Dracone fidelis nostri des expensas pro canibus curie nostre quos custodiri facit et custodibus eorumdem, tam de preterito tempore quo presens in curia nostra expensas recipere debuit nec recepit quam etiam pro futuro, donec canes ipsos nostros faciet custodiri, de quibus tibi fieri volumus plenam fidem. Recepturus, etc.

Datum [*ut supra*].

Fuligni, 6 februarii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut propter indevotionem Raynaldi de Supino de Campania, castrum Speluncae et terram Sanctae Anastasiae caute capiat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 recto; in edit. Carcan., p. 342.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Quia Raynaldus de Supino de Campania noster indevotus existit, per indevotionem suam nostram gratiam demeretur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus castrum Spelunce et terram Sancte Anastasie que hactenus in regno nostro tenuit, ab eo revoces et ad opus curie nostre facias custodiri, cautelam adhibens in eis capiendis [ne] possis decipi ut re ipsa imperfecta tue motum detegas voluntatis.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de expensis exhibendis magistro Riccardo de Trajecto notario curiae. Fulgni, 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 recto; in edit. Carcan., p. 342.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Quia magister Riccardus [de Trajecto (*a*)] notarius et fidelis noster quem pro arduis nostris et imperii negotiis duximus destinandum, expensas curie nostre pro mensibus septembris et octobris hujus XIII indictionis, cum pecunia non habeatur in nostra camera, non recepit, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus nuncio ejusdem magistri latori presentium pro expensis suis dictorum duorum mensium, sicut consuevit in curia nostra recipere, pro sex equis et quinque scuteriis suis sedecim uncias auri et mediam ad pondus curie de pecunia curie nostre que est per manus tuas quam citius poteris debeas exhibere, ut idem notarius noster eas habere valeat sine mora pro nostris servitiis exequendis.

Datum Fuligni, VI februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Capitanatae ut contra archipresbyterum Roccae Sanctae Agathes procedat, qui episcopatum Bivini per archiepiscopum Beneventanum, irrequisito principis assensu, nititur obtinere. Fulgni, 6 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 recto; in edit. Carcan., p. 342.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Roggerius de Salerno :

(*a*) Haec supplentur ex margine.

Digitized by Google

Fredericus, etc., [R. de Montefusculo (a)] justitiario Capitinate, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus id quod tibi presenti in curia nostra injunximus faciendum de archipresbytero Rocce Sancte Agathes, qui in prejudicium honoris et dignitatis nostre nisus est et adhuc nititur optinere episcopatum Bivini per archiepiscopum Beneventanum, nostro inrequisito assensu, nec de nostra sicut intelleximus veritus est obloqui majestate preter temeritatem predictam, si nondum impletum est, facias et adimpleas; nichilominus in fautores ejusdem archipresbyteri processurus prout justitia exigit et honori nostro videris expedire.

Datum Fuligni, VIII februarii, XIII indictionis.

Fulginei, 8 februarii.

Mandatum ad Andream de Cicala capitaneum ut super denuntiationes contra quosdam curiae factas, prout honori principis et justitiae expedire viderit, procedat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 verso; in edit. Carcan., p. 342.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit R. de Salerno :

Fredericus, etc., Andree de Cicala, etc. Denunciationes curie nostre factas contra judicem Gualterium de Bucclanico, Guillelmum Raonis, Gentilem de Bucclanico, Guillelmum Bovis, Nicolaum Gualterii Ursonis et Margaritum tibi mictimus in cedula presentibus interclusa, et similes per omnia in nostra camera facimus reservari. Et quia super omnibus que cedula ipsa continet juri curie nostre et justitie per te volumus satisfieri, fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus ipsius cedule diligenter inspecto tenore, super singulis que continentur in ea inquisitionem facias diligentem et pecuniam quam inveneris curie nostre deberi a detentoribus et debitoribus instanter et cum omni integritate recolligas; excessus vero punire studeas juxta quod eorum qualitas exigit et honori

(a) Nomen suppletur ex margine.

Digitized by Google

uostro ac justitie videris expedire; demum processum tuum super singulis et iuquisitiouis tenorem ac totius quam recollegeris pecuuie quautitatem sub sigillo tuo distiucte uobis ac fideliter rescripturus.

Datum Fulgiuei, VIII februarii, XIII iudictiouis.

Lator Rogerius archipresbyter Bucclauici.

Mandatum ad justitiarium Aprutii quod procedat contra dompnum Adenulfum Sancti Pamphili de Sulmona canonicum, qui quondam civitatem Sulmonensem Papae fecit jurare et nunc enormiter de principe est oblocutus. Fulginei, 8 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 68 verso; in edit. Carcan., p. 342.)

De superiori mandato scripsit idem R. de Salerno :

Fredericus, etc. [B. Pissouo (*a*)] justitiario Aprutii, etc. Innotuit celsitudiui uostre quod quondam dompuus Adeuulfus cauouicus Saucti Panfili de Sulmoua tempore prime orte discordie iuter nos et Ecclesiam, cum quibusdam cousauguiueis et complicibus suis procuravit quod civitas Sulmoueusis juraret tuuc pape. Nunc autem post preseutem iuter uos et dictum Papam ortam discordiam iu multorum fidelium uostrorum scaudalum, euormia verba sicut audivimus obloquitur iu detrimeutum uostri uomiuis et houoris. Quod cum uostram tolerare uou deceat majestatem, fidelitati tuo precipieudo mandamus quatenus iuquiras super premissis diligeutius veritatem, et si inveueris quod dicto dompno Adeuulfo tractaute ac procurante, civitas Sulmoueusis tunc temporis juraverit pape et quod post presentem discordiam fuerit oblocutus de nobis, ipsum tam de civitate ipsa quam de toto reguo expellas, bouis suis omuibus ad opus uostre curie iufiscatis; nichilomiuus iu cousanguiueos et fautores suos processurus prout justitia exigit et houori uostro videris expedire.

Datum Fulgiuei, VIII februarii, XIII iudictiouis.

(*a*) Nomen suppletur ex margine.

Digitized by Google

Fulginei, 8 februarii.

Mandata varia de jumentis cooperiendis pro habenda equorum et mulorum copia.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 verso; in edit. Carcan., p. 343.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Tocco:

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto, etc. Quia placet excellentie nostre ut in regno nostro Sicilie mulorum sicut et equorum copia nutriatur, cum ad commodum etiam pertineat subjectorum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ubique per jurisdictionem tuam injungas et facias observari quod omnes homines jumenta habentes uno anno de equis et alio anno de asinis ea faciant cooperiri ut sic equorum et mulorum copia crescat in regno nostro, presens mandatum nostrum sic faciens sine defectu servari quod sollicitudo tua laudabilis inde appareat per effectum.

Datum Fulginei, VIII februarii, XIII indictionis.

Similes per omnia scripsit R. (O.) Fallamonacho secreto Panormi.

Similes G. de Anglone justitiario in Sicilia citra flumen Salsum.

Similes R. de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum.

Similes A. de Aquaviva justitiario [terre] Idronti.

Que omnes sunt assignate portande notario Simoni de Augusta.

Fulginei, 8 februarii.

Mandatum ad secretum Messanae ut expensas exhibere debeat Johanni Bruncae magistro machazeni Messanae et aliis personis ad idem opus deputatis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 68 verso; in edit. Carcan., p. 343.)

Digitized by Google

Scripsit Laurentius de mandato imperiali facto per magistrum R. de Petrasturmila :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto, etc. Intelleximus qnod ex eo qnod Johannes Brnnca magister machazeni nostri Messane consnetas et statutas expensas pro se et aliis personis ad ejusdem machazeni officium deputatis et eodem opere non perceperit per manus tuas, sicnt hactenns recipere consnevit, in opere ipso non extitit laboratum. Cum igitnr panlo ante statnerimus et tibi miserimus licteras speciales de pecnnia curie nostre per manns tnas pro nostris servitiis expendenda, firmiter mandamus qnatenus eidem magistro pro se, personis aliis ad opns ipsnm statutis nec non et ipso opere de cetero expensas solitas et statutas quas etiam utiles et necessarias videris, de pecnnia curie nostre que est per manus tuas debeas exhibere ut in eodem opere sufficienter et continue laboretur.

Datum Fnlginei, VIII febrnarii, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de navi una frumento onerata ad Riccardum Filangerium regni Jerusalem balium apud Tyrum transmittenda pro munitione castri Tyri et stipendiis militum ibidem servientium. Fulginei, 8 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 recto; in edit. Carcan., p. 343.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Johannes de Idronto :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Quia nostre voluntatis est ut ad presens navis una onerata frumento apnd Tyrnm ad Riccardum Filangerium sacri imperii in partibus transmarinis legatum, regni Ierusalem balinm, marescalcnm et fidelem nostrum, micteretur pro mnnitione castri nostri Tyri et stipendiis militnm qui cum eodem in nostro servitio morantur, fidelitati tue precipiendo mandamns quatenus de fru-

mento curie nostre navem unam de navibus curie nostre onerari facias et ipsam apud Tyrum ad predictum marescallum nostrum transmictas. Si vero in partibus ipsis de frumento curie nostre haberi non poterit, de pecunia curie nostre que est per manus tuas emas et illud ad predictum marescalcum transmittas.

Datum Fulginei, VIII februarii, XIII indictionis.

Fulginei, 8 februarii.

Mandatum ad justitiarium Aprutii quod procedat contra Jacobum Sacerdotem, terrae Balnensis habitatorem, qui temeraria verba in principem proferre non timuit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 recto; in edit. Carcan., p. 343.)

De eodem mandato imperiali scripsit Johannes de Idronto :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Denunciatum nuper extitit excellentie nostre quod Jacobus Sacerdos habitator terre Balnensis temere contra honorem culminis nostri, cum traderetur sibi scriptum legitimationis filiorum suorum quod gratiose sibi nostra contulerat celsitudo, proferre non timuit quod gesta et scripta nostra non valerent, quamdiu excommunicationis vinculo, sicut ipse mordaciter dixit, teneremur astricti. Cum igitur tam temerariam presumptionem nostram non deceat excellentiam tolerare, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de premissis inquisitionem facias debitam caute et diligenter, ut nosti; et ea facta si tibi constare poterit de temeritate predicta, eumdem Jacobum de regno nostro expellas infiscatis omnibus bonis suis.

Datum Fulginei, VIII februarii, XIII indictionis.

Lictere iste assignate fuerunt Berardo de Sulmona denunciatori.

Fulginei, 8 februarii.

Mandatum ad justitiarium terrae Idronti quod defensam Tarenti per Bartholomaeum de Bessis custodiri faciat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 recto; in edit. Carcan., p. 344.)

Digitized by Google

De mandato imperiali facto per notarium R. de Sugio scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., A. de Aquaviva justitiario terre Idrouti, etc. Cum velimus quod Bartholomeus de Bessis presentium lator fidelis noster defensam nostram Tarenti debeat custodire, fidelitati tue mandamus quatenus amoto eo qui ipsam hacteuus custodivit, dictum B. super custodia ipsius defeuse statuas et custodire eam facias per eumdem, ab ipso pro parte curie nostre recipiens juramentum quod eam ad honorem et fidelitatem nostram diligenter debeat et fideliter custodire.

Datum Fulginei, VIII februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad portulanos portus Gariliani de equis extra regnum non vendendis, de septima parte pretii victualium recipienda, de facto turris Sanctae Anastasiae. Fulginei, 8 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 recto; in edit. Carcan., p. 344.)

Item lictere responsales :

Fredericus, etc., P. de Sancto Paulo et P. de Pisis (*a*) portulanis portus Gariliani, etc. Benigne recepimus licteras quas vestra nobis devotio destinavit, et earum intellecto tenore studium et sollicitudinem vestram quam in exequendis servitiis nostris vobis commissis habetis, favorabiliter commendamus. Super eo autem de quo certi a nobis fieri postulastis, videlicet si de equis, jumentis et mulis vendendis extra regnum Sicilie jus pro curia nostra accipere deberetis sicut de aliis animalibus, sic duximus respondendum quia nequaquam volumus ut equi, jumenta et muli vendantur extra regnum, sed de illis animalibus accipiatis jus predictum que in primis licteris nostris vobis transmissis plenius distinguuntur. De facto vero victualium sic mandamus ut in portu non de victualibus, sed de pretio ejus (eorum) usque ad aliud mandatum nostrum septimam partem

(*a*) Rectius *de Posis* vel *Posis*; cf. supra, p. 418.

Digitized by Google

ad opus curie nostre recipere debeatis, ab eo tamen qui ipsa extrahere voluerit; redigentes in scriptis nomina extrahentium ipsa et eorumdem victualium quantitatem. De facto turris Sancte Anastasie mandamus R. de Montenigro justitiario Terre Laboris ut ipsam diligenter faciat custodiri ita quod nulla exinde victualia extrahantur.

Datum Fulginei, VIII februarii, XIII indictionis.

Fulginei, 8 februarii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut equos, roncinos et mulos qui fuerunt quondam Matthaei Marcafabae incontinenti ad curiam mittat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 verso; in edit. Carcan., p. 344.)

De imperiali mandato facto per R. de Trentanaria scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus omnes equos, roncinos et mulos qui fuerunt olim Matthei Marchafabe secreti Messane et sunt in justitiariatu tuo, incontinenti post receptionem presentium ad curiam nostram mictas, statuto super equis ipsis et eorum custodibus aliquo bono viro de fidelibus nostris quibus omnibus usque ad presentiam nostram expensas debeas exhibere.

Datum [*ut supra*].

Fulginei, 9 februarii.

Mandata ad Simonem de Petramajore pro quibusdam mercatoribus quietandis, qui pecuniam curiae mutuarunt.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 69 verso; in edit. Carcan., p. 344.)

De mandato imperiali scripsit Albertus :

Fredericus, etc., Simoni de Petramajori, etc. Mandamus et firmiter preci-

Digitized by Google

pimus fidelitati tue quatenus ad requisitionem Simonis de Ursone de Capua fidelis nostri quem apud Fulgineum duximus dimictendum pro solvendis mercatoribus qui pecuniam nostre curie mutuarunt, quadringentas quadragiuta uncias auri ad generale pondus regni de pecunia curie nostre quam defers, debeas sine difficultate qualibet assignare, quibus expeditis ad curiam nostram cum reliqua pecunia te conferas sine mora.

Datum Fulginei, IX (*a*) februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit Laurentius pro assignandis eidem Ursoni unciis auri CCC ad generale pondus ad quietandos mercatores quosdam Romanos qui nonaginta libras Venetianorum grossorum camere mutuarunt.

Eodem die scripsit Roggerius de Petrasturmila Gualterio de Cicala ut recipiat austurem a Robberto de Cagiano et mutari faciat diligenter et bene.

Petrus de Vinea magnae curiae judex in parlamento generali ex parte imperatoris firmam pacem inter omnes ducatus et marchiae fideles servandam praecipit. Fulgini, 9 februarii.

(Memoratum potius quam editum ap. ZANETTI, *Zecche d'Ital.*, t. II, *Delle monete di Fuligno*, p. 5.)

Anno MCCXL, IX octobris (1), indictione XIII, dominus Petrus de Vinea judex domini Federici serenissimi imperatoris, presente et consentiente dicto domino Federico imperatore et dicto domino Petro stante juxta dictum dominum imperatorem, in generali parlamento seu colloquio ambasciatorum multarum civitatum congregato in majori seu cathe-

(*a*) In impresso *XI*, male.

(1) Sic in impresso, ad fidem regesti in archivo Civitatis Castellae asservati; veram tamen et genuinam lectionem fuisse arbitramur *IX februarii*, dum hoc anno mense octobris apud Fulignum Fridericus neque moratus sit neque morari potuerit, sicut infra videbimus.

Digitized by Google

drali ecclesia civitatis Fuligne, jussit et precepit ex parte dicti domini imperatoris firmam et veram pacem inter omnes fideles imperii. Actum apud Fuligne in dicta ecclesia, presentibus domino Enrico rege . . . et totius Italie legato, [etc.]

Coccoione, 9 februarii.

Mandata varia de capiendis gruis vivis et de domibus Cisternae reparandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 recto; in edit. Carcan., p. 344.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Petrasturmila scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Cum pro affaitandis falconibus nostris velimus quod grue vive capiantur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus per terras justitiariatus tui gruas vivas quamplures poterunt capi facias, et ipsas R. de Montefusculo justitiario Capitinate custodiendas facias assignari ut devotionem tuam, etc.

Datum Coccoione (1), IX februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit idem L. de Franco justitiario terre Bari.

Similes scripsit idem R. de Montefusculo justitiario Capitinate, et additum est quod tam illas quas ipse capi faciet quam alias quas predicti justitiarii sibi mictent, per domos imperiales justitiariatus sui recipiat et statuat custodiri.

Item scripsit Alexandro filio Henrici, ut omni mora postposita domos Cisterne cohoperiri faciat et congrue sicut expedit reparari.

(1) Infra tamen *Cuccuione, Cuccuzhone, Coccorone*, in quodam Friderici primi diplomate *Cucurone*, ap. Ricc. de S. Germano *Coccoianum*. Quid sit hodiernum hujus loci nomen non compertum haberemus, dum in geographicis tabulis juxta Fulignum nullum simile nunc appareat, nisi nos ipse Zanetti moneret, loco supra citato : « Dalle ruine del secondo luogo (*Coccorone*) distrutto l'anno 1249, i di cui abitatori furono dal biografo di Gregorio IX chiamati *Cocoronates*, nacque l'odierna illustre terra di *Montefalco*. » P. 5, not. 6.

Digitized by Google

Mandatum ad magistrum Theodorum de litteris scribendis regi Tunisi in lingua arabica. Coccoione, 10 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 recto; in edit. Carcan., p. 345.)

De mandato facto per magistrum P. de Vinea scripsit G. de Tocco:

Fredericus, etc., magistro Theodoro, etc. Ecce mictimus ad regem Tunisi H. Abbatem et notarium Johannem de Panormo fideles nostros vel si forte idem notarius Johannes adversa valetudine prepeditus non posset, R. de Amicis justitiarius Sicilie ultra flumen Salsum fidelis noster ordinabit alium juxta quod sibi licteris nostris mandavimus, mictendum cum predicto H. quem cognoverit oportunum. Cum igitur ipsos nuntios nostros licteras habere deceat ad eumdem regem, mictimus discretioni tue cartam sigillatam et non scriptam, mandantes ut in lingua arabica ex parte nostra scribas eidem regi qualiter mictimus ad eum predictos duos nuntios fideles nostros per quos super hys que inter nos et eumdem regem tractanda sunt, plene sibi nostram patefacimus voluntatem; unde credat eis secure in hys que ex parte nostri culminis dixerint tanquam nuntiis ad eum per nostram celsitudinem destinatis. Intellecto vero negotio per H. Abbatem pro quo ipsos mictimus, conformes te negotio et formes licteras secundum quod honori nostro et qualitati negotii videris expedire.

Datum Coccoione, X februarii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad justitiarium Aprutii de fortellitiis Gualterii et Gentilis de Popleto ad opus curiae captis, de castellanis ordinatis, de istis capiendis qui cum Raynaldo, filio quondam ducis Spoleti, commercia habuerunt, de venatoribus scientibus lupos et vulpes occidere. Coccoione, 10 februarii.

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 recto; in edit. Carcan., p. 345.)

De eodem mandato scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue licteras solita benignitate recepimus et ipsarum continentiam intelleximus diligenter. De eo si quidem quod scripsisti per eas te juxta mandatum nostrum fortellitias Gualterii de Popleto, videlicet castrum Pesculi Aventini et Roccette necnon et aliam terram suam, fortellitias etiam et aliam terram Gentilis de Popleto similiter juxta mandatum nostrum ad opus curie nostre cepisse, de castellanis quoque per te ordinatis in fortellitiis Pesculi et castri Roccette diligentie tue studium commendamus. Quod autem te fecisse scripsisti de negoziato (*a*) Raynaldi Farine de Classina et Johanne filio archipresbyteri Sancti Antimi de Classina, qui coram te confessi fuerunt se ivisse ad R. filium quondam ducis Spoleti et exenia sibi portasse, duximus approbandum, mandantes fidelitati tue quatenus Sinibaldum archipresbyterum Sancti Antimi de Balviano et dompnum Raynaldum Buccellum de Criptis captos et detentos eadem occasione diligenter et studiose facias custodiri; actente procurans ut Johannem de Rocca quem pro firmo constitit ad predictum R. dextrerium unum misisse, capere valeas per personam. De venatoribus bene scientibus interficere lupos et vulpes cum pulvere, quos te misisse scripsisti ad justitiarium Terre Laboris fidelem nostrum, per eum ordinandos in gualdo, tuum studium commendamus.

Datum Coccoione, X februarii, XIII indictionis.

Coccoione, 10 februarii.

Mandatum ad provisorem castrorum Aprutii pro custodia castri Pectorani quod ad Fridericum imperatoris filium pertinet.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 recto; in edit. Carcan., p. 345.)

De mandato imperiali facto per comitem Thomasium Acerrarum scripsit Jacobus de Bantra :

(*a*) Verisimiliter pro *negotiata*, voce in pravum sensum accepta, sicut aliquando gallice *commerce*.

Digitized by Google

Fredericus, etc., Johanui de Raymo provisori castrorum Aprutii, etc. Cum velimus ut iu custodia castri Pectorani quod est Friderici filii uostri nullus defectus habeatur, fidelitati tue mandamus qnateuus considerata quautitate proventnum totius terre sne et deductis exinde expensis uecessariis uxori ejus et familie sue, si residuum ipsorum proventuum sufficiens non fuerit pro custodia dicti castri, tu de pecunia curie nostre que pro custodia et munitione castrorum nostrorum est per manus tuas, snppleri facias, quod detur, sicut hacteuus per Hectorem de Montefnsculo dari extitit consnetnm, facieus supplementum ipsum exhiberi castellano ipsins castri; mandatum nostrum taliter impleturus ut idem castrum cougrue custodiri valeat et devotionem tuam, etc.

Datnm Coccoioue, X februarii, XIII indictionis.

XI octnbris, XIII (*lege* XIV) indictiouis, aput Faventiam (*lege* iu obsidione Faveutie), reuovate sunt iste lictere similes per omnia ad B. de Sugio tuuc provisorem castrorum in locum Johannis de Raymo.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro dandis expensis Lombardello de Imola et aliis falconeriis nec non Berardo de Schultro et canum custodibus. Coccoione, 11 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 verso; in edit. Carcan., p. 346.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexaudro filio Henrici, etc. Lombardellum de Ymola, Renaldum de Aquiuo, Malgerium Sorellnm, Jacobum de Gaudio, Riccardum Filaugerinm, Roggerinm Portastrellnm, Fridericum Muscatum, Obaldinnm fratrem Lombardelli, Scornavaccam, Renaldnm de Castro Maris et Berardum de Aquaviva, falconerios et fideles uostros, cum avibus nostris et canibns, necnon Berardum de Schultro iufirmum, vallectum et fidelem nostrum, in regnum mictimus moraturos; fidelitati tue mandamus

quatenus Lombardello predicto pro se, duobus scuteriis et tribus equis pro XX diebus hujus mensis februarii, XIII indictionis, tres uncias auri ad pondus curie nec non cuilibet predictorum vallectorum tantum pro eisdem diebus, sicut recipere soliti sunt in curia nostra, et Jacobo de Imola falconerio quem mictimus cum eisdem pro se, uno scuterio et duobus equis pro predictis diebus uncias duas ad idem pondus exhibeas; ac deinde in antea donec in regno pro nostris servitiis fuerint, secundum assisam curie et sicut dari consuevit in regno, ad requisitionem dicti Lombardelli et per manus ejusdem pro quolibet predictorum, videlicet pro se, duobus scuteriis et tribus equis, dicto Jacobo de Imola pro se, uno scuterio et duobus equis, predicto Berardo de Schultro pro se, duobus scuteriis et tribus equis usque ad reditum nostrum in regnum, nec non tribus scuteriis marescalle quos cum canibus destinamus pro se et tribus mulis ac Thomasio Bruno falconerio pro se et uno equo a mense marcii in antea, quia pro toto mense februarii de camera solutus est ipse Thomasius, secundum quod etiam fiet auctio vel diminutio personarum, avium sive canum, de pecunia curie nostre que est per manus tuas expensas debeas exhibere; daturus necessaria pro avibus et canibus nostris quos custodiunt, prout idem Lombardellus a te duxerit requirenda, et recepturus ab eo de omnibus que sicut dictum est dederis apodixam.

Datum Cuccuione, XI februarii, XIII indictionis.

Cuccuione, 11 februarii.

Mandatum ad custodes aerarii pro Petro Magno et Alberto Busoli mercatoribus Parmensibus de pecunia quam camerae mutuaverunt quietandis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 70 verso; in edit. Carcan., p. 346.)

Item scripsit:

Fredericus, etc., Angelo de Marra et Eufranoni de Porta custodibus erarii in castro Salvatoris ad mare, etc. Quia Petrus Magnus et Albertus

Busoli, mercatores Parmenses, fideles nostri, vallectis nostris de Lubech nuper redeuntibus triginta sex uncias auri ad generale pondus regni pro parte nostre curie mutuarunt, ad faciendas videlicet expensas pro se et falconibus quos portabant, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus statim visis hys licteris, triginta sex uncias auri ad generale pondus regni restituatis dicto Petro omni difficultate remota; ipsos etiam et socios eorumdem de alia pecunia quam nostre camere mutuarunt, pro quibus super eadem vobis scripsimus, juxta tenorem licterarum quas habent quam citius poteritis integre quietare curetis.

Datum Cuccuione, XI februarii, XIII indictionis.

Litterae patentes et mandata pro duobus mercatoribus Romanis de pecunia quam camerae mutuaverunt per custodes aerarii quietandis. Cuccuione, 11 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 70 verso; in edit. Carcan., p. 346.)

Item scripsit litteras patentes:

Fredericus, etc. Notum, etc., quod Nicolaus Johannis de Angelo civis Romanus fidelis noster, dum nobis humiliter supplicasset quod cum Thomasius de Galiano de Lentino qui pro amministratione quam super extractione frumenti pro curia nostra minus bene exercuerit captus fuit, infiscatis omnibus bonis suis, debitor ejus existeret in unciis auri centum viginti quatuor ad generale pondus regni, nos ipsam pecuniam sibi restitui mandaremus, nos facta pridem de ipso debito nostre curie plena fide, dictam pecuniam usque ad festum Nativitatis Dominice hujus XIII indictionis eidem N. curiam nostram promisimus soluturam, prius etiam si prius in regnum redire nos personaliter contigisset; super quo scripsimus venerabilibus J. Capuano archiepiscopo et P. episcopo Ravellensi, dilectis familiaribus nostris, tunc temporis in regno gerentibus vices nostras, ut si contingeret nos in regnum dicte Nativitatis Dominice termino non re-

dire, dicto N. solvi facerent pecuniam memoratam. Idem vero nuper rediens et ostendens per licteras archiepiscopi Capuani cui soli nostras licteras dederat, absente episcopo Ravellense qui quidem ad nos jam venerat vocatus a nobis, dictam pecuniam sibi non fuisse solutam, eo quod officiales mutati erant et mandatum de assignanda cuiquam pecunia non habebant, sed de ea ad nostrum erarium transmictenda, conventionem cum curia nostra fecit quod in kalendis augusti proximo futuri hujus XIII indictionis debeat integre de ipso debito quietari per Angelum de Marra et Eufranonem de Porta custodes, etc., ad quos ipsum cum licteris nostris duximus transmictendum. Quod si pecunia non soluta dictus solutionis terminus pertransiret, deinde in antea quamdiu solutio differretur ana tres uncias pro centenario in mense pro dampnis et interesse ipsa solvere tenebuntur de pecunia nostra ipsorum custodie deputata, et nichilominus de eadem solvent integre tres uncias supradictas eidem. Ad cujus, etc., presentes licteras, etc.

Datum Cuccuione, XI februarii, XIII indictionis.

Similes clausas per eadem verba scripsit pro eodem ad eosdem custodes, addita conclusione quod ipso termino solvant uncias ipsas ei vel nuntio aut procuratori.

Similes apertas et clausas per eadem verba scripsit idem pro Johanne Guiczonis Romano de unciis auri centum triginta sex ad generale pondus.

Cuccuzhone, 12 februarii.

Mandata ad Riccardum de Pulcaro et ad Theodorum philosophum de sciropis et zuccaro violaceo ad opus principis et camerae faciendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 recto; in edit. Carcan., p. 347.)

Mandante domino imperatore per magistrum Roggerium de Camera scripsit R. de Salerno :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Ecce quod magistro Theodoro philosopho et fideli nostro damus nostris licteris in mandatis ut de

sciropis et zuccaro violaceo (1) tam ad opus nostrum faciat quam ad opus camere nostre, in ea quantitate sicut circumspectio viderit expedire. Propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem dicti philosophi nostri zuccarum et omnia alia necessaria pro zuccaro et sciropis predictis faciendis studeas sine defectu quolibet exhibere eidem de pecunia curie nostre que est per manus tuas.

Datum Cuccuzhone, XII februarii, XIII indictionis.

Item eodem die de eodem mandato scripsit idem magistro Theodoro ut sciropos et zuccarum violaceum tam ad opus domini quam et pro camera faciat in ea quantitate quam viderit expedire et expensas recipiat a Riccardo de Pulcaro et significet domino statum suum.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro expensis custodibus canum principis exhibendis. Cuccuzhone, 12 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 recto; in edit. Carcan., p. 347.)

Item scripsit idem :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem et ordinationem Petri de Dragone fidelis nostri, pro canibus nostris Adenulfi Pardi et Bartolotti de Squil-

(1) In cod. 455, *fonds Saint-Germain Harlay*, fol. 39 recto, n° LXXIII, et in aliis ejusdem bibliothecae Cesareae codicibus, adest epistola ad Petrum de Vinea ab eodem Theodoro directa, ubi de hoc saccharo violaceo agitur, his verbis : « Prudentissimo hominum suo tanquam domino, » domino magistro P. de Vinea Theodorus philosophus salutem et in multa commendatione se » ipsum. Quantum tripudium mihi esset si vera de vestro statu desiderabili expectationibus » meis aliquis nunciaret, nec pagina, puto, capere nec lingua referre valeret, etc. Et ecce in » nostri memoriam de zucaro violaco plenam pixidem mitto vobis, ut alicui me non tradatis » neglectui qui nollem a vobis aliquo intersticio telluris abjungi. » Saccharum autem violaceum quamdam mixturam saccharo et violarum floribus confectam fuisse credimus, qua his etiam diebus in orientis partibus utuntur. De hac eadem mixtura, pharmaco potius quam edulio, in suo opere *Antidotarium*, cap. XV, *De confectionibus*, disseruit Arnaldus Villanovanus.

Digitized by Google

lacio fidelium nostrorum custodie deputatis, custodibus eorumdem canum pro eisdem A. et B., scuteriis et equitaturis eorum juxta assisam curie nostre in regno, expensas amodo debeas exhibere de pecunia curie nostre, que est per manus tuas.

Datum Cuccuzhone, XII februarii, XIII indictionis.

XII [februarii] ibidem, de mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit P. de Capua ad magistrum Johannem de Palmerio notarium domini qui erat apud Sanctum Flavianum ut incontinenti ad presentiam domini veniat cum pecunia curie quam habet ibi, per viam Nursii, Cassii et Fulginei.

Scriptum est etiam Robberto de Castilione ut det ei securum transitum et conductum.

Cucuzhone, 12 februarii.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro indumentis et expensis Nicolao Diridae qui tendit ad grues exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 recto; in edit. Carcan., p. 347.)

De imperiali mandato facto per magistrum B. [leg. *R.*] *de Petrastormula scripsit Laurentius :*

Fredericus, etc., A. filio Henrici, etc. Mandamus tibi quatenus magistrum Nicolaum Diridam qui tendit ad grues, fidelem nostrum, uxorem et unum scuterium ipsius hac vice induas competenter et eidem expensas exhibeas, sicut hactenus eum inveneris de statuto nostre curie recepisse, cavens ne occasione tui a commissorum sibi servitiorum nostrorum executione desistere compellatur.

Datum Cuccuzhone, XII februarii, XIII indictionis.

Cuccuzhone, 12 februarii.

Mandatum ad custodes aerarii de pecunia apud Introducum per Simonem de Ursone transmittenda.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 recto; in edit. Carcan., p. 347.)

Digitized by Google

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., Angelo de Marra et judici Eufranoni de Porta custodibus erarii Salvatoris ad Mare, etc. Cum pecunia sit ad presens curie nostre plurimum oportuna et honori nostro non parum expediat pecuniam habere pre manibus, mandamus et precipimus firmiter fidelitati vestre quatenus totam pecuniam curie nostre que apud vos est, per Symonem de Ursone civem Capue fidelem nostrum quem propterea specialiter destinamus, apud Introducum visis hys licteris sine mora qualibet transmictatis, deinde ad nostram presentiam deferendam, presens mandatum, etc.

Datum Cuccuzhone, XII februarii, XIII indictionis.

Similes lictere facte sunt R. de Montenigro justitiario Terre Laboris.

Mandatum ad secretum Panormi pro inquisitione facienda de qualitate excadentiarum quas olim tenuit Johannes Capicza. Coccorone, 13 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 verso; in edit. Carcan., p. 348.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de qualitate excadentiarum quas olim tenuit a curia nostra in Panormo Johannes Capicza et quanti valoris per annum existant et utrum sint homines in eisdem, diligenter inquiras et quicquid inde inveneris sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas.

Datum Coccorone, XIII februarii, XIII indictionis.

Mandata pro roncinis assignandis Lombardello falconerio et aliis curiae falconeriis. Coccorone, 13 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 verso; in edit. Carcan., p. 348.)

Digitized by Google

De mandato imperiali facto per dominum Raonem scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Licet per alias licteras nostras mandavimus tibi ut omnes equos, ronciuos et mulos qui fuerunt olim M. Marchafabe secreti Messane et sunt in justitiariatu tuo, micteres ad curiam nostram, volumus tamen et mandamus fidelitati tue quatenus ad requisitionem Lombardelli falconerii nostri pro se et aliis falconeriis nostris qui cum eo morantur, sive de predictis ronciuis sive de illis qui fuerunt olim magistri J. de Laurentio aut de quibuscumque roncinis curie nostre qui sint in manibus tuis aut in justitiariatu tuo, quot ipse fore necessarios viderit et a te petierit, sibi facias assignari, ita tamen quod non sint equi de armis nec muli nec boni palafredi, et quot ei roncinos dari facies tuis nobis licteris significare procures.

Datum Coccorone, XIII februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit idem A. filio Henrici pro Carnelevario de Papia et aliis falconeriis qui sunt cum eo.

Coccorone, 13 februarii.

Mandatum ad bajulos Sancti Fabiani pro mittendo in Apuliam stallone curiae qui est in ipsa terra.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 verso; in edit. Carcan., p. 348.)

Item scripsit :

Fredericus, etc., bajulis Sancti Fabiani (*a*), etc. Fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus stallonem nostrum qui est in terra ipsa per aliquem fidelem et probum virum qui ipsum caute ducat moderatas faciendo dietas, mictatis in Apuliam apud Tertiam et eum G. de Castenga fideli nostro assignari faciatis, providentes predicto nuntio quem cum eo miseritis in expensis juxta assisam curie, et pro stallone predicto sufficientes expensas usque ad locum predictum prebere debeatis; restituatis

(*a*) Sic in impresso; forsitan legendum *Sancti Flaviani*.

Digitized by Google

etiam expensas scutifero qui ipsum hactenus custodivit ab eo tempore quo idem eas non habuit et vobis constiterit non habuisse.

Datum Coccorone, XIII februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Aprutii de mittendis octo militibus et ducentis servientibus Jacobo de Morra capitaneo ducatus Spoleti. Coccorone, 13 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 verso; in edit. Carcan., p. 348.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco:

Fredericus, etc., B. Piscioно justitiario Aprutii, etc. Cum Jacobum de Morra (a) fidelem nostrum capitaneum in ducatu Spoleti duxerimus statuendum, quem oportebit pro servitiis nostris habere milites et servientes de regno nostro oriundos, idoneos et fideles, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de justitiariatu tuo eligas octo milites bene munitos equis et armis, fideles et idoneos, et ducentos servientes decenter armatos panceriis et aliis armis omnibus oportunis, qui non sint oriundi de terris que dudum tempore scismatis adheserunt Ecclesie; milites etiam ipsa labe infidelitatis non fuerint infecti, et eos omnes tam milites quam servientes ad eumdem Jacobum de Morra fidelem nostrum transmictas. Ipse enim Jacobus militibus ipsis in statutis solidis providebit, servientibus etiam solidos ministrabit, quos tu eisdem promiseris, statum eorum et remotionem eorum considerans regionis, prout melius ad utilitatem curie nostre videris expedire; significaturus eidem Jacobo per licteras tuas solidorum quantitatem quam servientibus ipsis duxeris promictendam.

Datum Coccorone, XIII februarii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, camerariis comitatus Alesinae mandat ut quadraginta sertas anguillarum juxta dona- Coccorone, 13 februarii.

(a) Hic et in margine *de Marra*, minus recte.

Digitized by Google

tionem quondam comitis Mathaei, abbati et conventui Sancti Petri Terrae Majoris exhiberi faciant.

(Inedit. ex membranis regiae siclae apud Neapolim, in transumpto de anno 1271, cujus meminit Scottus, *Syllab. membran.*, t. I, p. 46.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, camerariis comitatus Alesine, etc. Significaverunt nobis venerabilis abbas et conventus monasterii Sancti Petri Terre Majoris fideles nostri, quod ex concessione comitis Mathei dudum facta monasterio nominato, quatraginta sertas anguillarum apud Alesinam debeat recipere annuatim, sicut in scriptis ipsius comitis continentur. Quas anguillas donec terra fuit in manu ipsius comitis habuerunt, et postquam ad demanium nostrum eam revocavimus, dictas anguillas minime perceperunt. Quare nobis humiliter supplicarunt quatenus quantitatem anguillarum ipsarum eis exhibere de nostra gratia mandaremus. Cum igitur hujusmodi elemosina nominatum monasterium nolimus nostro tempore defrandari, mandamus firmiter precipientes quatenus inspecto tenore scripti comitis nominati, juxta tenorem ipsius, et secundum quod tempore predicti comitis easdem anguillas prefatus abbas et conventus recipere consueverunt annuatim, sic eas sibi faciatis sine diminutione aliqua anno quolibet exhibere.

Datum Catanie (1), tertiodecimo februarii, tertiedecime indictionis.

Apud Aquam Spartam, 15 februarii.

Mandata ad justitiarium Aprutii pro faciendis inquisitionibus super denuntiationibus quibusdam curiae praesentatis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 71 verso; in edit. Carcan., p. 348.)

(1) A tempore quo sibi titulum regis Jerusalem Fridericus adscripserit, scilicet ab anno 1225 exeunte, annum 1240 tertiae decimae indictioni respondere comperimus. Quum tamen hoc anno, mense februario, apud Cataniam morari imperator non potuerit, quamdam in transumpto mendam irrepsisse credimus, dum pro nomine loci pene incogniti *Cocoione*, scriba forsitan *Catanie* sub calamo habuerit.

Digitized by Google

De mandato [facto per magistrum Petrum de Vinea] scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario [Aprutii], etc. Denunciationes quasdam nuper nostre curie presentatas mictimus tibi presentibus interclusas, et earum exemplum in nostra camera conservatur. Mandamus igitur et precipimus fidelitati tue quatenus de omnibus ipsis denuntiationibus inquisitionem studeas facere diligentem, et ea facta, quos culpabiles et puniendos inveneris per eamdem, mediante justitia punias, ita quod illata delinquentibus pena sit similia cogitantibus ad terrorem et revocet eos a proposito delinquendi.

Datum apud Aquam Spartam, XV februarii, XIII indictionis.

Lator fuit Petrus Berardi Johannis scuterius de Sulmona [qui denunciationes fecit (*a*)].

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., B. Pisciono, etc. Denuntiationes quasdam per Johannem de Meta fidelem nostrum nuper nostre curie presentatas mictimus tibi presentibus interclusas, et earum exemplum in nostra camera conservatur. Mandamus igitur et precipimus fidelitati tue quatenus de omnibus ipsis denuntiationibus inquisitionem facias diligentem, et factam sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas.

Datum [*ut supra*].

Lator fuit idem Johannes de Meta.

Mandata ad Angelum de Marra et Riccardum de Pulcaro de assignando castro Salvatoris ad Mare Johanni de Amato pro mora dominae imperatricis. Apud Ortam, 16 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 recto; in edit. Carcan., p. 349.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Quia placet excellentie nostre

(*a*) Haec uncis inclusa adduntur e margine.

ut karissima consors nostra, etc., in castro Salvatoris ad Mare morari debeat, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis licteris castrum Salvatoris quod hactenus de mandato nostre celsitudinis custodisti, Johanni de Amato fideli nostro assignes ut illud sicut expedire viderit faciat ordinari et disponi. Tu vero de hys que in castro ipso assignaveris, fieri facias tria scripta authentica, unum servandum a te ad cautelam tui, aliud servandum ab ipso Johanne de Amato, tertium ad nostram cameram dirigendum.

Datum apud Ortam, XVI februarii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Quia placet, etc., *per eadem verba usque ad conclusionem, deinde :* Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si dictus Johannes de Amato ultra illos de familia sua ad custodiam castri aliquos viderit ordinandos qui pro ipsis necessarii fuerint, ipsi J. fideli nostro sine defectu studeas assignare, recepturus de hys que dederis apodixam.

Datum [*ut supra*].

Apud Ortam, 16 februarii.

Mandatum ad justitiarium Aprutii de quinquaginta unciis auri pro facto castri Cassiae exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 recto; in edit. Carcan., p. 349.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Quia pro facto castri Cassie adimplendo, de habendo eo videlicet ad fidelitatem imperii in instanti, sicut utilitas negotiorum nostrorum exposcit, Robberto de Castellione fideli nostro mandatum misimus speciale, nec decet aliquatenus ut negotium ipsum defectu aliquo causam dante remaneat imperfectum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus statim visis hys licteris ad

Digitized by Google

reqnisitionem dicti R. qninqnaginta nncias auri ad generale pondus nuncio ejus facias exhiberi, si de pecunia cnrie nostre habes ad manus vel si eam mntno invenire deberes. Licet enim mandavimus olim nt omnis pecunia per collectores statutos ad certa loca deferri deberet, quia tamen negotium supradictum celeritatem desiderat nec patitur moram, volumns ut ipsas uncias dicto R. transmictas. Non enim poterit collectoris copia tam cito haberi pro recipienda pecunia snpradicta.

Datnm apnd Ortam, XVI februarii, XIII indictionis.

Lator Petrus de Civita Teatina nuncius domini Jacobi de Morra (*a*).

Mandatum ad Andream de Cicala ut inhiberi faciat ne quis in regno equos ad arma vendere praesumat. Apud Ortam, 16 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 recto; in edit. Carcan., p. 349.)

Item :

Fredericns, etc., Andree de Cicala capitaneo citra portam Roseti, etc. Plnres nobiles et magnates nobis sepins supplicant nt equos quos emunt in regno, ipsos extra regnnm extrahere permictamus : quod omnino nostre sicut nosti non residet voluntati. Cum igitnr causam supplicationum hujusmodi,quibus interdum coacti quodammodo per aliquorum instantiam inclinamnr, precidi velimus, fidelitati tue precipiendo mandamns quatenus per omnes jnsticiarios jurisdictionis tne sub certa et gravi pena districte ac firmiter facias generaliter omnibus inhiberi ne aliquis extraneis et eis qui debent eos extrahere ac transeuntibus specialiter vendere aliqnos eqnos ad arma presumat. Sic enim talibns precludetur materia supplicandi ex quo non invenient ad emendum.

Datnm apnd Ortam, XVI februarii, XIII indictionis.

Lator notarius Symon nuntins G. de Anglone justitiarii citra flumen Salsum (*b*).

(*a*) Haec adduntur e margine.
(*b*) Haec adduntur e margine.

Digitized by Google

Similes fecit Ptolomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane ut ipse universis hominibus sue jurisdictionis inhibeat in forma predicta.

Similes Goffrido de Montefuscolo justitiario Calabrie.

Similes G. de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum.

Similes R. de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum.

Apud Ortam, 16 februarii. Inquisitio commissa justitiario Aprutii contra Andream et Johannem de Pontibus.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 recto; in edit. Carcan., p. 349.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Significavit excellentie nostre Bartholomeus de Tallacozzo fidelis noster quod Andreas et Johannes de Pontibus in castro Tallacozzi turrim construxerunt de novo in quo nunquam turrim esse consuevit. Cum igitur hoc contra prohibitionem nostram factum videatur, volentes exinde plene scire certitudinem veritatis, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus per aliquem fidelem virum de quo nulla suspictio haberi possit, inquiri facias super hoc diligentius veritatem : quo tempore scilicet turris ipsa constructa sit et in qua parte castri et cujus etiam altitudinis et forme consistat, et quicquid exinde inventum fuerit sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas.

Datum apud Ortam, XVI februarii, XIII indictionis.

[Februario.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit senatori et populo Romano ut mittant proconsules suos ad eum, quibus honores et officia vult conferre.

Digitized by Google

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. III, cap. LXXII. Nunc coll. cum codicibus Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, 202, et *anc. fonds latin*, 2954.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator, senatori populoque Romano, etc. Ardens semper fuit cor nostrum ab etatis nostre principio, postquam regalem indolem illustris natura Cesarum de virtute contingente prevenit; et eadem continuata voluntas cum dignitate succedente concrevit, sicut nuncii vestri ad nostram frequenter presentiam destinati (cum quibus de corde puro et constantia non ficta contulimus), potuerunt ad publicam vestram noticiam pertulisse nostrum constans propositum et affectum, ut autorem pariter et auctricem imperii Romani reformaremus Romam in statu dignitatis antique, ac proceres ac cives suos, cum quibus respublica consuevit hactenus longe lateque magnificis titulis exaltari, ex commisso nobis imperii honoris onere, non indigne ad partes solicitudinis vocaremus; quosdam preficientes circa latus nostrum publicis officiis aule Cesaree; quosdam ad presidiatus regionum pariter et regnorum ac provinciarum administrationes et regimina statuentes; aliis per diversa officia prefecturarum prout nobilitas exigit et industria singulorum, propensiori studio deputatis, ut que in principem Romanum cuncta officia et sua transtulerat, eadem felix Roma nichilominus particeps onerum et laborum coadjutrix accedat, nec sit expers honorum quorum ipsa contulit incrementa. Non patientes igitur concepte voluntatis commoda diutius prorogari, sed ut ad decus et honorem Urbis nobiles Romani presideant officiis et dignitatibus illustrentur, universitatem vestram monemus, sollicitamus et hortamur attentius quatenus proconsules vestros, Nepoleonem Johannis Gaetani comitem, Joannem de Polo, Ottonem Frangepanem et Angelum Malabrancam, dilectos nostros, absque difficultate more ad nostram presentiam transmittatis, honores et onera subituros quibus singulos eorum duximus deputandos, ut felici nostro tempore in urbe Romana Romulei sanguinis honos appareat, Romanum diadema (a) prefulgeat, et antiqua renovetur dignitas Romanorum, et fiat nexus indissolubilis gratie nostre inter Romanum

(a) Alibi *idioma*, minus recte.

Digitized by Google

imperium et Romanos; quam nos et nostra tota Cesarea successura progenies circa Romani status honorificentiam et augmentum teneamur perenniter ampliare. Ceterum que Theodemus (1) judex curie nostre, fidelis noster, ex parte nostra vobis dixerit, credere debeatis fideliter.

[Viterbii, februario.] Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis nuntiat se resumptis Civitate Castellae, Orta et aliis castris, Viterbium pervenisse; unde locis omnibus ad se vel ad nuntios suos acclamantibus, Romam feliciter favente sibi populo Romano ingredi disponit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindob. dicto *Philologus*, n° 305, fol. 130 verso, 131 recto.)

[Fredericus, etc.]. Qualiter felices processus nostros continua successuum comitentur augmenta vobis insinuamus ad gaudium, sicut cedit nobis jugiter ad provectum. Sciatis igitur quod nobis per Tusciam transeuntibus et omnibus juxta propositum nostrum tam in civitatibus quam in castris ad honorem nostrum et imperii ordinatis, pervenientes ad Civi-

---

(1) In cod. Notre-Dame, *Theothimus;* in cod. 2954, *Cyprianus:* quam ultimam lectionem multo potiorem censemus, quum in nostris documentis Cyprianus judex aliquando memoretur. Cujus etiam epistolam in collect. La Porte du Theil ex cod. Vatic. 7024, fol. 335, repertam, dum ad res Friderici nostri pertineat hic edendam volumus :

« Discreto et sapienti viro magistro P. venerabili archipresbytero Regino, Cyprianus imperialis curie judex salutem et in cunctis feliciter prosperari. Licet altera vice apud Regium pro parte domini imperatoris et sub banno imperiali duxerimus statuendum ne quis uteretur litteris papalibus vel legati, tamen considerantes fidei puritatem et devotionis constantiam quam dominus Philippus de Sesso (*sive* Sesto) clericus erga imperium et ejus curiam habuit, eidem dedimus licentiam quod uti possit litteris papalibus in acquirendo beneficio et prebenda quam olim dominus archidiaconus Pergamensis habuit in ecclesia Regina. »

A tergo « venerabili archipresbytero Regino. » Vestigium sigilli latum. Licet autem inseratur epistola sub anno Gregorii IX nono, scilicet 1235, non ante annum 1239 hanc reponendam esse pro certo habemus.

Digitized by Google

tatem Castelle que per Ecclesiam illicite fuerat occupata, eam in nostram reduximus ditionem, et abinde ducatum Spoleti potenter ingressi civitates et castra que nostrum potissime prestolabant adventum ad nostram felicitatem resumpsimus, paucis exceptis ad quorum cohercionem capitaneum cum ingenti exercitu statuentes, direximus prospere gressus nostros pro recipiendis terris aliis que violenter dudum detente per alios ad nostrum et imperii dominium acclamabant. Sic igitur civitate Orte resumpta et habito transitu per eamdem, ubi ad imperialem cameram nostram Viterbii prosperum accessum nostrum sors secunda perduxit, vota omnium ad fidelitatem nostram prompta invenimus omnique devotione parata, universis et singulis expectantibus diem illum quo ad mandatum et beneplacitum nostrum se visa nostra desiderata presentia dediderint; et abinde nunciis nostris undique destinatis, omnes citra portas Urbis et in Maritima constituti taliter ad nostrum et antiquum imperii dominium devotis affectibus et votis ardentibus surrexerunt quod vix poterant suffecisse nuncii ad recipiendum civitates et castra, sic erat frequens et prompta dedicio plurimorum. Marchia vero Anconitana per filium nostrum H. illustrem regem Turrium et Galluris quem illuc prudentia nostra diu ante premiserat, in manus nostras se dederat, paucis civitatibus dumtaxat exceptis que ad felicem nostrum adventum deditionis sue propositum suspenderunt; quas idem rex nuper abscedens a nobis juxta mandatum et ordinationem nostram, sicut confidimus, obtinebit. Restat igitur ut favente nobis universo populo Romano nostroque sicut cepit adventui acclamante, Urbem feliciter ingredi disponamus ut antiquos imperii fastos et triumphales lauros victricibus aquilis debitas reformemus, ut calumniatores (*a*) nostri sera penitentia deducantur, dum videre poterunt cominus et timere quem dissolutis labiis provocarunt. Per vos itaque et omnes fideles nostros exultacio ista pertranseat et fiant omnes nostrorum participes gaudiorum, quos nativa fidelitas ad honorem nostrum reddit sollicitos et attentos.

(*a*) In codice *nuntiatores* vel *mintiatores*, pessime.

Digitized by Google

Viterbii, 21 februarii.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro dandis expensis magistris sarracenis, custodibus animalium et aliis laborantibus in Melfia, Canusio et Luceria.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 verso; in edit. Carcan., p. 350.)

De mandato imperiali facto per dominum Johannem Morum scripsit Jacobus de Bantra:

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus magistris sarracenis, tarisiatoribus, carpentariis, magistris facientibus arma, custodibus camelorum, custodibus uuche et tabaccorum (1), custodi viverii et ceteris magistris qui tam de ferro quam de arcubus et aliis operibus laborant ad opus nostrum in Melfia, Canusio et Luceria, qui a T. de Brundusio expensas recipere consueverunt, secundum quod ab ipso recipiebant, easdem expensas et alia necessaria pro eisdem servitiis faciendis et custodiendis animalibus supradictis, pro se, discipulis, scuteriis et equitaturis eorum, sicut per dictum T. soliti sunt recipere, debeas exhibere, ut iidem in predictis servitiis nostris faciendis defectu expensarum excusationem aliquam non pretendant, et de hiis que dederis ab ipsis recipias apodixam.

Datum Viterbii, XXI februarii, XIII indictionis.

Viterbii, 21 februarii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris de recipiendis quibusdam scriptis ab episcopo Gaietano.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 verso; in edit. Carcan., p. 350.)

---

(1) Quae sint animalia his vocibus ex persico vel arabico sermone ut videtur depromptis designata non plane scimus. Forsitan intelligendum de his quae gallice vocamus *once* et *hyènes*.

Digitized by Google

Item scripsit idem :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Intellexit serenitas nostra quod episcopus Gajetanus habeat quedam scripta ex quibus si haberemus ipsa, magnum curie nostre commodum eveniret, et cum idem velit ea nobis sicut audivimus exhibere, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus data sibi securitate veniendi ad te, loquaris cum eo inter confinia regni et territorium Terracene; ita quod ipse ad aliquam terram regni hac occasione nequeat pervenire, et querens ab eo de scriptis predictis inducas ipsum caute quod illa tibi assignet; quibus ab eo receptis ea sub sigillo tuo studeas ad nostram presentiam destinare.

Datum Viterbii, XXI februarii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad justitiarium Terrae Laboris de inquisitionibus factis contra suspectos in comitatu Molisii et Fundano, de castris Insulae et Pastinae, de fortellitiis suspectorum existentium circa fines regni diligenter custodiendis. Viterbii, 21 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 72 verso; in edit. Carcan., p. 350.)

Item scripsit idem :

Fredericus, etc., R. de Montenigro, etc. Benigne recepimus licteras quas tua nobis fidelitas destinavit et earum tenorem intelleximus diligenter, studium et sollicitudinem tuam quam in exequendis servitiis nostris tibi commissis et in cunctis aliis que nostrum commodum respiciunt et honorem incessanter te gerere novimus et habere, favorabiliter commendantes. Placet insuper nobis processus tuus habitus juxta mandatum nostrum contra illos quos inquisitio per te facta in comitatu Molisii et Fundani de crimine infidelitatis accusat. Super hys autem que significasti nobis de magistro N. de Fundis, R. (*a*) fratre ejus et aliis qui suspecti dicuntur, cum ex tenore licterarum tuarum plene probatum non

(*a*) In margine *Riccardo.*

viderimus contra eos ad presens, ultra non vidimus procedendum. Tue providentie relinquentes ut si poterit ex ipsorum mora aliquod servitiis nostre curie periculum evenire aut pacifico statui regionis afferri, id exinde facias quod ad honorem nostrum et commodum debeat redundare. De castris vero Insule et Pastine nichil aliud ad presens nisi quod factum est inde fieri volentes, fidelitati tue mandamus quatenus eidem negotio supersedeas nec ultra procedas donec aliud mandatum a nostra recipias majestate; verumtamen volumus et precipimus fidelitati tue quatenus si fortellitie sunt in illis terris aut in aliis terris suspectorum nostrorum existentibus in regni confinio circa partes ipsas, eas diligenter facias ad honorem nostri culminis custodiri de terrarum proventibus earumdem.

Datum Viterbii, XXI februarii, XIII indictionis.

Viterbii, 22 februarii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut det expensas Gualterio de Cicala pro tribus mensibus.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 72 verso; in edit. Carcan., p. 350.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua:

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Dudum Gualterio de Cicala fideli nostro quedam servitia culminis nostri in Urbe commisimus exequenda, mandantes ipsum ad Urbem procedere, in Terram Laboris redire, ire iterum apud Urbem et ad nostram presentiam se conferre, et expensas duorum mensium infra quos videbatur servitia ipsa posse complere, per Angelum de Marra fidelem nostrum sibi precipimus elargiri. Nuper sane insinuante predicto G. nostra serenitas intellexit quod ultra illos duos menses aliis tribus mensibus oportuit eum in ipsis nostris servitiis commorari, pro quibus expensas aliquas non recepit. Quare fidelitati tue mandamus quatenus si constiterit tibi jamdictum G. predictis tribus

Digitized by Google

mensibus in ipsis servitiis nostris perstitisse nec recepisse per eos expensas ab Angelo supradicto, tu eidem de pecunia curie nostre que est per manus tuas pro dictis tribus mensibus des expensas, secundum quod dare idem Angelus de mandato nostri culminis consuevit, et recipias ab eo exinde apodixam.

Datum Viterbii, XXII februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Aprutii de facienda inquisitione contra Oddonem Dodonem et Landulfum de Squintrone qui se infideliter gesserunt. Viterbii, 22 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 recto; In edit. Carcan., p. 351.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Intellexit serenitas nostra quod presbiter Oddo Dodo et Landulfus de Squintrone tempore preterite discordie inter nos et Ecclesiam contra honorem nostrum infideliter se gesserunt, adherendo regi Johanni qui contra nos per Ecclesiam missus erat in regnum, et adhuc etiam reliquias detinent preterite factionis. Quod cum nostre majestati jure displiceat, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquisita super hoc diligentius veritate, si tibi constiterit ita esse, eos protinus de regno expelli facias, bonis eorum omnibus ad opus nostre curie publicatis.

Datum Viterbii, XXII februarii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad Guillelmum de Sancto Fraymundo de assignanda quadam pecuniae quantitate quam habet Stephano de Romoaldo recollectori pecuniae. Viterbii, 22 februarii.

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 recto; in edit. Carcan., p. 351.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., G. de Sancto Fraymuudo, etc. Beuigne recepimus licteras tuas et earum tenorem iutelleximus diligenter. Super eo quod significasti uobis te habere quamdam quantitatem pecuuie de pecunia curie nostre et velle ipsam assignare cui placeret nobis et mandaremus nostris licteris assignaudam, volumus et mandamus fidelitati tue nt totam quantitatem pecunie curie nostre S. de Romoaldo, recollectori pecunie nostre ipsarum partium, debeas assignare, recipieus ab eo exinde apodixam.

Datum Viterbii, XXII februarii, XIII indictiouis.

Scriptum est per eumdem supradicto Stephano de Romoaldo recollectori quod supradictam quantitatem recipiat ab eodem ad opus curie.

Viterbii, 22 februarii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro pro dandis expensis Diopuldo de Fronburch vallecto principis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 recto; in edit. Carcan., p. 351.)

De imperiali mandato facto per magistrum Roggerium de Petrasturmila scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Riccardo de Polcaro, etc. Mandasse dudum recolimus Angelo de Marra ut Diupuldo de Fronburch vallecto et fideli nostro veuieuti ad balnea Puteolana pro curatione infirmitatis qua tunc temporis gravabatur, donec ibidem et etiam apud Salernum moraretur occasioue predicta et in redeundo ad preseutiam nostram, daret expensas pro se, duobus scnteriis et tribus equis. Nuper autem ex ejus insinuatione percepimus quod ex quo Angelus de Marra predictus ab officio est amotus, expensas prout mandavimus non recepit, et cum ad presentiam nostram venire intendat, expeusas nichilominus habere non potest ex occasione

Digitized by Google

dumtaxat quod dicto Angelo amoto ab officio tibi commisso, tu eidem vallecto exinde non respondes sine mandato nostri culminis speciali. Quare mandamus quatenus si tibi constiterit de premissis que nuper per eum nostre celsitudini nuntiantur, tu eidem Diupoldo juxta predicti mandati nostri tenorem, pro eo tempore quo morans pro sua curatione ut dictum est non recepit expensas ab Angelo memorato et pro veniendo ad nos, expensas debeas exhibere, si eas videlicet ab eodem Angelo non recepit.

Datum Viterbii, XXII februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justiciarium Principatus super redditibus terrae Ripaelongae et ut filii Delitiae Caraczolae et Bartholomaei Carafae se Caraczoli Carafa denominent. Viterbii, 23 februarii

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 recto; in edit. Carcan., p. 351.)

« De imperiali mandato per magistrum R. de Camera scripsit justi-
» ciario Principatus Aprutii (*a*) ut annui redditus super terram Ripelonghe
» spectantes ad Delitiam Caraczolam uxorem Bartholomei Carafa ejus
» vita durante deveniant, ad filios, nepotes et pronepotes descendentes
» ex eadem Delitia et prefato Bartolomeo filio Filippi Caraffa de Spina
» ex consulibus olim reipublice Neapolitane, cum hoc ut ipsos se deno-
» minent Caraczoli Carafa ex Sigismundis antiquis dominis Sardinie,
» sicut supplicavit humiliter dicta Delitia et imperiali nostra authoritate
» fuit elargitum, per patentes licteras constat, et de regia curia obser-
» vari faciat quantum gratia diligitur et indignationem (*sic*) cupitur
» evitari (*b*).
» Datum Viterbii, XXIII februarii, XIII indictionis. »

(*a*) Sic. *Aprutii* vero interpolatio seu menda irrepsit.

(*b*) Notanda est parum legitima et suspecta hujus mandati forma. Insuper in impresso inversis commatibus concluditur, quae cassatas seu cancellatas litteras indicare solent.

Digitized by Google

Viterbii, 23 februarii.

Renovatio mandati ad Raynaldinum de Panormo pro leopardis ducendis ad principem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 recto; in edit. Carcan., p. 352.)

Scriptum est [a] *Rogerio de Salerno* (a) *per magistrum Rogerium de Camera* :

Fredericus, etc., Raynaldino de Panormo, etc. Benigne recepit serenitas, etc. (*Sequitur de verbo ad verbum sicut in praecedente mandato, dato Fuligni 6 februarii, quod supra*, p. 733, *usque ad*) nostre beneplacitum voluntatis.

Datum Viterbii, XXIII februarii, XIII indictionis.

Viterbii, 27 februarii.

Litterae responsales ad justitiarium Siciliae citra flumen Salsum de militibus feodatariis, de peregrinis in Sicilia morantibus, de inquisitionibus factis contra quosdam, de quaternionibus quondam Mathaei Marcafabae, de clericis morantibus extra regnum, de facinorosis qui appellant, de straticoto Messanae, de exteris qui petunt uxores, de notariis, de expensis nuntiorum, de antopis Cathaniae, etc.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 73 verso; in edit. Carcan., p. 352-353.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit G. de Cusentia :

(a) In codice, forsitan per amanuensis oscitantiam, legitur *Bartholomeo de Salerno*, quasi fuissent litterae ad hunc Bartholomaeum scriptae. Unde posteriore manu, in margine additum est *lictere responsales Bartholomeo de Salerno.*

Digitized by Google

Fredericus, etc., Guillelmo de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum, etc. Responsales licteras et capitula tua que tam per notarium Symonem quam pridem per Ruchifalum nuntios tuos nostro culmini destinasti, etc. Quod autem tua capitula contiuebant te ad mandatum nostrum exinde tibi missum jurisdictionis tue feodotarios inquisivisse et invenisse ibidem XX milites in armorum et equorum apparatu congruo, et ex reliquis feodotariis alios XL milites in armis et equis facere preparari decenter ordinatos, quod pro viribus feodorum suorum alterutrum fieri debeat subventio inter eos; et quod peregrinos dudum in partes Sicilie applicantes qui propter instautis tempus yemis transfretare non potuerunt, propter quod in partibus jurisdictionis tue yemant, ob reverentiam majestatis nostre honorifice recepisti et ipsos honorasti ac incessanter honoras, ac quod ipsorum arma de voluntate eorum ad manus curie nostre usque ad tempus passagii eorum recipi feceras conservanda, faciens eosdem per terras ipsarum partium dividi moraturos ut simul in eodem loco non essent, postmodum tamen per Philippum de Zunculo predicta arma eis restituta fueruut; et quod juxta mandatum nostrum missum tibi inquisitionem contra Jordanum Tallacozum, Guillelmum Tallacocem, Joannem de Martino Russo et Riccardum Farinam de Calatagerone fecisti, ipsam ad curiam nostram mictens, et quasdam de apochis ipsius Guillelmi inventas per eamdem inquisitionem ad curiam nostram spectare, ad manus nostre curie recepisti; nec non et quod de quaternionibus et scriptis quondam M. Marchafabe secreti copiam ad mandatum nostrum fecisti Johanni de Cioffo et notario Johanni de Lentino fideli nostro pro significandis nobis nominibus officialium ejusdem quondam secreti, sicut eis mandavimus, et quod tu etiam misisti sicut tibi mandavimus nomina officialium quibus aliquod de nostris servitiis commisisti; necnon quod ad mandatum nostrum bona eorum qui oriundi de partibus jurisdictionis tue in Romana curia morari contra nostrum beneplacitum presumpserunt, et prebendas etiam clericorum qui de regno nostro sunt et extra regnum morantur, diligenter inquiris et studes ad manus nostre curie revocare, et quod defensas et loca solatiorum et venationum nostrarum jurisdictionis tue facis cum omni diligentia custodire, gratum est nobis et in premissis omnibus

Digitized by Google

tuam diligentiam et studium commendamus. Super facinorosis autem, de quorum ut scripsisti maleficiis liquet, qui quatenus ut penas quas merentur eludant in vocem appellationis prorumpunt, super quo nostrum beneplacitum postulasti an talibus sit appellationibus deferendum, tenorem sacrarum constitutionum nostrarum observari mandamus. Quod autem straticotus Messane sicut scripsisti nulli appellationi in criminali judicio interposite defert, asserens hoc esse de consuetudine Messane optenta, cum talis consuetudo juri videatur penitus adversari, mandamus ut hoc de cetero fieri non permictas; et ecce quod eidem straticoto scribimus super hoc. De exteris autem qui non sunt oriundi de regno, sed in regno longo tempore morati fuerunt ut cives, conferendo cum aliis fidelibus nostris in datiis et collectis, qui mortuis primis uxoribus alias ducere volunt, et de aliis etiam qui licet uxores nondum in regno habuerunt, morati tamen in regno per decennium et ultra habentur ut cives, conferendo similiter in nostris datiis et collectis, et nunc licentiam petunt uxores ducendi, placet nobis et volumus ut tales ducere permictas uxores, dummodo bone conversationis eas esse reperias nec ipsos alicujus infidelitatis nota invenias maculatos; cavens ne sub hoc pretextu alicui alii extero per te predicta licentia tribuatur, cum hoc honori nostro specialiter sit infensum. Notarios vero publicos et advocatos quorum defectum in partibus jurisdictionis tue esse scripsisti, per nostram tantum curiam volumus ordinari. Quod autem significasti te frequenter oportere mictere nuntios speciales per partes jurisdictionis tue et alios etiam pro necessariis servitiis nostris, quibus te expedit expensas prebere, et nostrum super hoc requisivisti mandatum, placet nobis ut nuntiis quos necessario te mictere oportet pro necessariis servitiis nostris, expensas tribuas de pecunia curie nostre moderatas et justas, quas volumus in tuis rationibus computari. | De antopis Cathanie qui morantur Auguste, qui cum habent ut scripsisti domos et vineas in Cathania, petunt licentiam eundi Cathaniam pro preparandis domibus et suis vineis excolendis, placet nobis et volumus ut in certo et competenti tempore et anno quolibet, cum necessarium esse videris, tribuas eis licentiam conferendi se Cathaniam propter hoc moderatam, ita tamen ut familias suas habeant in Augusta et ipsi etiam

Fol. 74 recto.

Digitized by Google

habitationem Auguste non deserant, sed ibidem post predicta servitia revertantur. De hominibus quondam Centurbii et Capicii qui inveniuntur per partes jurisdictionis tue morari, cum generaliter a nostra fuerit majestate mandatum ut omnes se Panormum ad habitandum conferrent, mandamus ut ubicumque aliquem ex eis per jurisdictionem tuam inveneris cogas ut se cum familia sua ad habitandum conferat in Panormum. Quod autem significasti homines jurisdictionis tue citra flumen Salsum in partibus ultra flumen Salsum a secreto et justiciario impediri super deferendis in domos suas victualibus et aliis rebus eorum de partibus illis si quam eos ibi habere contingit, occasione quod citra flumen morantur, super quo predicti fideles nostri gravantur non modice, ecce quod predictis justitiario et secreto mandamus ut hoc occasione predicta ultra non faciant, cum una sit regio licet officialium diversorum ratione divisa. De militibus peregrinis qui sunt in partibus ipsis et licentiam petunt emendi equos et mulos ducendos in partes ultramarinas, nolumus quod emere hujusmodi equitaturas permictas eosdem, cum pro imminentibus negotiis nostris velimus omnes partes regni nostri hujusmodi animalibus non carere. De quinque scuteriis quondam Matthei Marchafabe secreti qui tempore mortis ejus capti fuerunt eo quod dare tunc fidejussores non potuerunt, cum tales non fuerint qui dare possint eosdem nec quod aliqua suspitio haberi valeat de eisdem, volumus et mandamus ut eos facias liberari et abire permictas. De medicis vero cirorgicis in ipsis partibus statuendis mandamus ut unum aut duos ex eis fideles, idoneos et quos peritiores esse cognoveris debeas ordinare, qui ceteros alios officium ipsum exercere volentes examinare debeant diligenter juxta constitutionum nostrarum tenorem; examinati vero et approbati per eos cum licteris testimonialibus eorumdem veniant vel mictantur ad curiam nostram et ibi officium ipsum recipient exercendum. Tu vero nomina eorum quos ad hoc statueris curie nostre debeas denuntiare. Quod autem significasti te dudum veniente Henrico Abbate fideli nostro ad partes Sicilie pro recipienda pecunia curie nostre et ad nos deferenda, misisse ad eum in Messana quamdam pecunie quantitatem quam eodem Henrico non invento ad te nuntii retulerunt, de qua et de alia etiam que pervenit ad manus tuas

quid facere debeas nostrum beneplacitum postulasti, mandamus tibi ut tam predictam pecuniam quam omnem aliam curie nostre quam habes judici Jacobo de Santis statuto in ipsis partibus super colligenda pecunia curie nostre debeas assignare, recepturus ab eo de hys que sibi assignaveris apodixam.

Datum Viterbii, XXVII februarii, XIII indictionis.

Viterbii, 27 februarii.

Mandatum ad secretum Panormi quod non impediat homines citra flumen Salsum morantes super deferendis victualibus et rebus eorum de partibus ultra flumen Salsum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 74 recto; in edit. Carcan., p. 353.)

Item scripsit :

Fredericus, etc., secreto Panormi, etc. Pro parte hominum Sicilie habitantium citra flumen Salsum nostrorum fidelium culmini nostro fuit expositum cum querela quod cum contingat aliquos eorum seminare et habere alia bona sua in partibus ultra flumen Salsum, cum victualia et hujusmodi res eorum volunt per terram in domos suas adducere, eas deferre sicut asserunt non permictis, tanquam si pro eo quod sunt de jurisdictione divisa essent alterius regionis. Cum igitur predicti mediatio fluminis officialium sit tantum, non provincie discretiva, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si est ita predictos homines fideles nostros occasione dumtaxat quod citra flumen Salsum in jurisdictione non tua morantur, super deferendis victualibus et rebus eorum de partibus jurisdictionis tue quatenus eos ibi habere contingit, non debeas molestare; sicut nec homines jurisdictionis tue in delatione simili rerum suarum quas habent in partibus citra flumen Salsum volumus molestari.

Datum [*ut supra*].

Similes scripsit Roggerio de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum.

Mandatum ad stratigotum Messanae ut appellationibus quae coram eo in criminalibus interponuntur de jure, deferre debeat. Viterbii, 27 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 74 verso; in edit. Carcan., p. 354.)

De superiori mandato facto per magistrum Taddeum scripsit idem G. de Cusentia:

Fredericus, etc., stratigoto Messane, etc. Significante nobis Gnillelmo de Anglone justitiario in Sicilia citra flumen Salsum, fideli nostro, nostra serenitas intellexit quod si quando coram te appellatio interponitur in judicio criminali, tu alicui appellationi non defers, asserens hoc de optenta esse consuetudine civitatis Messane. Cum igitur talis consuetudo juri penitus adversetur et tam injustum quam impium censeatur ut qui in civili judicio a quolibet modico ad appellandum admictitur, in criminali quod penas atrociores infligit vocem non habeat appellandi, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, si premissa veritate nituntur, appellationibus que in criminalibus coram te interponentur de jure deferre debeas, tenorem sacrarum constitutionum nostrarum in hys sicut in aliis omnibus negotiis observando.

Datum [*ut supra*].

Litterae responsales ad justiciarium Siciliae citra flumen Salsum de judice eligendo quem secum habeat et de equitaturis quondam Mathaei Marcafabae ad curiam ducendis. Viterbii, 27 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 74 verso; in edit. Carcan., p. 354.)

Fridericus, etc., Gnillelmo de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum, etc. Capitula que nostro culmini, etc. De habendo autem judice

Digitized by Google

tecum qui tibi pro nostris servitiis in officio judicatus assistat, de quo nostrum requisivisti mandatum, volumus ut tu tibi aliquem eligas qui fidelis noster sit et quem tibi pro nostris servitiis magis videris oportunum, et eum tecum pro nostris servitiis debeas retinere. Quod autem significasti te ad mandatum nostrum quod tibi dudum misimus, equitaturas que fuerunt quondam Mathei Marchafabe secreti Nicolao de Trano marescalle nostre vallecto et fideli nostro assignasse ducendas ad curiam nostram, gratum ducimus et tuam inde diligentiam commendamus.

Datum Viterbii, XXVII februarii, XIII indictionis.

[Februario exeunte.]

Gregorius papa in Fridericum imperatorem contra Ecclesiam et patrimonium beati Petri injurias injuriis cumulantem invective scribit, narrans quomodo ligno Crucis et apostolorum Petri et Pauli capitibus per Urbem delatis, populus Romanus subito mutatus crucem assumpserit in Ecclesiae defensionem, caeterosque hortatur ut fidei negotium pari devotione prosequantur.

(Edit. ap. HAHN, *Thom. Cap. dict. epist.*, in collect. monum. vet. et recent., t. I, p. 344-347. — Coll. cum codic. Bibl. Cesar. Paris., *anc. fonds latin*, 8604, fol. 17 verso 18 recto; 8649, fol. 28 recto 29 verso.)

[Gregorius, etc.] Attendite ad petram de qua scissi estis et ad cavernam de qua manu estis artificis superioris extracti. Attendite ad Christi vicarium patrem vestrum et ad Ecclesie matris auxilium, que vos spiritu regeneravit et acqua. Percipite filii matris injuriam et accingamini promptius ad vindictam. Nam degenerans filius Fredericus quem inter puerilis etatis exordia pupillum alterius subventione carentem sinus Ecclesie tutricis officio et matris pietate suscepit, laboribus et expensis innumeris ad regni Sicilie jura de querentium manibus preservatum, ad imperii tandem culmen adversario projecto provexit, ingratitudinis heres interpretatione

contraria recompensans, subito mutatus in hostem, ecclesiarum prelatos et religionis ecclesiastice professores diversis penarum generibus et vario fine consumens, ecclesias ipsas Christi sanguine libertati donatas multipliciter subjicere nititur servituti (a). Ex quibus et aliis evidentioribus causis et culpis quas jam ad publicam mundi notitiam credimus pervenisse, ipsum anathematis gladio de fratrum nostrorum consilio percussimus, non indigne sperantes quod ejus medele subsidium effectum debite correctionis haberet. Verum idem non sub pastoris virga humiliatus est verbere, quin potius super omne quod dicitur Deus aut colitur elevatus, Helia et Henrico (1) quibusdam non prophetis, sed prophanis apostatis, testibus sue perversitatis assumptis, in lucis angelum in monte superbie transformatus, Christi claves et Petri privilegium vilipendens, irreverenter divinis interesse presumit, ministros ecclesie sub pena capitis et perpetui edicto exilii ad sue dampnationis cumulum divina prophanare compellens, pro summe sedis orantes antistite ac orare pro ipso publice contempnentes simili puniturus edicto. Ad hec autem in Christum et ejus sponsam durioribus invectionibus excandescens, patrimonium beati Petri quod inter cetera imperii jura que seculari principi tanquam defensori sacrosancta commisit Ecclesia, ditioni sue in signum universalis dominii reservavit, juramenti transgressor et beneficiorum oblitus, occupare dolo non minus quam viribus non veretur. Romanos etiam speciales Ecclesie filios a matris uberibus muneribus et promissionibus reddere satagens alienos, Petri sedem evertere minatur et fidem ad gentilitatis ritus subrogare priores, et velut in templo Domini sedens, sacerdotis usurpat officium, absolvere vassallos Ecclesie a vinculo juramenti presumens et locorum interdicta relaxans, in nostrum et fratrum nostrorum sanguinem studiis publicis inhiando, sicut clam scripta ejus transmissa quibusdam que ad manus nostras postmodum pervenerunt in testimonium reservata et opera publice protestantur; contempti parentis maledictione notandus, non veri-

(b) Totus hic locus a verbis *subito mutatus* apud Hahn deest.

(1) Alluditur Heliae, ordinis Minorum quondam magistro, de quo supra. Quis autem fuerit iste Henricus, nos fugit.

tus Absalonis suspendium (*a*) ad patris solium aspirantis, nec mandatum advertens in Deuteronomio traditum quod nolens obedire sacerdotis imperio ex decreto judicis moriatur. Licet autem apostolice Sedis autoritas multorum principum et aliorum fidelium defensione munita satis ad sui presidium et curiosius potuerit invocare gladium temporalem, eligentes tamen justiciam nostram potius divino examinari judicio quam vires viribus propulsare, vivifice lignum Crucis et beatorum Petri et Pauli apostolorum capita in die Cathedre apostolorum principis (1), ad ejus basilicam fecimus duce Domino quo decuit honore deferri, quorum meritis innumera multitudine congregata ibidem, seminantes in lacrimis offensam Ecclesie, massam et spicam (*b*) messuimus gaudiorum. Nam justitie lator et cognitor justus Deus, filii patricide nequitiam et matris innocentiam examine justo librans, Romanorum corda ipsius quodammodo versata versutia in matris convertit affectum, qui ad Christi causam incredibili devocione currentes in votive prosecutionis iudicium et irretractabilis propositi firmitatem, proprios humeros de manu nostra crucis charactere munierunt, generalem indulgentiam de apostolice Sedis gratia suscepturi (2), ea succedente protinus fervoris instantia quod non juvenile robur, non fracta senescentium etas, non mollis mulierum conditio crucis assumptionem effunderet; sed qui ab homine per quem scandalum venit pretio corrupti venerant in ejus favore clamantes, statim mentibus mutatis et linguis, contra eumdem inter primos reciperent signum crucis properantes ad ipsam, populos quasi ad epulas invitatos lapsa manus adhuc diebus currentes singulis effugiat imponentis (*c*). Cujus autem cordis duritiam viscera materna non moveant vel oculorum non pungant aciem emissa profluvia lacrymarum, dum (*d*) tam subitum potentie divine mira-

(*a*) In impresso *dispendium*.

(*b*) In codice 8649 simplicius *manipulos*.

(*c*) Locus mutilus sive male transcriptus tum in impresso, tum in codicibus; unde nihil ad sensum nitidum eruere valemus.

(*d*) In impresso et in codice 8604 *non*.

(1) Die scilicet vicesimo secundo februarii.

(2) Cf. *Vit. Gregor. IX*, ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. III, p. 587.

Digitized by Google

culum insperata novitate profluxit? Quis vir non accingatur ad fidei munimentum, ubi ad arma crucis occurrit intrepide sexus fragilis mulierum? Congaudeat igitur, obsecramur in Domino, materne letitie devotio filiorum et contra verum Antechristi prenuntium crucis vos munite charactere, catholice fidei armatura, ut matris pudorem quem temerarius violator attemptat, defendat reverentia filialis, et subtracta Herodis astutia, filios orbate Rachelis uterus iterum non deploret. Quocirca, etc., de manu. . . . . vos signum crucis reverenter assumite, contra dicti persecutoris astutiam fidei prosecuturi negotium fideliter et potenter.

Mandata super eligendis decem militibus probis et fidelibus, qui per Raynaldum de Aquaviva capitaneum Viterbii et partium adjacentium ad regimina civitatum earumdem partium statuantur. Viterbii, 29 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 74 verso; in edit. Carcan., p. 354.)

De mandato imperiali facto per magistrum T. scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Raynaldo de Aquaviva, etc. Cum te capitaneum Viterbii et adjacentium partium statuendum duxerimus, de tua prudentia et legalitate confisi, et velimus quod decem milites bonos, probos et fideles qui convenientes et ydonei sint ad regimina terrarum ipsarum partium te[cum] ducas, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si tu ex te milites ipsos invenire poteris habiles ut est dictum, tecum ducas eosdem. Alioquin ecce damus B. Pissono justitiario Aprutii fideli nostro per nostras licteras in mandatis ut ad requisitionem tuam decem militibus bonis et fidelibus Aprutinis injungat quod ad te venire debeant. Tu vero in omnem eventum ad presentiam nostram festinanter accedas.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Cum mandaverimus Raynaldo de Aquaviva fideli nostro ut ad presentiam nostram festi-

Digitized by Google

nauter accedat et ducat secum decem milites ipsarum partium qui fideles et providi censeantur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem ipsius eligas per justitiariatum tuum decem milites providos, fideles et utiles ad regimina civitatum, de quibus plene confidere nos possimus, et eos ad partes Viterbii mictere debeas ad presentiam nostram sine aliqua tarditate.

Datum [*ut supra*].

Viterbii, 29 februarii.

Mandata varia ad ammiratum regni spectantia de navibus curiae, de tarsinabus faciendis, de pice et ferro recipiendis, de carabana Januensium, de Sclavis diffidandis, de coercendis officialibus ad pecuniam exhibendam, de protontinis, de quinquaginta millibus salmis victualium Tunisium deferendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 75 recto; in edit. Carcan., p. 355, 356.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato, etc. Benigne recepimus licteras tuas et nuntium quem ad nostram presentiam destinasti, et tam ea que lictere continebant quam que idem nuntius tuus coram nobis proposuit viva voce, capitula etiam que misisti audivimus et intelleximus diligenter; ad que tibi taliter respondemus, de navibus curie nostre quas receptas reparari et muniri fecisti tuum studium commendantes. De navi siquidem quam consumptam scripsisti, que potest vendi pro trecentis unciis auri, volumus et mandamus ut vendas et des eam si plus haberi non poterit pro pretio supradicto; ita tamen quod ea vendita et pretio ipso recepto, tantum recepte pro ea pecunie superaddas ut navem aliam loco ejusdem vendite facias comparari, cum velimus quod numerus decem navium semper pro nostris servitiis habeatur. Damus enim secreto Messane nostris licteris in mandatis ut ad requisitionem et ordinationem

Digitized by Google

tuam pecuniam superaddendam pro predicta navi emenda debeat elargiri. De navi alia que pro sui magnitudine inepta est ad navigandum, placet nobis quod eam minui facias ut scripsisti et ad talem formam reduci qua sit ad navigandum habilis et parata. De tarsinabus faciendis in Messana scias nostre voluntatis existere quod juxta palatium nostrum fiant si videris quod in loco ipso commode possint esse. Quod si ibi esse non possunt, eligas aliquem alium locum ydoneum ubi commode fieri valeant, sed non illum quem tua capitula continebant, et locum ipsum quem elegeris priusquam ibi quicquam edificetur, nobis per tuas licteras nunciabis. De tarsinabus autem Nicotere (a) volumus et mandamus ut si in tali loco sunt quo sint ab agressione secure, eas ubi incepte sunt sicut tu expedire videris facias percompleri. Super eo quod scripsisti de pice et ferro recipiendis a doaneriis nostris pro servitiis nostris tibi commissis et pretio quo emuntur vel quo venduntur, mandamus ut inde facias cum consilio doaneriorum nostrorum quod utilitati curie nostre melius videris expedire. De eo quod misisti de carabana navium Jannensium, facias prout tibi dedimus aliis nostris licteris in mandatis et prout notarius Thomasius nuncius tuus fidelis noster tibi oretenus ex parte culminis nostri dicet. Ad hec insuper que misisti de diffidanda Sclavonia pro piratis, sic volumus et jubemus ut tu primum Ragusiam, Spalatum, Dalmatiam, Iaderam et alias adjacentes regiones Sclavonie per litteras tuas requirere debeas et mandare quod si voluerint sufficienti prestita cautione se taliter obligare quod homines regni nostri in personis et rebus a Sclavis piraticam exercentibus nullatenus offendantur et quod de dampnis illatis in personis et rebus conserventur indempnes, concedetur eis conversatio solita regni nostri. Quod si facere noluerint, eos in personis et rebus debeas diffidare. De cohercendis insuper officialibus qui sunt sub secreto Messane cohertione districta per ipsum, ut pecuniam tibi pro nostris servitiis oportunam ad requisitionem tuam debeant exhibere, ad quam usque nunc tribuendam eos desides descripsisti, predicto secreto speciales culminis nostri licteras

(a) In impresso *Nicor.*, quod ita interpretandum arbitramur, dum situ et vicinitate urbs Nicotera rei optime conveniat.

destinamus. Ad ea ceterum que misisti de prothontinis faciendis in Messana, mandamus tibi quatenus duos fideles nostros de genere fidelium ortos et ad exercendum officium ipsum sufficientes ac dignos, alios tamen quam eos de quibus celsitudini nostre scripsisti, perquirere studeas diligenter et illos quos quesiveris nobis per licteras tuas significare procures. Super aliis vero capitulis que predictus nuntius tuus fidelis noster coram nostra proposuit celsitudine diligenter, quia tecum deliberare disponimus, mandamus fidelitati tue quatinus pro hys et aliis ad presentiam nostram studeas te conferre.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Nicolino Spinule, etc. Licteris tuis [super] facto victualium excellentie nostre missis solita benignitate receptis et intellecta diligenter continentia earumdem, studium tuum et sollicitudinem quam circa utilitatem curie nostre geris actentius commendamus. De vendendis siquidem quinquaginta millibus salmis victualium pro quadraginta millibus unciarum deferendis in navibus nostris apud Tunisium, quas onerari facies in quibuscumque portubus melius et utilius pro nostra curia reputabis, gratum ducimus et culmini nostro placet. Fidelitati tue mandamus quatenus per totam Siciliam generaliter studeas prohibere ne alicui liceat frumentum extrahere quousque naves curie nostre fuerint onerate. Nos etiam super hoc prohibendo patentes nostras licteras destinamus.

Datum [*ut supra*].

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., universis portulanis per Siciliam constitutis, etc. Cum Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato fideli nostro dedimus nostris licteris in mandatis ut quinquaginta millia salmas victualium apud Tunisium navibus nostris deferri faciat et onerari eas in quibuscumque portubus melius et utilius pro nostra curia reputabit, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus de Sicilia aliqua victualia nullatenus extrahi permictatis quousque naves nostre fuerint onerate victualium quantitate predicta.

Datum [*ut supra*].

| *De eodem mandato scripsit idem P. de Capua :* Fol. 75 verso.

Fredericus, etc., Majori de Plancatone de Baro secreto Messane, etc. Cum mandaverimus Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato, fideli nostro, ut navem quamdam curie nostre consumptam vendat pro unciis auri trecentis vel pro majori pretio si valebit, et tantum superaddat unciis ipsis quod aliam navem emat, ut numerus decem navium semper pro nostris servitiis habeatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus pecuniam superaddendam pro emenda navi predicta de pecunia curie nostre que est per manus tuas ammirato prefato ad requisitionem et ordinationem suam debeas exhibere. Preterea cum, sicut idem ammiratus scripsit nobis, officiales qui sub te sunt in exhibenda sibi pecunia pro servitiis nostris dum requiritur ab eisdem, sunt desides et remissi, propter quod eadem servitia nostra prout decet nequeunt expediri, mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus officiales eosdem districta cohercione compellas quod eidem ammirato pecuniam pro nostris servitiis oportunam ad requisitionem et ordinationem suam debeant exhibere.

Datum [*ut supra*].

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., universis doaneriis per regnum Sicilie constitutis, etc. Cum Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato fideli nostro dederimus nostris licteris in mandatis ut de pice et ferro recipiendis a vobis pro servitiis nostris sibi commissis eo pretio quo emuntur vel quo venduntur, faciat cum consilio vestro quod utilitati curie nostre melius viderit expedire, fidelitati vestre mandamus quatenus id quod idem ammiratus cum consilio vestro pro utilitate curie nostre de predictis ordinandum duxerit faciatis.

Datum [*ut supra*].

Mandata pro castro Regii custodiae Goffridi Fimeth de Lentino cum omnibus rebus ejusdem sine mora assignando. Viterbii, 29 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 75 verso; in edit. Carcan., p. 356.)

Digitized by Google

De mandato imperiali facto per magistrum Thadeum scripsit Gualterius de Cusentia :

Fredericus, etc., Marino castellano Calanne, etc. Significavit culmini nostro Goffridus Fimeth de Lentino fidelis noster quod cum dudum mandaverimus tibi per licteras nostras ut castrum nostrum Regii quod ejusdem custodie commisimus, de sua fidelitate confisi, cum omnibus rebus ipsius eidem assignare deberes custodiendum ad honorem celsitudinis nostre, tu hoc facere non curasti, occasione inventa quod nomen tuum in licteris nostris non erat contentum, de quo nostra serenitas ammiratur. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris predictum castrum Regii cum omnibus rebus ejusdem predicto Goffrido de Fimeth fideli nostro debeas assignare juxta priorum nostrarum continentiam licterarum, cavens ne aliter facias sicut de gratia nostra confidis et speras.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Goffrido Fimeth de Lentino, etc. Benigne recepimus licteras quas nostro culmini destinasti et eas intelleximus diligenter, diligentiam tuam quam habes in nostris beneplacitis commendantes. De castro autem Regii quod tue custodie commisimus de tua fidelitate confisi, et sicut scripsisti Marinus castellanus ejusdem tibi sicut sibi mandavimus noluit assignare; ecce quod sibi districte mandamus ut ipsum receptis licteris cum omnibus rebus ejusdem debeat assignare. Tu autem eo recepto juxta priorum nostrarum continentiam licterarum, ipsum ad honorem et fidelitatem nostram studeas custodire ut tuam in hoc diligentiam commendemus.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Viterbii, 29 februarii.

Mandatum ad justitiarium terrae Idronti de militibus decem et octo ordinatis, de clericis et laicis Romae morantibus, de Emma-

Digitized by Google

nuele Frajapane Romano clerico, de officialibus praeteritis, de petegariis qui pecuniam indebite extorserint capiendis, de habitatione Cesareae Augustae et Petrollae, de pecunia curiae missa, de exemptione servitii militaris pro terra justiciarii ejusdem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 78 recto; in edit. Carcan., p. 357, 558).

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Andree de Aquaviva justitiario Terre Idronti, etc. Licteras, etc. Quod autem, sicut significas, recepto mandato nostro ut omnes feudotarios jurisdictionis tue diligenter inquireres et singulis eorumdem sub pena feudorum et in optentu gratie nostre preciperes ut juxta quantitatem pro suorum viribus feudorum decenter pararent se armis et equis, finali eis termino usque ad festum natalis Domini constituto, nobisque rescriberes (*a*) quos in apparatu decenti et congruo invenires et non paratos faceres preparari ad nostra servitia processuros, tu singulis jurisdictionis tue feudotariis hoc mandasti sicut superius continetur, et non invento feudotario aliquo in apparatu decenti, facta tandem inquisitione ac invento quod quatuor ex eis sunt in nostro servitio ultra mare et tredecim venerant in Lombardiam, unus etiam est castellanus in castro Sorelle, quia major pars et fere tota reliquorum erat adeo imminuta (*b*) quod tam cito non poterat preparari, decem et octo milites ordinasti qui et ab aliis feuda tenentibus subsidium pro apparatu debent recipere, ita quod ad minus habeat quilibet quatuor equos; celsitudini nostre placet et volumus ut milites preparatos in scriptis habeas, quod statim cum oportuerit possint haberi, et eorum nomina cum cujuslibet apparatu sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas. De clericis et laicis quos inquirere te mandavimus si post datum tunc ab excellentia nostra mandatum in curia pape morati fuerint nec in regnum ad propria redierint, ac eorum bonis tam ecclesiasticis quam patrimonialibus ad opus

(*a*) In impresso *rescribens*, minus recte.
(*b*) In impresso *immunita*, male.

nostre curie capiendis, volumus ut de laicis quia nullam de ipsis fecisti in tuis licteris mentionem, mandatum nostre celsitudinis exequaris. De clericis vero quorum nomina in cedula tuis licteris interclusa recepimus, tibi mandamus ut Emanueli Frajapane clerico civi Romano qui de licentia nostra Rome moratur, beneficia sua hac ei occasione per te ablata cum perceptis exinde fructibus restituas, et aliis qui de regno non sunt si in regno morantur similiter ablata restituas, cum de illis predicte lictere nostre non faciant mentionem, nisi aliqua justa ratio te movisset. Recepimus preterea nomina officialium quibus aliquod de nostris officiis commisisti; et quia volumus quod aliqui (*a*) in terris maxime unde sunt oriundi perpetuare seu continuare officia minime videantur, cum hoc etiam in maximis officiis duxerimus precidendum, fidelitati tue mandamus quatenus officiales aliquos, quocumque nomine nuncupentur, qui tempore retroacto sub predecessore tuo justitiario fuerant in collectis colligendis vel imponendis aut aliis propter que inferantur fidelibus nostris gravamina nec non impediatur curie nostre commodum, non admictas. Quidam enim sicut audivimus gravare alios, se et suos alleviare penitus jam in consuetudinem converterunt. Quod autem facta inquisitione ad querimoniam populi tibi commissi, de mandato etiam familiarium nostrorum, invenisti non modicam pecunie quantitatem per eos qui petegarii dicuntur extractam ultra debitam quantitatem et suis privatis usibus applicatam, laudamus plurimum diligentiam et fidem tuam, mandantes ut pecuniam illam si nondum recepisti ab eis, statim recipias, et tales petegarios capias in personis et omnibus bonis suis et facias custodiri, nomen cujuslibet nobis per tuas licteras rescripturus. Quod in habitatione civitatis nostre Cesaree Auguste omnem sollicitudinem adhibes, gratum gerimus et acceptum, mandantes quod de habitanda Petrolla similiter sis intentus ut ad incolatum ejus vadant omnes qui ad eundum (*b*) illuc dudum fuerunt ordinati; habens illam cautelam et studium ut de illis qui ad habitationem Petrolle iverunt non contingat ulterius quod per incuriam tui predecessoris jam dicitur contigisse. Volumus etiam ut inquisitionem

(*a*) In impresso *aliquis*.
(*b*) In impresso *eumdem*, minus recte.

Digitized by Google

quam super his te fieri mandavimus et tu facis ut asseris, factam ad cameram nostram mictas. De pecunia quam magistro Johauui de Palmerio notario nostro et judici Majori de Juveuatio te significas assignasse deferendam ad uos, tuum studium commendamus. Quod autem justitiarius Basilicate a te militem unum exigit in presenti pro servitiis terre tue, ecce quod eidem justitiario scribimus ut quia in servitiis nostris es, eo modo et tempore servitium a te propter hoc exigat quo exigit ab aliis qui in servitio nostro morantur, facta super terre tue facultatibus extimatioue decenti ut servitiorum uostrorum occasione uichil tibi onerosius sentias irrogatum quam aliis qui eadem tecum couditione tenentur. Ceterum, etc.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII iudictionis.

Item :

Fredericus, etc., [Thomasio filio Osmundi] (a) justitiario Basilicate, etc. Supplicavit excellentie nostre Andreas de Aquaviva justitiarius Terre Idrouti, fidelis noster, quod cum militem uuum ab eo exigas in presenti pro servitio terre sue, quia in servitiis nostris est et terre sue facultas hoc minime patitur, nos sibi super hoc providere de nostra gratia diguaremur. Nos igitur actento quod persona ejus iu servitio uostro moretur, fidelitati tue mandamus quatenus si est ita, facta super terre sue facultatibus extimatione decenti, eo modo et tempore servitium exigas ab eodem quo ab aliis qui suut in nostris servitiis exigitur, ut occasioue servitiorum nostrorum nichil sibi quam aliis conditiouis ejusdem fidelibus nostris ouerosius seutiat irrogatum.

Datum [*ut supra*].

Litterae responsales ad Alexandrum filium Henrici, de ecclesiis ubi sunt electi confirmati, de procurandis ecclesiis vacantibus et beneficiis, de tertia parte nauli et de navi naufragata, de ex- Viterbii, 29 februarii

(a) Haec e margine supplentur.

pensis falconeriorum et aliorum, de expensis ejusdem Alexandri, de pretio salis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 76 verso; in edit. Carcan., p. 358.)

De imperiali mandato facto per eumdem magistrum Taddeum scripsit idem Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Licteras et capitula, etc. Quod autem, sicut significasti, in ecclesiis vacantibus jurisdictionis tue procuratores idoneos ordinasti, licet in Monopolitana et Melfiensi ecclesiis et monasterio Sancti Stephani de Monopulo sint electi a nostra celsitudine confirmati, volumus ut ab ecclesiis quarum nostra serenitas confirmavit electos, procuratores amoveas et electis eisdem permictas de suis juribus responderi, omnes proventus percipiens usque ad receptionem presentium vel usque ad id temporis percipiendos; nec non ad opus nostrum procuratorum (*a*) ratione recepta, alias omnes quantitates, et si non exprimantur in licteris tibi missis, vel quas vacare contingerit nec non beneficia et prebendas que vacaverint seu vacant in vacantibus ecclesiis ipsis recipiens et ad opus curie nostre juxta priorum licterarum nostrarum formam faciens fideliter procurari, significaturus nobis vacantia beneficia et prebendas et redditus annuos eorumdem, statim quod aliquas vacari continget. De tertia parte nauli peregrinorum transfretantium ultra mare tam in navibus curie nostre quam navibus mercatorum, quam Thomasius de Brundusio tempore officii sui recipere consuevit ut scribis, et de navi que pridem (*b*) Thermulis fuit passa naufragium, quam cum predicta tertia parte nauli petunt officiales ammirati dicentes ad jus sui officii pertinere, mandamus ut ipsa omnia jura recipias sicut per dictum Thomasium consueverunt recipi ad opus curie nostre; et ecce quod eumdem admiratum ad nos venire mandamus ut secum exinde conferamus, quod nolimus de officiis et officiorum nostrorum proventibus usque ad aliud mandatum nostre celsitudinis aliquid immutari. Quod expensas statutas dari fecisti

(*a*) In impresso *a procuratorum*.
(*b*) In impresso *pridie*.

Digitized by Google

per totum mensem januarii quibusdam falconeriis, leoparderiis, camelariis et aliis de nostra familia constitutis super nostris solatiis et servitiis, ut scripsisti, quibus Thomasius de Brundusio expensas dare consueverat et de mandato nostro dare si nunc esset in officio tenebatur nec dedit amotus pro eodem mense, celsitudini nostre placet et mandamus tibi quod eisdem quibus dictus Thomasius de mandato nostro dabat expensas et daret hodie si in officio ipso esset, juxta statutum curie nostre pro quolibet factum, de cetero debeas exhibere. Expensas etiam quas pro nuntiis necessario ad servitia nostra mictendis facere te oportet, ut dicis, necessarias et moderatas, in tuis ratiociniis volumus numerari; mandantes ut pro te et tot personis tecum in nostro servitio moraturis expensas juxta assisam curie nostre recipias, pro quot et sicut recepit hactenus Thomasius antedictus de curie nostre statuto. Quod autem significare curasti quod per Apuliam plures sunt qui clamant et murmurant quod statutum a curia nostra pretium pro sale quem hactenus tempore officii Thomasii de Brundusio ad opus nostrum fecerant, habere non possint, et si dictum pretium non habuerint, de sale faciendo se in futurum nullatenus intromictent, quod minus utile nostre curie potest esse, volumus ut si solutio ipsius pretii sine curie incommodo differri poterit, differas; alioquin si incommodum sequetur, facias sicut melius videris expedire, in omnibus sic intentus ut merito commenderis.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Vallis Gratis contra Johannem de Fuscaldo qui uxorem sine mandato principis duxit. Viterbii, 29 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 76 verso; in edit. Carcan., p. 359.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Tholomeo de Castellione justitiario Vallis Gratis et

terre Jordane, etc. Innotuit nuper excellentie nostre quod Johannes de Fuscaldo cum terram feodalem teneat, uxorem duxit sine mandato et nostre conniventia majestatis contra sacrarum constitutionum nostrarum tenorem. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquisita super hoc diligentius veritate, si rem inveneris ita esse, eumdem Johannem de persona capias, bonis suis omnibus infiscatis.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Lator licterarum Arpinus de Fuscaldo.

Viterbii, 29 februarii.

Mandata pro solvendis octo unciis ad reparationem Roccae Montis Draconis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 76 verso; in edit. Carcan., p. 359.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., G[uillelmo] de Laurentio de Suessa provisori castrorum, etc. Intellexit serenitas nostra quod quedam loca Rocce Montis Draconis reparatione indigent, quoddam etiam hedificium quod in quadam turri ipsius Rocce de novo inceptum fuit nisi celeriter compleatur in brevi tempore poterit devastari, quod totum cum modica quantitate expensarum, videlicet cum octo unciis, fieri poterit ut dicitur et reparari. Licet autem ad reparationem ejusdem Rocce quidam de ipsis partibus teneantur, ne tamen facto collecte que ad presens imponenda est tam ipsis quam aliis fidelibus regni nostri, aliquod propter hoc impedimentum evenire contingat, et ipsi etiam eodem tempore simul duplici onere gravati ad utrumque sufficientes esse non possent, volumus ut quantitatem eamdem ipsis scientibus recipias a Stephano de Romoaldo recollectore ipsarum partium cui pro ipsa tibi solvenda mandatum dirigimus speciale, et exinde loca prefata ipsius Rocce reparari facias et opus compleri sicut expedit supradictum; quam postmodum quantitatem completo dicte collecte ser-

Digitized by Google

vitio a prefatis hominibus qui ad ipsam reparationem tenentur recolligas, nominato recollectori restituturus eamdem (a).

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Item scriptum est prenominato Stephano recollectori solvat eidem G. predictas octo uncias pro reparatione predicta facienda et complendo opere supradicto.

Amoto autem ipso Stephano prius quam uncias ipsas solveret, *juxta quod intelleximus per predictum Guillelmum* (b), mandante domino imperatore per judicem Taddeum in eadem forma per omnia scriptum est Riccardo de Pulcaro quod solvat uncias ipsas dicto Guillelmo, mandato facto III madii, XIII indictionis, apud Ortam.

Mandata varia pro asturibus mutandis, pro expensis falconeriorum et falconum curiae, pro vestibus Gualterio Anglico et Guillelmo, filio ejus, una vice exhibendis. Viterbii, 29 februarii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 77 recto; in edit. Carcan., p. 359.)

De imperiali mandato facto per magistrum Roggerium de Camera scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Boamundo Pissono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus astures nostros quos portabit ad te Renaldus Torgisius vallectus et fidelis noster mutari facias per barones jurisdictionis tue, quos idem Renaldus tibi duxerit nominandos.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Quia Corradinum et

---

(a) Post *eamdem* legitur : *super amoto autem, etc.* Amanuensis errorem in codice forsitan non cancellatum animadverteris, si verba quae paulo infra repetuntur conferas.

(b) Non dubitandum quin haec verba detrahantur e mandato ipso quod ad suum locum transumptum non invenitur.

Digitized by Google

subscriptos alios falconerios et fideles nostros cum falconibus nostris in regnum mictimus moraturos, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem Corradino pro se, duobus scuteriis et tribus equis, Guillelmo fratri suo pro se, uno scuterio et duobus equis, Hencio de Nuceria pro se, tribus equis et duobus scuteriis, Cuncio fratri ejus pro se, duobus scuteriis, et tribus equis, Henrico de Nuceria pro se, uno scuterio et duobus equis, Michilocto de Marescallo pro se et equo uno, Jordano Saraceno pro se et equo uno a kalendis proximi mensis martii XIII indictionis expensas juxta assisam curie in regno in antea donec ibi fuerint, nec non Corradino et Guillelmo predictis pro expensis mensis februarii presentis uncias VII $^{1}/_{2}$ ad pondus curie debeas exhibere. Pro falconibus autem secundum quod augebuntur et minuentur in numero, necessaria tribuas ad requisitionem Corradini jam dicti et de omnibus que dederis ab eo recipias apodixas.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

De imperiali mandato scripsit Roggerius de Petrasturmila :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Fidelitati tue mandamus quatenus magistrum Gualterium Anglicum et Guillelmum filium ejus falconerios et fideles nostros de pecunia curie nostre que est per manus tuas hac vice tantum indui facias condecenter.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Similes scripsit [ad eumdem] de eodem mandato pro Conradino falconerio.

Viterbii, 29 februarii.

Mandatum ad Angelum Frisarum de solutione pecuniae pro scutella onichii, de assignatione pecuniae ammirato pro emendis victualibus, de navibus frumento onerandis et versus Barbariam mittendis unde lucrum curiae consequatur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 77 recto; in edit. Carcan., p. 360.)

De mandato imperiali facto per judicem Petrum de Vinea scripsit Johannes Idronti :

Digitized by Google

Fredericus, etc., Angelo Frisario magistro portulano Sicilie citra flumen Salsum, etc. Benigne recepimus, etc. Super eo autem quod scripsisti te solvisse de mandato nostro mercatoribus ad te missis a curia nostra pro scutella de onichilo et joectis aliis per eos nostre camere assignatis et ammirato pro emendis victualibus ad onerandum naves nostras et alia servitia nostra de pecunia curie nostre que est per manus tuas, celsitudini nostre placet et tuam inde diligentiam commendamus. Volumus tamen ut ad inveniendam pecuniam et mictendam ad erarium nostrum des opem et operam efficacem. Quod autem significasti nobis per interclusa capitula quod in partibus Barbarie est caristia victualium et quod Januenses emunt victualia in Sicilia de pecunia regis Tunisi et portant ad eum, unde magnum lucrum consequuntur, quod lucrum poterit nostre camere applicari, ecce quod nos ammirato damus per nostras licteras in mandatis ut nullas naves permictat in Sicilia onerari donec naves nostre fuerint onerate per eum et navigent sive versus Barbariam sive versus alias partes, unde de victualibus ipsis valeat curie nostre majus commodum provenire. Quapropter fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tu de cetero nulla victualia vendas mercatoribus nec permittas a portubus jurisdictionis tue extrahi, donec ut dictum est naves nostre onerentur et navigent juxta predicti ammirati ordinationem. Naves vero mercatorum que jam onerate sunt et tibi pecuniam pro extrahendis victualibus persolverunt navigare permictas, actentius provisurus ne sub occasione presentis mandati nostri naves aliquas mercatorum onerari de novo vel de portu exire permictas in fraudem curie nostre, que ante presens mandatum nostrum tibi pecuniam non solverunt.

Datum Viterbii, ultimo februarii, XIII indictionis.

Mandata ad justitiarios regionum regni de colloquio generali quod in festo Palmarum proxime venturo apud Foggiam princeps indixit, ut ipsi cum nuntiis civitatum et castrorum jurisdictionis suae in praedicto termino se praesentent. Viterbii, 1° martii

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 77 verso; in edit. Carcan., p. 360.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Roggerio de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum, etc. Ex occupationibus nostris modicum temporis subtractione laudabili subtrahentes, ecce quod ad hereditarium regnum nostrum Sicilie quod inter ceteras regiones ditioni nostre subjectas delectabilius nobis et precipuum reputamus, gressibus festinatis accedimus ut regnum et regnicolas ilariter videamus. Cum igitur apud Fogiam in festo Palmarum primo venturo colloquium indixerimus generale ubi de fidelibus nostris aliquos ex singulis regni partibus volumus habere presentes, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus in predicto termino personaliter nostro conspectui te presentes, ducturus tecum duos nuntios de unaquaque civitate et unum de unoquoque castro jurisdictionis tue que in demanio nostro teneutur ad presens, preter civitates illas quibus de mictendis earum nuntiis licteras mictimus speciales quas eis facias assignari; actentissime craturus quod infra terminum supradictum collectam de justitiariatu tuo integre recollectam ad presentiam nostram feras; et si quid modicum residuum fuerit colligendum, statuas instantissimos exactores qui te ad nostram presentiam veniente illud instantissime colligant et ad presentiam nostram deferre procurent.

Datum Viterbii, I martii, XIII indictionis.

Quas predictas licteras detulit Thomasinus scuterius marescalle qui detulit licteras ad secretum Messane : quod si ronciuns suus ei deficeret, debilem recepturus ab eo (*a*), sibi in alio provideret, et quod recipiat ab eo licteras que mictuntur per Siciliam et sine mora mictat.

Item ad justitiarium Vallis Gratis quod similiter recipiat licteras que mictuntur per Calabriam et jurisdictionem suam et mictat.

Similes G. de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum.

Similes G. de Montefusculo justitiario Calabrie.

Similes Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane.

Similes A. de Aquaviva justitiario terre Idronti.

(*a*) Sic in impresso. Locus vero obscurus.

Digitized by Google

XVI ejusdem [mensis] apud Ortam (1) similes [misse sunt] Landulfo de Franco justitiario terre Bari.

Similes Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate.

Similes R. de Montenigro justitiario Terre Laboris.

Similes T. de Montenigro justitiario Principatus.

Similes R. de Montefusculo justitiario Capitinate.

Similes Boamundo Pisciono justitiario Aprutii.

Mandata ad praecipuos officiales ibidem nominatos ut apud Foggiam ad colloquium generale se praesentent. Viterbii, 1° martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 78 recto; in edit. Carcan., p. 361.)

De imperiali mandato facto per magistrum P. de Vinea scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Ex occupationibus nostris modicum temporis subtractione laudabili subtrahentes, ecce quod ad hereditarium regnum nostrum Sicilie quod inter alias regiones ditioni nostre subjectas delectabilius nobis et precipuum reputamus, gressibus festinis accedimus ut regnum et regnicolas ilariter videamus. Cum igitur apud Fogiam in festo Palmarum primo venturo colloquium indixerimus generale, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus in termino supradicto omni mora et dilatione cessantibus nostro te conspectui representes, ut serenitatem vultus nostri respicias et nostram audias voluntatem.

Datum Viterbii, I martii, XIII indictionis.

Similes Angelo Frisario.

Similes M. de Plancatone secreto Messane.

---

(1) Scilicet *Orta*, hodie *Orte* in Romano Statu. Notandum est omnia mandata ex hoc loco missa dirigi ad officiales seu civitates minori intervallo a Foggia distantes.

Digitized by Google

Similes Senatori de Archis castellano Messane.
Similes Thomasio de Brundusio.
Similes Severino de Calataphimo.
XVI ejusdem [mensis] apud Ortam similes Roggerio de Calvellis.
Similes Guillelmo de Sanginito.
Similes Thomasio de Acto.
Similes Riccardo de Lauria.
Similes Philippo de Zunculo.
Similes Guillelmo de Sancto Fraymundo.
Similes Angelo de Marra.
Similes Robberto Malerba.
Similes Andree de Cicala capitaneo, etc.
Similes Alexandro filio Henrici.
Similes Riccardo de Pulcaro.
Similes Criscio Amalfitano camerario Aprutii.

Viterbii, 1° martii.

Mandata ad civitates specialiter ibidem nominatas ut duos nuntios mittant ad colloquium apud Foggiam in proximo festo Palmarum generaliter indictum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 78 verso; in edit. Carcan., p. 361.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., bajulis, judicibus et universo populo Panormi, etc. Ex occupationibus nostris modicum temporis subtractione laudabili subtrahentes, ecce quod ad hereditarium regnum nostrum Sicilie quod inter alias regiones ditioni nostre subjectas delectabilius nobis et precipuum reputamus, gressibus festinis accedimus ut regnum et regnicolas ilariter videamus. Cum igitur apud Fogiam festo Palmarum primo venturo colloquium indixerimus generale ubi de fidelibus nostris aliquos ex singulis

regni nostri partibus volumus habere presentes, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus in termino supradicto sicut gratiam nostram diligitis duos nuntios vestros ad nostram presentiam destinetis, qui pro parte vestrum omnium serenitatem vultus nostri prospiciant et nostram vobis referant voluntatem.

Datum Viterbii, I martii, XIII indictionis.

Similes universo populo Nycosie.
Similes. . . . . Trapani.
Similes. . . . . Castri Johannis.
Similes. . . . . Platie.
Similes. . . . . Calatagironi.
Similes. . . . . Lentini.
Similes. . . . . Auguste.
Similes. . . . . Siracusie.
Similes. . . . . Catanie.
Similes. . . . . Messane.
Similes. . . . . Regii citra Farum.
Similes. . . . . Neocastri.
Similes. . . . . Cotroni.
Similes. . . . . Cusentie.
Similes. . . . . Idronti.
Similes. . . . . Brundusii.
Similes. . . . . Tarenti.
Similes. . . . . Matere.
Similes. . . . . Gravine.

XVI ejusdem [mensis] apud Ortam.

Similes universo populo Baroli.
Similes. . . . . Trani.
Similes. . . . . Bari.
Similes. . . . . Monopoli.
Similes. . . . . Botonti.
Similes. . . . . Juvenatii.
Similes. . . . . Vigiliarum.

Digitized by Google

Similes universo populo Melficte.
Similes. . . . . Melfie.
Similes. . . . . Potentie.
Similes. . . . . Montis Sancti Angeli.
Similes. . . . . Syponti.
Similes. . . . . Civitatis.
Similes. . . . . Troje.
Similes. . . . . Termularum.
Similes. . . . . Salerni.
Similes. . . . . Surrenti.
Similes. . . . . Amalfie.
Similes. . . . . Policastri.
Similes. . . . . Ariani.
Similes. . . . . Eboli.
Similes. . . . . Avellini.
Similes. . . . . Montisfusculi.
Similes. . . . . Capue.
Similes. . . . . Averse.
Similes. . . . . Neapolis.
Similes. . . . . Gajete.

Tuscanellae, 2 martii.

Mandata ad justitiarios Aprutii, Terrae Laboris et Capitinatae pro destinandis quinque millibus unciis auri regi Henrico, omni mora et difficultate remotis, ad requisitionem nuntii dicti regis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 79 recto; in edit. Carcan., p. 362.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Negotiorum nostrorum instantia et qualitate poscente, quinque milia uncias auri ad generale pondus regni H. illustri regi Turrium et Gallure, etc., pro stipendiis mili-

Digitized by Google

tum qui secum in servitio nostro morantur, debitis pro quadam quantitate temporis preteriti et instantis, cum propter stipendiorum defectum arma et equos obligaverint et fere inutiles sine oportunis videantur esse cum eo, necessaria decrevimus destinare de pecunia curie nostre que est per manus tuas, R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et R. de Montefusculo justitiario Capitinate perveniente (*a*) ex quacumque causa sive presenti collecta sive alias undecumque, et super hoc cuilibet predictorum similes presentibus licteras destinamus. Fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus statim visis hys licteris, omni mora et difficultate remotis, ad requisitionem G. de Verreclo notarii et nuntii dicti regis mictas de presentis collecte pecunia vel alia quacumque quam habes ad manus et citius potes habere usque Sanctum Flavianum ad fines regni, in ea quam habueris quantitate ad presens, per tuos nuntios speciales viros providos et fideles qui simul cum aliis nuntiis predictis, nuntiis dicti regis qui apud Sanctum Flavianum (*b*) expectant, pro parte tua de ipsa pecunia tantum assignent quod ex ea quam tuus et predictorum nuntii dederint quinque millium unciarum numerus compleatur. Nec volumus quod ipsa pecunia exactori statuto vel alii nuntio nostro delaturo eam ad nos ut ipsam de camera nostra regi mictamus predicto, assignetur (*c*), sed a vestris manibus per vestros nuntios recta via usque ad Sanctum Flavianum et ad regem deinde transmictatis. Quod si tam cito tota predicta quantitas integra inter vos tres nunc haberi non posset, ad minus quatuor milia vel ad minus tria milia statim et incontinenti in omnem eventum transmicti oportet; et tu cures omnimodo quod mictantur, sicut nostram gratiam caram habes, ita tamen quod pro parte tua et dictorum justitiariorum sive prima sive secunda vice tota predicta quantitas ejusdem regis nuntiis assignetur; recepturus autem de hys que dederis idoneam apodixam.

Datum Tuscanelle, II martii, XIII indictionis.

(*a*) Locus ut videtur mutilus : forsitan legendum *et a R. de Montenigro*, etc., *proveniente*.

(*b*) In impresso *Flastianum*, male.

(*c*) In impresso *non assignetur*; delendum vero *non*, nisi supra legatur *et volumus*.

Digitized by Google

Similes per omnia scripsit R. de Montefusculo justitiario Capitinate.
Similes R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii.

Tuscanellae, 2 martii.

Mandatum ad magistrum camerarium Aprutii pro quatuor unciis dandis Rainaldo Trogisio curiae vallecto.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 recto; in edit. Carcan., p. 362.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Crescio Amalfitano magistro camerario Aprutii, etc. Quia mictimus ad partes ipsas latorem presentium Raynaldum Trogisium vallectum et fidelem nostrum cum quodam asture ad mutam, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus sibi, pro se, duobus scuteriis et tribus equis quatuor uncias auri ad pondus curie pro expensis suis presentis mensis martii debeas exhibere, cum in camera nostra non fuerit ad presens pecunia de qua expense predicte solverentur eidem; et recipias ab eo exinde apodixam.

Datum Tuscanelle, II martii, XIII indictionis.

Tuscanellae, 2 martii.

Mandatum ad Laurentium Alferium ut inquisitionem faciat quantum valeant bona que Riccardus comes Dragonis quondam a curia tenebat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 recto; in edit. Carcan., p. 363.)

De mandato imperiali per dominum Johannem Morum magister (a) *G. de Cusentia scripsit :*

(a) In impresso *magistrum*.

Digitized by Google

« Fredericus, etc., Laurentio Alferio (1) fideli suo, etc. Supplicaverunt excellentie nostre Thomasius, Goffridus et Dupoldus de Dragono fratres, filii quondam Riccardi comitis Dragonis fidelis nostri, vassallos, possessiones et bona feudalia que fuerunt dicti quondam Riccardi patris eorum in partibus Apulie ad eos de jure paterno rationabiliter pertinere cum omnibus rationibus et pertinentiis eorum ad dicta bona feudalia eis spectantibus et pertinentibus; que omnia scilicet pro unius militaris servitii seu adoha cum suis hominibus intuitu servitiorum dicti quondam comitis Dragoni prestitorum regi Rogerio predecessori nostro et nobis, predictum Goffridum et Dupoldum concedere dignaremur. Nos igitur cognoscentes eis rationabiliter jure paterno pertinere bona predicta, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus consteut dicta bona sicut intelleximus in hominibus et possessionibus que dictus pater eorum tenebat a curia nostra, super hys diligenter et fideliter de omnibus inquirere studeas et sub sigillo tuo in curiam nostram mictas (a).

» Datum Tuscanelle, II martii, XIII indictionis. »

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut regi Henrico collectas quas ipse rex Neapoli fieri fecit, destinare debeat. Apud Montem Altum, 6 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 363.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Fidelitati tue mandamus quatenus collectas quas fieri fecit Neapoli Hen-

(a) Hoc mandatum in impresso inversis commatibus includitur, unde instrumentum cancellatum vel abolitum indicari solet. Facilius enim animadverteris neque sententiarum neque verborum ordinem hic bene servatum.

(1) Quis et in quo officio fuerit non scimus. Invenitur *Alferius* quidam, castellanus Baroli, in mandato apud Ortam 27 aprilis.

Digitized by Google

ricus dilectus filius noster illustris rex Turrium et Gallure, usque ad Sanctum Flavianum debeas destinare.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad Marinum de Ebulo ut veniat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 363.)

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Marino de Ebulo, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus visis hys licteris, omni mora et occasione remotis, sicut gratiam nostram diligis, ad presentiam nostram debeas te conferre.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad Angelum de Marra ut in servitiis sibi commissis studiosus existat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 363.)

De imperiali mandato facto per judicem Taddeum scripsit idem :

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Fidelitatis tue licteras solita benignitate recepimus et ipsarum continentiam intelleximus diligenter. Cum igitur persone tue laboribus providentes, Riccardum de Pulcaro fidelem nostrum statuerimus loco tui, fidelitati tue mandamus quatenus de aliis servitiis nostris tibi commissis juxta quod per alias licteras nostras tibi dedisse recolimus in mandatis, diligens taliter et studiosus existas quod in conspectu nostro appareas proinde commendandus.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Litterae responsales ad justitiarium Capitanatae de pecunia mutuo recepta pro facto marinariorum et prisonum restituenda et computanda tempore ratiocinii ejus. Apud Montem Altum, 5 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 363.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales:

Fredericus, etc., Riccardo de Montefusculo justitiario Capitinate, etc. Devotionis tue licteras benignitate recepimus consueta et earum tenorem intelleximus diligenter. Quod autem significasti nobis quia, cum propter aeris inclementiam per plures dies oportuit te facere moram cum galeis nostris apud Civitatem Veterem et marinarii galee Surrenti et galee Yscle terminum compleverant pro quo fuerant solidati, pro solidandis eisdem pro quindecim diebus et pro sustentatione ipsorum qui fuerant duccenti octoginta tres et pro comestione etiam captivorum quos cum ipsis galeis per te misimus in regnum qui fuerant trecenti quinquaginta et quatuor, mutuo receperas uncias sexaginta duas et tarenos septem et decem et mediam, placet nobis et mandamus ut de proventibus justitiariatus tui creditoribus restituas uncias supradictas, volentes quod tempore ratiocinii tui ipse tibi uncie computentur, sicut eas pro dicto servitio nostro necessario expendisti.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad Johannem de Cioffo de novis de ultramare quae significavit, de balistis emptis in palatio Messanae reponendis, de expensis nuntiorum qui mittuntur ad curiam. Apud Montem Altum, 5 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 364.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit G. de Cusentia responsales :

Fredericus, etc., Johanni de Cioffo, etc. Consueta benignitate recepimus licteras, etc., commendantes sollicitudinem tuam de novis que de partibus ultramarinis intelligens statim nobis significare curasti, fidelitati tue mandantes ut quotienscumque de partibus illis vel aliis aliqua nova scire potueris, nobis studeas intimare. Quod autem significasti in navi curie nostre que fuerat olim Riccardi aule nostre camerarii, que nuper de partibus Acon Messanam applicuit, delatas esse XXII balistas de duobus pedibus que empte fuerunt in partibus illis de pecunia navis ejusdem; de quibus et de aliis XXVI balistis quas dudum de pecunia curie nostre emisti nec non de aliis XXVI balistis que fuerunt castrorum quondam Riccardi camerarii et de aliis LXV balistis quas recepisti a magistro Simone balistario, quid fieri debeat nostrum beneplacitum postulasti, cum ammiratus postulet eas tibi, fidelitati tue mandamus ut eas in palatio nostro Messane reponi facias et servari, donec inde nostrum beneplacitum demandemus. De expensis vero nunciorum tuorum quos ad curiam nostram pro nostris servitiis mictere te contingit, de quibus nostrum postulasti mandatum, placet nobis et volumus ut juste et moderate expense quas nunciis ipsis dedisti vel dederis ad curiam nostram a te venientibus pro necessariis servitiis nostris, in tuis debeant rationibus computari.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad Simonem de Capua ut totam pecuniam curiae quam habet, ad principem quam securius venire poterit deferat.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 79 verso; in edit. Carcan., p. 364.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit idem G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Symeoni de Capua, etc. (1). Quia pecunia est curie nostre plurimum oportuna, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus cum tota pecunia curie nostre quam habes, sine mora qualibet ad presentiam nostram venire festines. Cum autem fueris apud Balbianum, significes nobis adventum tuum illuc ut per quam viam ad nos securius venire valeas a nostra celsitudine instruaris.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Mandatum ad Andream de Cicala ut Terampnenses qui in regno inveniri poterunt capiantur, dummodo non sint scolares. Apud Montem Altum, 5 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 80 recto; in edit. Carcan., p. 364.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo, etc. Quia civitas Terampnensis ad mandatum nostrum [non] rediit (2), fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus diligenter facias inquiri apud Neapolim et alias ubique per partes tuas tue jurisdictioni subjectas pro inveniendo Johanne filio Leonardi Bonicomitis et alios Teramnenses et tam ipsum Johannem quam ceteros qui haberi poterunt, dummodo non sint scolares, de personis capi facias et teneri, omnia bona eorumdem ad opus curie nostre capiendo; rescripturus curie nostre quos ceperis et que bona penes eosdem inventa fuerint et detenta. Si qui vero scolares fuerint de eadem terra, des eis licentiam ut secure ad propria revertantur, tale super hoc studium habiturus, etc.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

---

(1) Quis? forsitan vir ille qui *Stancionus de Capua* vocatur in mandato dato supra, 5 octobris, p. 418, nisi potius agatur de Simone de Ursone de Capua. Cf. mandatum scriptum 9 februarii, p. 743.

(2) De urbe agitur nunc dicta *Terni*, quae una cum Spoleto et quibusdam aliis ducatus locis imperatori contradicebat. Cf. RICC. DE S. GERM., *Chronic.*, ap. MURATOR. *Scriptor.*, t. VII, p. 1047. Nominum similitudine decepti, quidam ad Teramum Aprutii rem inepte retulerunt

Digitized by Google

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad Andream de Cicala ut credat G. de Verreclo regis Henrici notario, et quae dixerit, ipse efficaciter adimpleat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 80 recto; in edit. Carcan., p. 364.)

Item :

Fredericus, etc., Andree de Cicala, etc. [Cum] per G. de Verreclo notarium dilecti filii nostri Henrici, etc., fidelem nostrum, quedam servitia nostra verbotenus tibi duximus injungendum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ea que idem notarius et fidelis noster tibi pro parte culminis nostri dixit vel dixerit, si ad te nondum venit cum licteras presentes receperis, firmiter credere et sine mora efficaciter studeas adimplere, ut devotionem tuam proinde merito commendemus.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro super litteris de ejus officio tardius assignatis, super rebus ecclesiarum ad extalium non vendendis, de facto navis emendae per curiam, de facto setae alii commisso, de frumento ad certum locum mittendo, de proventibus portuum novorum recipiendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 80 recto; in edit. Carcan., p. 364, 365.)

De mandato facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Solita benignitate recepimus licteras quas tua nobis devotio destinavit et earum tenorem intelleximus diligenter. Quod autem significasti nobis quod, cum lictere nostre tibi transmisse de exercendo officio tibi commisso V die proximo preteriti

Digitized by Google

mensis octobris (1) facte fuissent, eas tamen vicesimo secundo proximi preteriti mensis januarii receperas, propter quod petebas apud excellentiam nostram de lapsu temporis excusari; celsitudini nostre gravat quod ad te lictere ipse non pervenerunt cum pervenisse potuerint, et licet per te non steterit quin ipse tibi fuissent citius assignate, volumus tamen et mandamus ut sollicite inquiras de omnibus rationibus nostris que infra illud tempus ad nostram debuerunt vel potuerunt curiam pervenire; studiose procurans quod nullum nos dampnum pati contingat lapsu temporis supradicti; et quia statim receptis licteris nostris, juramento prestito coram A. de Cicala capitaneo a flumine Tronti usque ad portam Roseti de commisso tibi officio fideliter exercendo, devote te ad ipsum servitium contulisti, devotionem tuam favorabiliter commendamus. De rebus autem ecclesiarum quas per Angelum de Marra fuisse venditas ad extalium significasti et ideo male procurantur, cum jardina et vinee sint inculte et domus etiam que reparatione indigent nullatenus reparentur, volumus et mandamus ut jardina et vineas vendi non facias nec permictas, sed ea de ipsarum ecclesiarum proventibus excoli facias ad opus nostre curie diligenter; domos etiam que instanti reparatione indigent ne ruinam pati contingat, sub competentibus expensis reparari facias de proventibus earumdem. Super facto autem navis quam nobis emendam tuis licteris suasisti, ecce damus Nicolino Spinule ammirato nostris licteris in mandatis ut eam ad oculum videat, et si viderit ipsam fore nostre curie oportunam, juxta quod ipse tibi dixerit, emes eam. De facto autem sete te exonerare volentes, alii servitium ipsum commisimus exequendum. De frumento vero quod per galeas Pisarum mictere debuisti, sicut a celsitudine nostra recepisti in mandatis, et galee ipse illud portare noluerunt, sic volumus et mandamus ut non per galeas, sed per alia vassella parva in quibus commode et secure portetur, frumentum ipsum mictere debeas ad locum quem per alias licteras nostras tibi significavimus, cum illa cautela quam misimus processurus, in hys et in aliis servitiis nostris sic sollicitus, etc. Preterea intelleximus et miramur quod proventus de portubus

(1) Vide ad hunc locum, p. 623.

novis quos curia nostra statuerat, ipsos recipere et mictere non curasti, dicens te inde non habere mandatum, quasi sine speciali mandato nostro non liceret commodum nostre curie procurare.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., Nicolino Spinule ammirato, etc. Cum Riccardus de Polcaro fidelis noster persuaserit nobis de emenda quadam navi que de novo facta est in Neapoli, asserendo illam esse curie nostre plurimum oportunam, fidelitati tue mandamus quatenus navim ipsam personaliter videas et consideres diligenter, et si eam esse nobis videris oportunam, ab eodem R. ipsam emi facias pro minori pretio quod poteris, sicut videris nostre curie expedire.

Datum [*ut supra*].

Apud Montem Altum, 5 martii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris pro duabus millibus unciis auri de pecunia praesentis collectae Riccardo de Sancto Germano assignandis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 80 verso; in edit. Carcan., p. 365.)

Ad justitiarios Terre Laboris et Capitinate pro assignandis unciis $\frac{\mathrm{v}}{\mathrm{m}}$ *de pecunia collecte, et non scribitur pro* $\frac{\mathrm{v}}{\mathrm{m}}$, *sed unciis* $\frac{\mathrm{vii}}{\mathrm{m}}$ *de collecta presenti* (1).

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Gualterius de Cusentia :

Fredericus, etc., Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Quia pecunia est curie nostre plurimum oportuna, ecce quod Riccardum de Sancto Germano fidelem nostrum duximus destinandum ut a mercato-

---

(1) Titulus iste multum obscurus remanet, quum hic tantummodo de duobus millibus unciis mentio fiat; unde forsitan legendum *sed unciis* $\frac{\mathrm{ii}}{\mathrm{m}}$. Mandatum enim justitiario Capitinatae directum et ibidem memoratum deest.

ribus Romanis pecuniam pro parte curie nostre mutuo recipere debeat pro imminentibus nostris servitiis exequendis. Quare mandamus quatenus receptis hys licteris, de pecunia presentis collecte jurisdictionis tue duo millia uncias eidem Riccardo sine omni defectu et mora debeas assignare, quibus vel mercatores predictos, si ab ipsis receperit mutuum, instanter debeat quietare, vel si mutuum non receperit, statim ad presentiam nostram apportet. Tu autem ita studeas et procures, etiam si nondum haberes quantitatem predictam de supradicta pecunia recollectam, ut omnino, etiam si deberes recipere mutuo eamdem quantitatem, eidem Riccardo sine omni mora debeas assignare.

Datum apud Montem Altum, V martii, XIII indictionis.

Litterae responsales ad Leonem Bellum et socios portulanos Bari de victualibus et animalibus extrahendis. Corneti, 6 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 81 recto; in edit. Carcan., p. 365.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales :

Fredericus, etc., Leoni Bello et sociis portulanis Bari, etc. Benigne recepimus licteras vestras, et earum intellecto tenore studium et sollicitudinem vestram quam in servitiis nostris geritis et habetis favorabiliter commendamus. Super eo vero quod in licteris nostris vobis transmissis continebatur ut victualia de regno et animalia etiam preter equos, jumenta et mulos, salvo jure curie nostre, extrahi permitteretis, de quibus victualibus et si de animalibus vivis aut mortuis intelligendum est, per licteras nostras certi fieri postulastis; sic duximus respondendum quia de animalibus vivis intelligere debetis, cum de mortuis nulla sit dubitatio extrahendis, et ut verbum etiam in primis licteris nostris intelligatis emissum, de frumento, ordeo, fabis et omnium victualium et leguminum genere et

Digitized by Google

aliis victui oportunis. Constructioni vero domorum et turris in portu supersederi volumus in presenti. Vos autem in servitiis nostris, etc.

Datum Corneti, VI martii, XIII indictionis.

Corneti, 6 martii.

Mandatum ad justitiarium Aprutii pro mittendo aliquo probo viro ad Jacobum de Morra pro recipienda et expendenda pecunia.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 81 recto; in edit. Carcan., p. 366.)

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus aliquem virum divitem fidelem et providum eligas de justitiariatu tuo, de quo possit curia nostra confidere, et ipsum sine dilatione mictas ad Jacobum de Morra (*a*) sacri imperii capitaneum in ducatu, moraturum cum ipso ibidem in servitiis nostris, ut per ejus manus recipiatur pecunia et expendatur juxta ordinationem ipsius Jacobi per eumdem.

Datum Corneti, VI martii, XIII indictionis.

Corneti, 7 martii.

Mandatum ad Gentilem de Castanea de facto marescallae in Apulia, de expensis unius custodis minuendis, de coriis animalium mortuorum.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 81 recto; in edit. Carcan., p. 366.)

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentanaria scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., G. de Castanea, etc. Licteras, etc., recepimus et sin-

(*a*) In impresso *de Murro,* male. Cf. supra, p. 755.

Digitized by Google

gula que de marescalle nostre que in Apulia est profectibus continebantur in eis, audivimus et intelleximus diligenter, studium tuum in eo quod jumenta per se et pulli ex quo habent annum unum per se similiter per spatium decem vel duodecim miliarium longe a stallonibus et jumentis custodiuntur, optime merito commendantes. Quia vero significasti quod unius custodis, cum sint quatuor marescalle custodes, minui possent expense sine incommodo marescalle, hoc tibi duximus committendum ut inde facias quod utilius fuerit faciendum; quod nec marescalle custodia defectum et ideo dampnum aliud incurrat nec expensas inutiles et superfluas fieri patiaris. Coria vero que posse vendi scripsisti, si servari possent pro aliis nostris servitiis faciendis, nolumus quod vendantur. Ceterum super marescalla ipsa te sic intentum, etc.

Datum Corneti, VII martii, XIII indictionis.

Mandatum ad Andream de Cicala pro Petro Saxone de Neapoli statuendo in portu Regulis vice Morici de Syponto infirmi. Corneti, 8 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 81 recto; In edit. Carcan., p. 366.)

De imperiali mandato facto per judicem Taddeum scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo, etc. Dudum in portu de novo statuto in Regulis Moricum de Syponto et Maurum de Thermulis fideles nostros custodes duximus statuendos, certa forma eis per licteras nostras data, sicut aliis portulanis, ut predictum ipsum officium exercerent. Nuper sane nostra serenitas intellexit quod predictus Moricus de Syponto taliter infirmetur ut predictum officium sibi commissum nequeat exercere. Nolentes igitur ut defectus in nostris servitiis habeatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus, si constiterit tibi de infirmitate Morici predicti, vocato ad te Petro Saxone de Neapoli et recepto ab eo pro parte curie nostre fidelitatis et officii juramento, sibi districte precipias quatenus ipse una cum predicto Mauro de Thermulis officium supradictum exercere

fideliter studeat per omnia, juxta formam que eisdem Morico et Mauro per licteras nostri culminis data fuit, et licteras tuas exinde sibi concedas, sollicitans eum ut officium ipsum fideliter exequatur.

Datum Corneti, VIII martii, XIII indictionis.

Corneti, 8 martii. Litterae responsales ad secretum Messanae de munitione castrorum, de Romanis mercatoribus quietatis, de porcis captis et occisis, de custodia palatii Cathonae, de trecentis unciis auri ab hominibus dominae Paternionis recolligendis, de corredo ammirati, de magistris marescallae, de cannis incisis pro vineis ecclesiae Sancti Salvatoris de lingua Messanae, de inquisitione procuratorum ecclesiarum vacantium, de baronibus cogendis etiam per stabilia ad debita servitia lignaminum, etc.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 81 verso et seqq.; in edit. Carcan., p. 366-368.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit G. de Cusentia responsales :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Licteras tuas et capitula que nostre excellentie destinasti benignitate recepimus, etc. Quod autem tua capitula continebant quod, licet speciale mandatum nostrum non receperis de danda pecunia pro munitione castrorum Jordano Filangerio olim capitaneo a porta Roseti usque Farum et per totam Siciliam, quia tamen expedire vidisti et necessarium esse ne castra nostra immunita manerent, pecuniam, vinum, frumentum et alia necessaria pro munitione castrorum ipsorum que sunt per partes jurisdictionis tue, ad requisitionem ipsius Jordani exhibere fecisti; Romanis etiam mercatoribus qui dudum camere nostre pecuniam mutuaverant et eos ad te misimus quietandos, statim quod ad te venerunt, secundum formam mandatorum nostrorum quam tibi pro singulis eorum misimus, debitam eis pecuniam exsolvisti; et quod ad mandatum pro parte nostra factum tibi pro Phi-

Digitized by Google

lippo de Zunculo (*a*) in forestis nostris venari fecisti per octo dies tantum pro Francigenis crucesignatis qui in partibus ipsis erant; et captis tantummodo XX porcis in ipsis, eos predictis crucesignatis ex parte curie nostre presentari fecisti, deinde fecisti inhiberi forestas predictas et diligentissime custodiri ne aliquis ulterius .n illis aliquatenus venaretur; porcos etiam curie nostre, quia glandes deficiebant et possent in dampnum curie nostre macrescere, occidi fecisti et ad opus curie nostre fieri paccones ex eis, et quod ad mandatum nostrum exinde tibi missum custodiam palatii, jardini et vinee nostrorum Cathone, Nicolao de Saburro (1) fideli nostro assignari fecisti, tribuens eidem boves decem pro duobus pariclis, somerios duos et burdonarium unum pro ferendo somerio ad jardinum, duos jardinerios pro jardini et vinearum cultura, duos laboratores pro laborando cum bubus predictis, et duos alios custodes qui una cum predicto Nicolao forestam nostram custodiant; et quod pro occidendis lupis et vulpibus, ne parvula animalia in forestis nostris coalentia destruant, diligenter intendis; nec non quod significasti te ab hominibus domine Paternionis CCC uncias auri ad opus curie nostre colligere pro CCC unciis quas eisdem Riccardus de Montenigro olim magister justitiarius in Sicilia citra flumen Salsum et Guillelmus de Sanginito in anno preterito XII indictionis imposuerunt pro collecta nec habite fuerant ab eisdem; et quod ad tollendas solitas fraudes campsorum et aliorum regacteriorum (2) Messane, catapanos fideles statuisti ibidem, et sic in omnibus bonum forum et placidum peregrini morantes ibidem inveniunt, gratum est excellentie nostre et in premissis omnibus, si utilitatem curie nostre respiciunt, tuum studium commendamus. De ammirato nostro qui petit habere proventus marinarie et lignaminum jurisdictionis tue, quos per doanam nostram recolligi esse asseris consuetum, dudum tibi super eodem nobis scribenti capitulo per alias responsales nostras recolimus respondisse, secundum quarum tenorem volumus

(*a*) Aptius legendum credimus *per Philippum de Zunculo.*

---

(1) Iste tamen vocatur *Nicolaus Sylvestris de Mesa* in mandatis quae supra ad initium Regesti ordinavimus, p. 410.

(2) Isti forsitan qui gallice dicebantur *regrattiers*.

ut procedas. Qnod autem idem ammiratus corredum suum statutum a nobis dari sibi a te postulat ex eo tempore quo Pisas applicuit veniendo in regnum, cum ammiratie officinm a regno Sicilie titulum sortiatnr, mandamus nt ab eo tempore quo tunc cnm officio veniens regnum intravit pro nostris servitiis exequendis, ad pondns curie nostre corredum ipsum sibi facias exhiberi. De magistris marescallarum nostrarum qui dicunt se equis nostris ordeum dedisse de suo a morte quondam Matthei Marchafabe secreti predecessoris tui usque ad tuum in partes ipsas accessum et petunt ipsum sicut nunc valet, pro eo quod carius est, non secundum quod tunc cum ipsum dederunt valebat, restitui, mandamus ut ipsum quod tibi constiterit de suo equis nostris dedisse, sicut tunc valebat cum ipsum dederunt restitui facias. Quod vero procuratori et conventui Sancti Salvatoris de lingua Messane in canneto nostro Cathone quod fuit ejusdem ecclesie, pro vineis ecclesie cannas permisisti incidi, raro tamen et per diversa loca, ex qua incisione nullo modo dampnificatur venatio, immo melioratur propter liberiorem introitum et exitum venatorum et canum, presertim cum si de cannis ipsis pro predicte ecclesie vineis non haberentur, oportuisset de proventibus ecclesie qui ad nostram curiam perveniebant emi, placet nobis quod inde fecisti, si premissa se habeant ut

Fol. 83 recto. scripsisti. | De inquisitione quam sicut scripsisti facis fieri diligenter contra procuratores ecclesiarum vacantium, ex quorum culpa et negligentia ecclesias ipsas destructas asseris et consumptas, tuam diligentiam commendamus; tu vero in ecclesiis vacantibus jurisdictionis tue tales procuratores constituas in quibus non possit culpa notari vel negligentia reprehendi, immo si expedire videres melius tam pro curie nostre quam pro majori commoditate ecclesiarum ipsarum ut proventus ipsarum aliquibus clericis in extalium locarentur, per quos et proventuum quantitas augeretur et bona ecclesiarum possent commodius procurari, placet nobis ut facere non postponas. De baronibus qui tenentur curie nostre solvere servitia lignaminum galearum, qui cum mobilia non habeant unde cogi possint ad prestanda servitia supradicta, si per stabilia cogi ad hoc debeant requisiti, volumus ut qui mobilia non habuerint, per stabilia etiam ad prestanda debita servitia curie nostre compellas. De judice quem am-

miratus statuit in Messana ad cognoscendum de questionibus inter marinarios agitatis, quem asseris se de hys intromictere non debere nisi tantum cum armatur, volumus ut de questionibus que de rebus galee nostre Messane servitio obligatis nascuntur (1), eumdem judicem permictas cognoscere, sicut consuetum dicitur hactenus, donec super hoc plenius disponamus et mictamus inde tibi nostre beneplacitum majestatis. De Januensibus qui Messane morantes armata manu pacem nostram et tranquillitatem frangentes in quosdam Saonenses fideles nostros insiluerunt in platea Messane, in unum eorum privatum carcerem coercentes (a), cujus rei cognitionem objectum est non ad te, sed ad stratigotum Messane spectare, placet nobis ut singula secundum quod ad sua que discreta sunt spectant officia terminentur; tu tamen predicto stratigoto districte precipias ut inquisita diligentius veritate, si rem invenerit ita esse, Januenses predictos capiat de personis et usque ad mandatum nostrum faciat custodiri, sicut eidem nos etiam mandatum dirigimus speciale. De pecunia autem collecte dudum imposite per M. Marchafabam super hominibus domine Paternionis in anno preterito XII indictionis, quam recollegisse te scripsisti ab eis, et de pecunia quam dedisti pro facienda sambuca ad opus karissime consortis nostre, culmini nostro placet. Prisonum autem illum qui venit de partibus ultramarinis cum Gualterio de Fisaulo, jamdudum ad presentiam nostram venire mandavimus. De rebus similiter delatis in navi curie nostre que vocatur Aquila de partibus ultramarinis, cum rationes velimus esse discretas et navis predicta non fuerit suo tempore onerata nec missa, scripsisse recolimus Johanni de Cioffo fideli nostro qui Mattheo Marchafaba mortuo navim ipsam mictere procuravit, ut eas ad curiam nostram mictat, cum ad suum videatur ratiocinium pertinere. De ratione ejusdem Johannis de Cioffo quam tibi recipiendam commisimus, volumus ut eam secundum consuetudinem doane recipias. Inqui-

(a) Infra vero *exercuerunt*, unde hic legendum est *exercentes*.

(1) Hunc locum emendavimus e Petr. Vincentio, *Teatr. de' grand' ammiragli*, p. 20 (Napoli, 1628), qui recte fragmentum refert, erronee tamen Alexandro fil.o Henrici ammirati titulum adscribit.

Digitized by Google

sitionem quam fieri fecisti de navi passa naufragium in Calabria et ad nos misisti, recepimus, et quia pars que in eadem inquisitione tangi videtur ad presentiam nostram accessit, et eam ad proponendum jus quod habere se dicit admicti mandavimus, tibi super hoc ad presens distulimus respondere, sed postquam causa ipsa examinabitur prout decet, tibi nostrum beneplacitum dirigemus. De Basilio de Logotheta quem significasti sub pretextu quarumdam licterarum nostrarum ad justitiarium Calabrie impetratarum de citandis quibusdam hominibus venire ad presentiam nostram responsuris eidem, multos immo quasi omnes bajulos et officiales illarum partium facere maliciose citari, | ut dum eos propter citationem terruerit, pecuniam emungat ab eis, et sub tali dolo pecuniam a multis extorsit, ut scribis, volumus et mandamus ut si est ita, preter (a) illos qui expresse in licteris nostris nominati sunt, alios quos citari fecit ad curiam nostram propter hoc non permictas venire, immo eos volumus ab eadem citatione absolvi, cum aliquorum fraudes et dolos in gravamina nostrorum fidelium redundare nolimus; nichilominus volumus et mandamus ut diligenter inquiras si occasione predicta idem Basilius pecuniam vel aliquid aliud extorsit ab aliquo vel recepit, et quicquid inde inveneris nostro culmini studeas intimare.

Fol. 82 verso.

Datum Corneti, VIII martii, XIII indictionis.

Item scriptum est stratigoto Messane de predictis Januensibus qui in Saonenses insiluerunt in Messana [et] pacem et tranquillitatem imperialem frangentes in unum eorum privatum carcerem exercuerunt, ut si rem invenerit ita esse, Januenses predictos capiat de personis et eos usque ad imperiale mandatum diligenter faciat custodiri.

Corneti, 8 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, Nicolao [Sicho], tertiario capellae suae Panormi, capellaniam castri sui Geracii in Sicilia

(a) In impresso *propter*, minus recte.

Digitized by Google

post obitum Roberti de Geracio cum omnibus justitiis et rationibus concedit.

(Edit. ap. *Tabular. reg. ac imper. cap. div. Petri*, p. 55, n° 41, ex cod. Anton. Amici. — Minus vero correcte ad ann. 1239 reponitur.)

Fridericus, Dei gratia Romauorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Notnm facimus uuiversis quod Nicolao (1) terciario cappelle sacri palatii nostri Panormi, fideli uostro, ad supplicationem ipsius terciarii, cappellam castri nostri Geracii in Sicilia que ad collationem nostram spectare dignoscitur, quam idem dictus Nicolaus clericus vacare asseruit ex obitu presbyteri Roberti de Geracio qui ex concessione quondam comitis Aldoyui tuuc domini ejusdem castri eam tenebat, de gratia nostra concessimus, si vacat, cum omnibus justiciis et rationibus suis. Ad cujus concessionis nostre memoriam, presentes litteras fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum Corneti, octavo martii, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum filium Henrici, pro expensis Palmerio leoparderio exhibendis. Corneti, 10 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 82 verso; in edit. Carcan., p. 368.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Camera scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Ecce mictimus Palmerinm latorem presentium leoparderium nostrum pro affaytando leopardo nostro in Luceria. Fidelitati tue mandamus quatenus eidem Palmerio a kaleudis preseutis meusis martii in autea quonsqne videlicet pro eodem servitio nostro ibidem moram traxerit, pro se, uno scutifero et duobus

(1) Vocabatur *Nicolaus Sichus*, sicut apparet ex instrumento anni 1252, *ibid.*, n° 45, ubi transumitur quoque haec imperialis concessio.

Digitized by Google

eqnis expensas tribnas, secundnm quod Thomasius de Brundusio predecessor tuus dare consnevit eidem, et recipias ab eo de hys que sibi dederis apodixam.

Datum Corneti, X martii, XIII indictionis.

Viterbii, 12 martii.

Mandata varia de bonis quondam Johannis de Amato annotandis et de Jacobo Capice in locum ejusdem Johannis pro servitio curiae imperatricis statuendo.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 83 recto; in edit. Carcan., p. 369.)

De imperiali mandato facto per magistrum Johannem (?) *de Camera scripsit Laurentius :*

Fridericus, etc., [Roggerio de Amicis justitiario ultra flumen Salsum, etc.] (*a*). Quia Johannes de Amato qui plura de servitiis nostris exercuit et de bonis nostre curie procuravit, propter que ratiocinio nondum posito bona sua remanent adhuc nostre curie obligata, nuper in fato concessit, mandamus quatenus adhibeas tecum quatuor divites et fideles ac ydoneos homines Panormi coram quibus in Panormo et extra per jurisdictionem tuam inquiras et videas bona quondam ipsius et eadem facias annotari, ut per eadem bona ad requisitionem nostram de hys que curia nostra requisierit satisfiat, quecumque inveneris distincte nobis per tuas licteras rescripturus. Requiras nichilominus coram predictis hominibus uxorem quondam ejusdem Johannis ut de rebus curie nostre si quas habet, tibi pro parte nostra coram eisdem assignet, super quibus et predictis omnibus licteras tuas ad cameram nostram mictas.

Datum Viterbii post reditum a Corneto, XII martii, XIII indictionis.

Similes Guillelmo de Anglone justitiario citra [flumen Salsum] preter illud uxoris.

(*a*) Haec e nota marginali supplentur.

Digitized by Google

Item responsales :

Fredericus, etc., B. venerabili Panormitano archiepiscopo dilecto familiari et fideli suo, etc. Devotionis tue licteras, etc. Cognito igitur obitu Johannis de Amato ad litteras ipsas, ecce quod loco ejus Jacobum Capicem duximus statuendum. Mandamus quatenus eumdem J. cum filio nostro cujus est custodie deputatus ad te personaliter venire facias, et eum esse in servitio curie karissimo consortis nostre disponas, studens et procurans in omnibus que commoditati ejusdem poterunt expedire; et ecce quod universis officialibus nostris patentes licteras destinamus ut ad requisitionem ipsius J. pecuniam et necessaria pro dicta curia debeant exhibere. Preterea Jacobo predicto mandamus ut veniat illuc et in servitio ipso de tua dispositione moretur. Quo veniente consors nostra ire poterit ad locum predestinatum, sicut prius fuerat constitutum.

Datum [*ut supra*].

Item officialibus universis regni Sicilie ut ad requisitionem dicti Jacobi statuti ad servitia curie supradicte, pecuniam et necessaria ad opus ipsius curie de hys que sunt per manus eorum sine aliqua difficultate curent exhibere, recipientes apodixam.

Item ipsi Jacobo quod vadat.

Litterae responsales et mandata varia de quibusdam rebus ecclesiae Sanctae Trinitatis de Panormo ad manus curiae revocatis, de privilegiis hospitalis Sancti Johannis infirmorum si authentica sint inspiciendis, de residuo gayti quondam Mathaei ad fidem quaternionum ipsius gayti recolligendo, de consilio secreti Panormi super quibusdam capitulis requirendo, de ratione gayti eidem secreto reddenda. Viterbii, 12 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 83 recto; in edit. Carcan., p. 369, 370.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco :

Digitized by Google

Fredericus, etc., notario Philippo gayto Panormi, etc. Benigne recepimus tue fidelitatis licteras et ipsarum tenore cognito, ecce tibi ad singula respondemus. Primo quod ab ecclesia Sancte Trinitatis de Panormo, cognito jure curie nostre et invento jure ecclesie defectivo, vineam quam plantaverat in flumine Abbas, piscariam quam faciebat in ipso flumine, barbacanum extra portam Thermarum Panormi et aliud barbacanum intra menia civitatis Panormi jardino suo (*a*), ecclesia ipsa exclusa, ad manus nostre curie revocasti, placet nobis. Privilegia vero nostra et divi augusti patris nostri que sicut scribis in rationibus ipsius ecclesie reperisti, quorum auctoritate contenta in eis parti ecclesie dimisisti, curie nostre ea volumus presentari. De tenimento hospitalis Sancti Johannis infirmorum unde ecclesia non ostendit nisi notulam unam privilegii quod se dicit habere a rege G. indultum, quod dicitur esse in partibus ultramarinis, cujus tenore revocationem distulisti, propterea quod in quodam privilegio nostro eidem ecclesie indulto continetur confirmatio dicti regis Guilielmi privilegii, quia parti ecclesie certum terminum non dedisti quo ipsorum (*sic*) privilegium autenticum presentaret, digne redarguimus processum tuum. Mandamus ergo fidelitati tue quatenus terminum peremptorium competentem tribuas eidem ecclesie quo ipsum privilegium regis G. nostre curie representet; si vero non fuerit presentatum in termino, quicquid in eodem dicitur contineri ad manus curie nostre revoces, tanquam si nullum privilegium predicte ecclesie fuerit indultum; cum si presentatum documentum mentionem contineat alterius documenti, edi debeat illud de quo facit mentionem. De terris laboratoriis quas eadem ecclesia habet sicut scribis in circuitu Panormi, emtas quondam per cancellarium M. sicut scribis, firmatas fuisse eidem hospitali per quoddam privilegium regis G. grecum et sarracenicum et ideo ad revocationem earum procedere distulisti, mandamus fidelitati tue ut ipsum autenticum privilegium curie nostre certo termino precipias presentari, ut de ipsius et aliorum privilegiorum tenore majestatis nostre beneplacitum voluntatis injungamus. Nichilominus tamen volumus ut diligenter inquiras de bullis, filis et licteris predictorum

(*a*) Forsitan supplendum *contiguum* vel *vicinum*

Digitized by Google

privilegiorum, sigilla etiam si vera et carentia vitio videantur; de eis etiam conlationem facias diligentem, et quicquid inde inveneris sub sigillo tuo significes nostre curie seriatim. De stabilibus vero que hospitale oblationum vel emptionum titulo possidebat, que dato per te termino et transacto vendere presumebat, ad nostram curiam revocasti, placet nostre excellentie quod fecisti. Item idem etiam respondemus de eo quod de hospitali Sancti Johannis extra portam Sancte Agathe per totum mensem februarii proximo preteritum te facturum tuis licteris intimasti. De capitulis a nostra tibi majestate transmissis, quorum aliqua perfeceras sicut scribis et quedam dicis te non posse perficere sine consilio secreti, ecce eidem secreto mandamus ut tibi in hys pro servitiis nostris assistat consilio et favore. De residuo gayti quondam Matthei predecessoris tui quod dicis non posse recolligi sine quaternionibus ipsius gayti M., qui sunt in palatio nostro sub custodia G. de Amato sigillati sigillo J. de Amato castellani ejusdem palatii, ecce scribimus eidem G. de Amato fideli nostro ut quaternos ipsos tibi faciat ostendi et si expedierit exemplari, cautela adhibita quod fideliter ostendentur et exemplentur. De ratione tua reddenda de officio tuo secreto pro preterito tempore et futuro presentis indictionis, placet nobis quod coram eo ponas, et eidem mandamus quod a te recipiat rationem de anno etiam proxime preterito XII indictionis. De piperiis vero placet nobis ut quid inde faciendum videris de consilio ipsius secreti, scribas nobis quid pro curia nostra melius fuerit faciendum.

Datum Viterbii, XII martii, XIII indictionis.

| *De eodem mandato scripsit idem :* Fol. 63 verso.

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Significavit excellentie nostre notarius Philippus gaytus Panormi fidelis noster quod super quibusdam capitulis dudum sibi a nostra celsitudine destinatis tuum sit ei auxilium et consilium oportunum, quia cum quedam peregerit, quedam commode non potest peragere nisi tuo auxilio mediante. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus in quibuscumque negotiis ad nostrum servitium spectantibus consilium et auxilium tuum idem gaytus duxerit requirendum, tu ei studeas exhibere. Volumus

Digitized by Google

etiam et mandamus fidelitati tue ut rationem ab ipso gayto de anno proxime preterite XII indictionis unde rationem non posuit, de preterito etiam et futuro presentis XIII indictionis exigere debeas et recipere pro parte curie nostre, diligenti in ea adhibito studio pro juribus nostre curie conservandis ut studium tuum, etc. Ipsi enim gayto licteris nostris injungimus ut coram te ponere debeat rationem.

Datum [*ut supra*].

Item :

Fredericus, etc., Guillelmo de Amato, etc. Significavit excellentie nostre notarius Philippus gaytus Panormi fidelis noster quod residuum gayti quondam Matthei predecessoris sui recolligere non potest, nisi quaterniones sui ostendantur eidem, qui sunt in palatio nostro Panormi in custodia tua, sub sigillo Johannis de Amato quondam fratris tui fidelis nostri. Unde cum nolimus ut propter hoc recollectio ipsius residui retardetur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus quaterniones ipsos eidem notario Philippo inspiciendos ostendas et si expedierit facias exemplari, cautela tamen diligenti adhibita in presentia fidelium virorum quod fideliter legantur et si expedierit exemplentur; quo diligenter peracto, sub bona custodia et cautela debita reponantur.

Datum [*ut supra*].

Viterbii, 12 martii.

Litterae responsales et mandata de assignando G. de Naro qui thesaurum invenisse dicitur, in manus justitiarii Siciliae ut per tormenta eruat veritatem, de armis quondam camerarii, de possessionibus bajulorum assignatis ad opus curiae, de mille unciis assignandis judici Jacobo de Capua, de jumentis, bubus et ovibus quae fuerunt quondam R. de Calvellis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 83 verso; in edit. Carcan., p. 370, 372.)

Item responsales :

Fredericus, etc., Severino de Calataphimo, etc. Benigne recepimus

fidelitatis tue licteras, et plenius intellectis hys que de processu habito coram te inter Flachiam incusantem G. de Naro quod languenam plenam monete argenti invenisset in casali quod dicitur Ciniana et eumdem G. qui manifestavit tibi sicut scripsisti se ipsum thesaurum invenisse in loco predicto, qui sciens postmodum te amotum ab officio nostro dixit quod non fuit ita sicut tibi manifestaverat, ecce scribimus R. de Amicis, etc., ut G. ipsum a te recipiat, et quia fraudem ejus ostendit evidens conjectura, ipsum subdi faciat questioni ut sub tormentis eruatur veritas que per malitiam occultatur. Tu igitur eumdem G. eidem justitiario nostro assignes ut officium suum exerceat in eumdem. Capitula etiam tuis litteris interclusa prospeximus, et ecce tibi ad omnia respondemus. Primo de armis quondam camerarii que habebat Petrus Marillianus et recepisti ab eo et assignasti castellano nostro Calataphimi secundum actum quod inde misisti curie nostre, recepit. De provisionibus (a) bajulorum quas pro residuo bajulationum quas emerant, cum pecuniam debitam curie nostre non solverent, ad opus nostrum cepisti ab eis, que valent sicut scripsisti ad duplum quod nostre curie tenebantur, ecce scribimus secreto Panormi fideli nostro ut ipsas a te recipiat et ad opus nostrum faciat procurari; nichilominus tamen quantitatem et nomina debitorum et quid valeat quod ab unoquoque acceperis nobis significes seriatim. De pecunia proventuum bajulationis, scilicet sexcentis unciis auri, quas dicis esse penes te et recollegisse de residuo bajulationum ipsarum uncias quadringentum, que omnes una sunt mille, de quibus quid velimus te facere nostrum beneplacitum quesivisti, mandamus fidelitati tue quatenus si cum presentes litteras receperis, non assignasti eas judici Jacobo de Capua fideli nostro quem pro recolligenda pecunia ab officialibus nostris in Sicilia duximus transmictendum, tu ipsas M uncias eidem judici Jacobo ad opus curie nostre debeas sine mora qualibet assignare. De tribus jumentis que fuerunt R. de Calvellis inventis apud Acrigentum sub custodia Stephani Pisani, que assignasti sicut scripsisti R. de Nicolao scuterio marescalle nostre, placet nobis quod fecisti; de quatuor jumentis

(a) Sic; legendum vero *possessionibus*, sicut infra compertum habemus.

Digitized by Google

que sicut scripsisti dictus R. de Calvellis dicit restituisse dominis eorum antequam discederet de Sicilia, per te veritatem inquiri volumus, si verum est quod restituerit eorum dominis, et quanto tempore eadem jumenta detinuit et pro qua causa ipsa accepit; et quod iuveneris sub sigillo tuo ad curiam nostram mictas. De X bubus qui fuerunt ejusdem R. assignatis per te juxta maudatum nostrum P. de Gerentia magistro pariclorum, acceptamus quod fecisti. De ovibus ejusdem R. quas invenisti per manus M. de Platia inter magnas et parvas DCCLXXXX et per manus Gufulonis Sarraceni inter magnas et parvas DCCV sicut scripsisti, et dari fecisti eas ad cabellam, prout alie oves curie nostre dari consueverunt, acceptamus quod inde ad utilitatem curie nostre fecisti, et mandamus fidelitati tue ut omnes ipsas oves secreto Panormi fideli nostro facias assiguari, cui maudamus per nostras licteras ut ipsas a te recipiat et cum diligentia debita faciat procurari.

Datum Viterbii, XII martii, tertiedecime indictionis.

Item Rogerio de Amicis justitiario ut ab ipso Severino dictum G. de Naro recipiat et in eo exerceat officium suum, ut in tormentis eruatur veritas que per ipsius malitiam occultatur.

Fol. 84 recto. | *De eodem mandato :*

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Significavit excellentie nostre Severinus de Calataphimo fidelis noster quod cum quidam bajuli pro residuo bajulationum quas emerant tenentur solvere quamdam pecunie quantitatem, quasdam possessiones eorum, domos videlicet et vineas, pro pecunia ipsa ad opus curie nostre recepit ab eis valentes ad duplum quam solvere tenerentur. Quare fidelitati tue precipiendo maudamus quatenus domos et vineas ipsas ad opus nostrum capias et cum diligentia debita facias procurari, provisurus diligenter si de possessionibus ipsis in quantitate curie nostre debita non sit ab ipsis bajulis idonee satisfactum, facias ut in eis nostra curia non fraudetur. Significavit insuper nobis quod de ovibus que fuerunt R. de Calvellis quondam magistri justitiarii in Sicilia, etc., invenit per manus M. de Platia inter oves magnas et parvas DCCLXXXX et per manus Gefuloni Sarraceni in Agrigento inter magnas et parvas DCCV quas fecit dari ad ca-

Digitized by Google

bellam, prout alie oves curie nostre dari consueverunt. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus oves ipsas omnes ad opus nostrum recipias et cum debita diligentia facias procurari, rationem de fructibus seu cabella preteriti temporis recepturus ne in eis curia nostra fraudetur.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad secretum Messanae ut Obbertum Commenalem de Augusta et socium ejus in partibus Augustae ad thesauros inveniendos fodere permittat. Viterbii, 12 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 84 recto; in edit. Carcan., p. 372.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto [Messane], etc. Accedens ad presentiam nostram Obbertus Commenalis de Augusta legum professor, fidelis noster, pro parte sua et Buctari socii sui de eadem terra, nostre proposuit majestati quod in partibus Auguste sunt loca in quibus sperat firmiter inventiones maximas invenire, si nos sibi daremus licentiam fodendi in partibus ipsis sine contradictione vel molestia alicujus. Nos autem sperantes inde habere posse proficuum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus in locis que ipsi decreverint partium predictarum, eosdem absque impedimento alicujus permictas fodere suis laboribus et expensis, eligens nichilominus duos viros providos divites et fideles qui cum eis pro parte curie nostre morentur ut principia hujus rei videant et eventus, per quos etiam certus de singulis, omnia scribas nobis, omne studium et diligentiam habiturus, etc.

Datum Viterbii, XII martii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Viterbii, 13 martii.

Mandatum ad Angelum de Marra ut faciat rationem de residuo quod Blasius mercator Romanus causa mutui sibi debitum dicit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 84 recto; in edit. Carcan., p. 272.)

Eodem die, de mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit Johannes de Idronto Angelo de Marra ut faciat rationem de quantitate temporis elapsi et residuo quod Blasius mercator Romanus dicit se debere habere pro se et socio pro dampnis et interesse, ratione mutui quod idem Angelus cum quadam parte dampnorum et interesse ipsis restituit de mandato familiarium Capuani et Ravellensis.

Facte sunt presentes secundum formam aliarum (1) que scripte sunt III februarii in Fulineo.

Viterbii, 13 martii.

Litterae responsales ad Criscium Amalfitanum super inquisitione facta in Raynaldum de Transaquis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 84 recto; in edit. Carcan., p. 272.)

De mandato imperiali facto per magistrum T. de Suessa scripsit P. de Capua responsales :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano, etc. Inquisitionem Raynaldi de Transaquis de mandato nostro per te factam, quam per latorem presentium nostro culmini destinasti, excellentia nostra recepit et tuum exinde studium commendamus. Fidelitati tue mandamus quatenus super omnibus servitiis nostris tibi commissis sic studiosus intendas ut, etc.

Datum Viterbii, XIII martii, XIII indictionis.

(1) Scilicet pro Gilio Tinioso. Vide supra, p. 711.

Digitized by Google

Responsales et mandata varia de militibus et peditibus mittendis ad Jacobum de Morra, de locandis hominibus Sancti Angeli, de collecta a clericis et ecclesiis requirenda, de castellano Casuli amovendo, de pecunia collectae in castro Introduci reponenda. Viterbii, 13 martii

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 84 verso; in edit. Carcan., p. 372.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit G. de Cusentia responsales :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Licteras fidelitatis tue, etc. De militibus autem octo et ducentis peditibus quos dudum per te ad Jacobum de Morra capitaneum in Ducatu fidelem nostrum pro nostris servitiis de partibus jurisdictionis tue micti mandavimus, pro quibus sicut scripsisti licet persone inveniantur in jurisdictione tua, arma decentia ibidem inveniri non possint, volumus ut mictas etiam per alias partes ubicumque sic armati poterunt inveniri, ita quod predicta quantitas militum et peditum bene munita armis, sicut tibi mandavimus, per te ad predictum Jacobum de Morra mictatur. Quod autem nostram excellentiam consultasti ubi et in quibus locis velimus homines Sancti Angeli (*a*) ad habitandum locari, volumus et mandamus ut eos in territorio predicte terre Sancti Angeli loces, faciens ex eis tria casalia ubi commodius et decentius videris pro nostra curia expedire. De collecta vero a clericis et ecclesiis jurisdictionis tue exigenda, de cujus forma et quantitate quesisti, mandamus ut consideratis posse et facultatibus singulorum requiras et exigas ab eisdem prout melius expedire videris pro curia nostra, ita tamen quod quantitas que anno preterito fuit eis imposita, hoc anno per te recolligatur ab eis. De Petro archiepiscopi Russanensis (*b*), qui de man-

(*a*) In margine *de hominibus civitatis Sancti Angeli.*

(*b*) Subaudiendum, ut videtur, *filio.*

Digitized by Google

dato nostro erat castellanus in castro nostro Casuli constitutus, et quia inutilis et insufficiens erat ibidem propter infirmitatem continuam qua laborat, tu una cum Johanne de Raymo provisore castrorum nostrorum ipsarum partium eumdem castellanum necessario amovisti, ex quo sic inutilis et insufficiens erat ibi, placet nobis quod ammovisti eumdem. Miramur tamen et te in hoc redarguimus non indigne quod cum scripseris te alium substituisse ibidem, quod et sine conscientia nostra facere non debueras (1), nomen ejus et unde sit nostre nequaquam excellentie nunciasti. Significa igitur nomen substituti et de quo loco fuerit nobis, et tunc quid de eo nobis placuerit rescribemus. De cetero sic negligenter in talibus non procedas. Et ecce quod predicto Petro archiepiscopi qui de recedendo nostrum expectat mandatum, licteras mictimus quod recedat. De pecunia vero presentis collecte super qua recolligenda et mictenda ac assignanda diversa te asseris recepisse a nostra majestate mandata, quibus cum videaris quodammodo perplexus instrui diligentius requisisti, mandamus ut quamvis super hoc diversa mandata receperis sicut scribis, cum ex qualitate negotiorum quandoque mandatorum varietas debeat provenire, tu pecuniam collecte ipsius instanter recolligas, et sicut dudum tibi mandavimus in castro nostro Introduci reponi facias recollectam et ibidem servari, donec de ea quid placuerit injungamus. Tu vero super hoc tantam curam adhibeas ut apud nos commendabilis appareas ex effectu. Pecuniam vero quam Henrico illustri regi Turrium et Gallure, etc., pro nostris servitiis exequendis per te de predicta pecunia mandavimus assignandam, sibi sine defectu facias assignari.

Datum Viterbii, XIII martii, XIII indictionis.

Item scripsit :

Fredericus, etc., Johanni de Raymo de Capua provisori castrorum in Aprutio, etc. Benigne recepimus, etc. De Petro autem archiepiscopi Russanensis qui de mandato nostro erat castellanus in castro nostro Casuli con-

(1) Castrum tamen Casuli non numeratur inter ea quae in justitiariatu Aprutino *exempta* declarantur, scilicet a quibus castellani sine imperiali conscientia non sunt removendi. Vide supra, p. 443.

Digitized by Google

stitutus, quem cum inutilem et insufficientem ad hoc inveneris ut scripsisti propter gravem et continuam infirmitatem quam patitur, una cum B. Pissono justitiario Aprutii amovisti, ex quo sic inutilis et insufficiens erat ibi, placet nobis. Miramur tamen et te redarguimus non indigne quod cum scripseris te alium substituisse ibidem, quod et sine conscientia nostra facere non debueras, nomen ejus et unde sit nostre nequaquam excellentie nunciasti. Significa igitur nomen ejus et de quo loco fuerit nobis, et tunc quid de eo nobis placuerit rescribemus, et de cetero sic negligenter in talibus non procedas; et ecce quod predicto Petro qui de recedendo nostrum expectat mandatum, licteras mictimus quod recedat.

Datum [*ut supra*].

| *Item scripsit :* Fol. 85 recto.

Fredericus, etc., Petro archiepiscopi Russanensis, etc. Significantibus nobis B. Pissono justitiario Aprutii et Johanne de Raymo de Capua provisore castrorum nostrorum in partibus Aprutinis, fidelibus nostris, nostra serenitas intellexit quod cum tu quadam gravi et continua infirmitate labores, propter quam ad custodiam castri nostri Casuli quam tibi commisimus non potes intendere, alium in castro ipso castellanum duxerunt pro parte nostre curie statuendum; tu tamen inde recedere metuis sine nostro speciali mandato. Verum cum et nos necessitatibus fidelium providere delectet, fidelitati tue mandamus quatenus ex quo infirmitate gravante in predicto nostro servitio morari non potes ut debes, ad propria revertaris.

Datum [*ut supra*].

Litterae patentes et clausae pro diversis mercatoribus Romanis de pecunia quam imperiali camerae mutuaverunt, ad certos terminos ibidem expressos quietandis. Viterbii, 13 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 85 verso; in edit. Carcan., p. 373 et 374.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia patentes licteras in hac forma :

Fredericus, etc. Notum facimus universis quod Johannes Coutus, Laurentius frater ejus et Jaquintus de Rofrido mercatores Romani fideles nostri mutuaverunt in camera nostra de Venetianis grossis libras centum tres, solidos duos et denarios octo pro unciis auri CCCLXIIII (*a*) ad generale pondus regni ad rationem de solidis sex minus denariis quatuor pro uncia. De quibus promisimus et convenimus eis quod Riccardus de Sancto Germano fidelis noster, quem misimus ad R. de Montenigro justitiarium Terre Laboris et comitatus Molisii pro recipienda ab eo pecunia et ad nostram curiam deferenda, de eadem pecunia quam recipere debet a justitiario supradicto predictos mercatores vel aliquem eorum sive certum nuntium vel procuratorem ipsorum per totum presentem martium sine defectu et difficultate qualibet debeat quietare. Si vero quod omnino nolumus aliquo accidente casu in eodem termino quietati non essent, deinde in antea quamdiu solutio differretur, quatuor Venetianos de qualibet uncia per mensem pro dampnis et interesse idem Riccardus eis solvere tenetur et debet et nichilominus integre solvere eis uncias supradictas. Unde, etc.

Datum Viterbii, anno dominice incarnationis MCCXL, XIII martii, XIII indictionis.

Eodem die scripsit idem licteras clausas pro eis :

Fredericus, etc., Riccardo de Sancto Germano, etc. Cum Johannes Contus, Laurentius frater ejus et Jaquintus de Roffrido mercatores Romani fideles nostri pro libris de Venetianis grossis centum et tribus et solidis duobus et denariis VIII quas nostre camere mutuaverunt, ad rationem de solidis VI minus denariis quatuor pro uncia, recipere debeant per totum presentem martium uncias auri CCCLXIIII ad generale pondus regni sicut cum curia nostra convenerunt, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de pecunia quam tibi nunc R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii fideli nostro mandavimus assignari, predictas CCCLXIIII uncias auri ad generale pondus regni predictis mercatoribus

(*a*) In margine vero *CCCLXIII*.

Digitized by Google

vel alteri eorum debeas assignare. Si vero aliquo accidente casu in hoc termino de predicta pecunia per te quietati non essent, deinde in antea quamdiu solutio differretur de eadem pecunia quam recepturus es a justitiario memorato eisdem mercatoribus exhibere debeas pro dampnis et interesse quatuor Venetianos per mensem pro qualibet uncia, et nichilominus solvas eis totam quantitatem predictam quam debent habere. Tu tamen ita studeas et procures ut per totum presentem mensem martii sicut eis conventum est, quietentur ne per moram curia nostra dampnum incurrat. De solutione autem quam feceris facias et recipias ab eis aliud scriptum competens ad curie nostre cautelam, recepturus ab eis patentes licteras nostras quas eis inde duximus faciendas.

Datum Viterbii, XIII martii, XIII indictionis.

Eodem die similes patentes facte sunt pro Johanne Carboncello et Petro Carboncello fratribus mercatoribus Romanis de libris Venetianorum grossorum XXVI et solidis XV pro unciis auri CVII ad generale pondus, ad rationem de solidis V per unciam; qui debent quietari hinc ad tres menses completos, et si aliquo accidente casu tunc quietati non essent, debent habere pro dampnis et interesse in antea quamdiu solutio differretur de supradictis centum unciis tres uncias auri.

Item scriptum est secreto Messane quod de predicta quantitate in termino ipso de interesse et dampnis ad rationem predictam si solutio differretur eos debeat quietare, ita tamen curaturus quod per sui negligentiam curia dampnum non incurrat; quibus quietatis recipiat ab eis patentes licteras que facte sunt eis et faciat aliud scriptum competens ad curie cautelam.

| [Eodem die] facte sunt similes patentes et clause lictere ad eumdem secretum Messane pro Petro de Algaruchio et Stephano de Cesare Romanis de Venetianorum grossorum libris LV et solidis XI 1/4 pro unciis CCXXII et tarenis VIIII eodem termino et forma solvendis. Fol. 86 recto.

Eodem die facte sunt similes patentes et clause ad magistros sicle Brundusii pro Algaruchio filio Sixti, Johanne de Algaruchio, Petro de Algaruchio de Tiniosis et Andrea Doccamazo Romanis de libris Venetianorum grossorum XXXIII, solidis XVI et denariis III pro unciis auri CXXXVIIII et quarta eodem termino et forma solvendis.

Digitized by Google

Eodem die facte sunt similes patentes et clause ad predictos magistros sicle Brundusii pro Algaruchio filio Johannis Algaruchii Tiniosi, Sixto Johanne Algaruchii de Tiniosis et Petro Tinioso Romanis de libris Venetianorum grossorum LXVII et solidis II 1/4 pro unciis auri CCLXVIII 1/4 eodem termino et forma.

Eodem die facte sunt similes patentes et clause ad predictos magistros sicle Brundusii pro Petro Jurda et Gualterio de Cesare Romanis de libris Venetianorum XXVII 1/4 pro unciis auri CX eodem termino et forma solvendis.

Viterbii, 13 martii.

Mandatum ad Andream de Cicala ut homines Arquatae qui castrum Veczani fraudulenter occupaverunt et diruerunt, bonis mobilibus asportatis, justa severitate puniat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 86 recto; in edit. Carcan., p. 375.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea per manus Johannis de Sancto Germano facte sunt littere in hac forma :

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo, etc. Robbertus de Sabuco castellanus Arquate fidelis noster per suas nobis licteras intimavit quod cum de mandato Henrici regis Turrium et Gallure filii nostri et tuo vellet castrum Veczani recipere ad honorem et fidelitatem nostram custodiendum, et una cum hominibus Arquate juxta mandatum dicti regis et tuum expugnaverit castrum ipsum quo posset idem castrum dominationi nostre subicere, major pars hominum castri ejusdem nobis fidelitatis juramenta prestarunt et aliis quibusdam receptantibus se in munitionibus castri, cum castellano predicto pactum inierunt de reddendo sibi castro ad opus nostrum si infra mensem non possent habere succursum. Cumque completo termino castellanus vellet ad recipiendum castrum accedere, homines Arquate fraudulenter occupaverunt castrum ipsum preter conscientiam castellani et illud funditus diruentes, bona mobilia illuc inventa valentia uncias auri centum nequiter asportarunt. Quia igitur excessus hujusmodi

Digitized by Google

nostra celsitudo abhorret, fidelitati tue mandamus quatenus inquisita super his diligentius veritate, si rem inveneris ita esse sicut superius continetur, bonis predictis ad opus curie nostre receptis, prefatos homines Arquate ad honorem nostri culminis taliter punias de predictis ipsorum nequitiam reprimendo, quod ipsis sit ad penam et ceteris ad terrorem.

Datum Viterbii, XIII martii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium citra flumen Salsum ut Vinitum de Palagonia enormiter in detrimentum principis oblocutum de regno expellat. Viterbii, 13 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 86 recto; in edit. Carcan., p. 375.)

De superiori mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Guillelmo de Anglone justitiario in Sicilia citra flumen Salsum, etc. Per A. de Marra innotuit celsitudini nostre quod quidam Vinitus de Palagonia tempore prime orte discordie inter nos et Ecclesiam cum quibusdam consanguineis et complicibus suis procuravit quod terra Lentini juravit tunc Pape, nunc autem post presentem inter nos et dictum Papam ortam discordiam in multorum fidelium nostrorum scandalum enormia verba sicut audivimus obloquitur in detrimentum nostri nominis et honoris. Quod cum nostram tolerare non deceat majestatem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquiras super premissis diligentius veritatem, et si inveneris quod dictus Vinitus tractaverit ac procuraverit quod terra Lentini tunc temporis juraverit Pape et post presentem discordiam fuerit oblocutus de nobis, ipsum tam de predicta terra quam de toto regno expellas, bonis suis omnibus ad opus nostre curie infiscatis, nichilominus in consanguineos et fautores suos processurus prout justitia exigit et honori nostro videris expedire.

Datum Viterbii, XIII martii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Viterbii, 14 martii.

Mandatum ad Carnilevarium de Papia de avibus non mittendis ad mutam.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 86 verso; in edit. Carcan., p. 375.)

De mandato facto per dominum Johannem de Logotheta scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Carnilevario de Papia, etc. Mandamus fidelitati tue quatenus omnes girofalcos, falcones et aves nostras quas habes in cura que volant et adhuc sunt apte ad volandum, differas mittere in mutam usque ad aliud mandatum nostrum.

Datum Viterbii, XIV martii, XIII indictionis.

Viterbii, 14 martii.

Litterae responsales ad secretum Messanae, commendantes quod Petro Johannis Algarutii et socio ejus pecuniam pro mutuo quod camerae fecerant solverit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 86 verso; in edit. Carcan., p. 375.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit Gualterius de Cusentia :

Fredericus, etc., secreto Messane, etc. Benigne recepimus, etc. Quod autem culmini nostro significasti per eas te dudum sacras nostras licteras recepisse de solvendo Petro Johannis Algarutii civi Romano et socio quamdam pecunie quantitatem pro mutuo quod camere nostre fecerant, et licet ut scripsisti in licteris nostris proinde tibi missis nomen tuum inferius (*a*) non esset inscriptum, sed tantum exterius, tu dampnum curie nostre

(*a*) Sic; legendum tamen *interius*.

Digitized by Google

vitans, solvisti eis quantitatem in licteris nostris contentam, placet nobis et tuam in hoc diligentiam commendamus.

Datum Viterbii, XIV martii, XIII indictionis.

Eodem die, de mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit Johannes Idronti Angelo de Marra ut faciat rationem de quantitate temporis elapsi et residuo quod Paulus de Gregorio mercator Romanus pro se et sociis suis dicit se habere debere pro dampnis et interesse, ratione mutui quod idem Angelus ipsis restituit de mandato familiarium Capuani et Ravellensis.

Facte sunt presentes lictere secundum formam aliarum que scripte sunt tertio februarii in Fulineo.

Item similiter lictere facte sunt ad eumdem Angelum pro Nicolao Russo procuratore Henrici Johannis, Petri Bastardi et Johannis Tridente civium Romanorum.

Mandatum ad justiciarium Aprutii ut Johannem Theodini qui filiam Raynerii de Filecta sine permissione principis duxit et possessiones ejusdem Raynerii sibi assumere non expavit, capiat et bonis omnibus infiscatis custodiri faciat. Viterbii, 16 martii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 86 verso; in edit. Carcan., p. 376.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Exposuit majestati nostre Petrus magistri Gentilis de Filecta lator presentium fidelis noster quod cum Raynerius de Filecta propter homicidium quondam Gentilis bajuli ejusdem terre quod idem Raynerius cum Jacobo fratre suo dicitur commisisse, per Johannem de Senicio tunc magistrum camerarium nostrum in Aprutio tertia parte castri Filecte et bonis suis omnibus fuerit destitutus, sicut per eumdem camerarium curie nostre constat, Johannes Theodini sine permissione nostra filiam prefati Raynerii in uxorem as-

sumpsit, et tertiam partem ipsius feudi et alias possessiones ejusdem de quibus curia nostra in possessione fuerat ratione homicidii supradicti, ausu temerario et auctoritate propria assumere non expavit. Cum igitur excessus hujusmodi majestatem nostram non deceat tolerare, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus inquisita super hoc per homines fide dignos diligentius veritate, si rem inveneris ita esse sicut superius est expressum, tu prefatum Johannem Theodini tam tertia parte castri predicti quam aliis juribus omnibus que fuerunt olim Raynerii supradicti sic temere occupatis protinus destitutum, et omnibus bonis suis aliis ad opus nostre curie publicatis, capias per personam et usque ad mandatum nostrum diligenter facias custodire, ut ipse de tanto excessu non gaudeat et alii similia non actentent; significaturus nobis quod exinde duxeris faciendum.

Datum Viterbii, XV martii, XIII indictionis.

Quas licteras detulit Petrus magistri Gentilis de Fileta.

Viterbii, 15 martii.

Mandata ad bajulos Gaietae, ad compalatium Neapolis et ad Riccardum de Polcaro pro dandis expensis Anselmo Carbone et Jacobo de Atino qui missi sunt pro trahendis et nutriendis falconibus, et quod tres unciae pro uno roncino eidem Anselmo exhibeantur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 86 recto; in edit. Carcan., p. 377.)

De imperiali mandato facto per T. comitem Acerrarum scripsit notarius Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., bajulis Gajete, etc. Quia mictimus ad partes vestras Anselmum Carbonem vallectum et Jacobum de Atino fideles nostros pro trahendis falconibus et nutriendis, fidelitati vestre mandamus quatenus ipsi Anselmo a proximo preteritis kalendis martii pro se, duobus scutiferis et tribus equis et nominato Jacobo pro se, uno scutifero et uno equo, ab eo

Digitized by Google

die quo se ad servitium contulerit supradictum et quamdiu in antea pro eodem servitio nostro moram fecerit in eisdem partibus, expensas juxta assisam curie tribuatis et pro eisdem falconibus trahendis et nutriendis faciatis ad eorum requisitionem exhiberi eis necessaria, sicut consueverunt alii ejusdem terre bajuli exhibere dudum hys quos illuc misimus pro servitio supradicto. Et quia iidem ituri sunt pro eodem servitio ad partes Neapolis, volumus quod cum illuc eos ire contingerit, significetis compalatio ipsius terre per licteras vestras pro quibus et quot diebus expensas eis dederitis, ut in antea dum ibi fuerint expensas ipsas recipiant ab eodem, formam denuntiationis ejusdem dicto compalatio per omnia servaturo.

Datum Viterbii, XV martii, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., compalatio Neapolis, etc. Quia mictimus ad partes ipsas etc. [*Sequitur sicut in praecedenti, verbis competenter mutatis, nisi quod* ad partes Gajete *et in fine*] ut in antea expensas easdem ipsi eis tribuant dum ibi fuerint et Neapolim revertentur, eisdem bajulis formam denunciationis ipsius servaturis.

Datum [*ut supra*].

Scripsit P. de Capua de mandato facto per magistrum Roggerium de Camera :

Fredericus, etc., Riccardo de Polcaro, etc. Cum Anselmum Carbonem vallectum et fidelem nostrum ad partes ipsas pro trahendis et nutriendis falconibus nostris mictamus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem Anselmo uncias auri tres ad pondus curie nostre pro emendo uno roncino de pecunia curie nostre que est per manus tuas, debeas exhibere, et recipias ab eo exinde apodixam.

Datum Viterbii, XV martii, XIII indictionis.

Mandatum ad judicem Jacobum de Sanctis pro dandis expensis Johanni Vulcano provisori castrorum in Sicilia. Viterbii, 15 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 87 recto; in edit. Carcan., p. 377.)

Digitized by Google

De mandato imperiali facto per judicem Petrum de Vinea scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., judici Jacobo de Sanctis recollectori pecunie in Sicilia citra flumen Salsum, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatinus Johanni Vulcano civi Neapolitano provisori castrorum ipsarum partium fideli nostro pro se, tribus scuteriis et quatuor equis expensas dare procures juxta assisam curie nostre quando fuerit in servitio supradicto, hys videlicet tantum diebus quibus juxta mandatum nostrum exercuerit officium antedictum.

Datum Viterbii, XV martii, XIII indictionis.

Viterbii, 15 martii.

Mandatum ad Criscium Amalfitanum de quadraginta unciis Gualterio de Ocra capellano et notario persolvendis, tum ex impositione vassallorum ecclesiae Valvensis, tum ex proventibus ejusdem ecclesiae a procuratoribus receptis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 87 recto; in edit. Carcan., p. 377.)

De imperiali mandato facto per dominum Taddeum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano de Capua, etc. Quia magister Gualterius de Ocra cappellanus, notarius et fidelis noster, dudum pro nostris servitiis laborando debitum quadraginta unciarum auri contraxerat, quod solvi providimus de proventibus Valvensis ecclesie et diocesis spectantibus ad episcopum tam in ecclesiis quam vassallis, Ptolomeo de Castellione justitiario quondam Aprutii scripsisse recolimus ut ad requisitionem Andree prepositi et Abbinsi canonici Valvensis ecclesie et Thomasii procuratoris ecclesie Sancti Panphili ac juxta provisionem eorum faceret imponi vassallis ipsius ecclesie uncias supradictas et reciperet ab eisdem, eas dictis procuratoribus tunc temporis de novo statutis nomine dicti magistri G. soluturus, et si quid foret residuum quod ab eisdem vassallis solvi non posset, de proventibus predictarum ecclesiarum et diocesis eorum procu-

Digitized by Google

rationi commissis dicti procuratores solverent, et hoc ideo ne occasione hujusmodi collecta illius temporis impediri valeret. Nuper autem dicti vassalli nobis humiliter supplicarunt quod cum quedam quantitas non minor duodecim unciarum auri ex impositione dicti justitiarii et receptione procuratorum ipsorum ab ipsis vassallis fuerit persoluta, nunc etiam adveniente presenti collecta, sue ut asserunt ad utrumque persolvendum non suppetant facultates, providere ipsis de nostra gratia dignaremur. Nos igitur et collecte presentis impedimentum omnino et intolerabile fidelium nostrorum gravamen ac diminutionem solvendi debiti declarati vitari volentes, B. Pissono justitiario Aprutii scribimus ut si ei constiterit de hys que continet supplicatio predictorum, eos nec requirat exinde nec requiri permictat et quicquid invenerit tibi notificet quod in hys discrete procedas. Quare mandamus quatenus a procuratoribus ejusdem ecclesie qui fuerunt ex quo vacavit usque ad id temporis quo eam procuratoribus supradictis nomine prefati magistri G. commisimus procurandam, de tempore quo procuratores fuerunt ut dictum est, recipias diligenter et fideliter rationem, et postquam tibi constiterit per dictum justitiarium et per inquisitionis tue studium de hys que dicta supplicatio continet, residuum debiti quod inveneris non solutum de perceptis tempore illo proventibus juxta prioris mandati nostri tenorem, suppleas ad opus dicti magistri G. procuratoribus memoratis, et residuos ad opus nostrum recipias sine mora, cautus et diligens ne vel in ratione ponenda vel perceptis proventibus nostris possit aliquatenus curia defrandari.

Datum Viterbii, XV martii, XIII indictionis.

[*Addimus e margine :*] Lator procurator vassallorum nomine Adam de Popero habitator, qui detulit alias similes justitiario Aprutii scriptas eodem die in quaterno generali (1).

(1) Unde novum affertur testimonium quod hocce regestum ex altero generali regesto nunc deperdito transumptum fuerit, pluribus omissis vel brevius exaratis.

Viterbii, 16 martii.

Mandatum ad camerarium Aprutii ut credat Petro de Capua qui pro corredo principis mittitur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 87 verso, ubi nihil amplius fuit transcriptum; in edit. Carcan., p. 377.)

De mandato facto per magistrum Johannem de Palmerio scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano camerario Aprutii, etc. Cum premictamus Petrum de Capua emptorem curie nostre pro ordinando corredo nostro, mandamus quatenus omnia que tibi inde oretenus ex parte culminis nostri dixerit idem Petrus, indubitanter credas et efficaciter exequaris.

Datum Viterbii, XVI martii, XIII indictionis.

Viterbii, 16 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, regi Anglorum notum facit quanta patientia injurias a summo pontifice sibi illatas fuerit perpessus, usque dum ipse papa marchiam Tervisanam et civitatem Ravennae fecerit rebellare; unde assumptis armis jam totam terram usque ad Viterbium imperio subjugavit, ultra processurus licet papa quosdam viliores in Urbe contra imperatorem concitaverit.

(Edit. ap. Matt. Paris., *Histor. maj. Anglor.* ad ann. 1239, p. 351-353, nunc coll. cum codic. Britann. Musaei : cod. Harl. 325, fol. 321 recto, 322 verso; cod. Hargr., fol. 103 recto, et cum chartul. Romersdorfensi, in arch. Confluent., fol. 49-51, ubi sic intitulatur : « *Fredericus, etc., principibus tam ecclesiasticis quam mundanis et universis per Trevirensem archiepiscopatum constitutis, dilectis fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem.* »

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, illustri regi Anglorum dilecto sororio suo salutem et sincere dilectionis affectum. Triplex doloris aculeus qui cor nostrum quotidie pungit et stimulat jam nos ultra silere non patitur quin dolor intrinsecus prorumpat in gemitus et gemitus exeant in clamores, dum per dissensionis nove materiam ad quam universalis Ecclesie rector et pontifex violenta nos quadam compulsione coegit, catholice fidei detrimenta cognoscimus, eclipsim justitie manifeste perspicimus et Terre Sancte dispendium miserabiliter deploramus. Sed illa non minus angustia perurgemur quod Hely sacerdotis oculi caligantes nullum hujusmodi periculum aspiciunt; sed tanta circa nos iracundia commovetur, tanta circa Mediolanenses et eorum fautores rebelles imperii dilectione perstringitur ut orbe toto dubii successus eventibus vel fortune periculis potius prorsus exposito, ad conculcandam imperii sacri justitiam et Mediolanensium rebellium nostrorum auxilium totus assurgat. Nec nos super hoc lese conscientie stimulo pungimur nec ledentis fame judicium expectamus quin a multis retro temporibus periculorum istorum omnium divina quadam inspiratione presagi, presens semper evitaverimus scandalum; istius summi pontificis gratiam omni quocumque potuimus ingenio licet frustra laboravimus obtinere, persone nostre non parcendo laboribus, rerum nostrarum non cavendo dispendiis et persepe fidelium nostrorum vitam pro suis et Ecclesie Romane subsidiis liberaliter exponendo. Sed, quod dolentes referimus, nihil penitus cepimus toto tempore laborantes, nullam ab ipso pro nostris obsequiis affectionem retulimus; semper se contrarium nobis posuit, semper imperii sacri profectibus obviavit; imo quod crudelius ab omnibus debet reputari, existentibus nobis in Ecclesie sancte subsidiis apud eum, civitatem Castelle (1) subtraxit imperio, prout per litteras suas quas Castellani nobis noviter assignarunt manifeste probatur. Nihil tunc temporis etiam potuimus ab ipso de cunctis petitionibus nostris nobis et imperio favorabile reportare. Legato quem tunc ipso tempore pro nobis se misisse dixit in Syriam ut Aconensium et quorumdam regni Hieroso-

(1) Scilicet *Città di Castello*, nunc in finibus Tusciae, de qua pluries supra mentio fuit.

lymitani uobilinm nobis et filio illatas injurias emendaret, auctoritatem omnem per contrarias latentes litteras subseqnenter ademit. Eodem metipso tempore nec Mediolanensibus ne contra fideles imperii Cremonenses insurgerent nec Florentinis ne Senenses fideles nostros offenderent potuimus aliquas litteras obtinere, cum nobis in auxilium ipsorum ne indefensam dimitteremus Ecclesiam procedendi licentiam denegaret. In Germaniam deinde procedentibus nobis ad primogeniti filii nostri malitiam reprimendam, favorem omnem promisit oretenus : sed per nuntium suum litteras de credentia deferentem principibus nostris nobiscum presentibus in curia Maguntina sub omni qua potuit attestatione latenter injunxit ne electioni filii nostri minoris vel cujuslibet de domo et sanguine nostro modo quolibet consentirent. Processum nostrum deinde in Italiam ad reformandum imperium in eadem per litteras et nuntios suos, presertim episcopum Prenestinum qui Placentiam et Mantuam omni qua potuit calliditatis fraude subduxit, prout scivit et potuit, prepedivit. Tandem cum post obtentam faciente Domino de Mediolanensium strage victoriam, prodesse sibi furtivas hujusmodi legationes et litteras non videret, ense nostre justitie sue nequitie fraudibus prevalente, processibus nostris cepit apertioribus obstaculis obviare; manifestius inhibendo civitatibus et nobilibus marchie Anchonitane et vallis Spoleti, de quibus auxiliari tenebatur imperio, non nocere, ne in Lombardiam venire vel mittere milites attentarent. Anchonitanis etiam et aliis locis maritimis sub excommunicationis pena et banno decem millium marcarum injunxit ut Venetis excellentie nostre rebellibus contra mandatum et interdictum nostrum queque necessaria ministrarent, prout hec omnia per litteras suas evidentissime comprobantur. Aliquibus etiam nobilibus marchie Trevisane quos [in] imperii fide debiles et vacillantes effecerat, literas destinavit ut a nobis manifestius recederent, pro certo scituris quod nisi ordinationi et mandato suo negotium Lombardie vellemus precise committere, contra nos excommunicationis sententiam fulminaret. Super quibus omnibus dilectorum principum et aliorum fidelium nostrorum communicato consilio qui nobis in obsidione Brixie tunc temporis assistebant, volentes ut diximus inter nos et Ecclesiam scandalum precavere, solemnes legatos

nostros ad sedem apostolicam duximus transmittendos, per quos etiam de quibusdam aliis frivolis que in regno nostro Sicilie contra jus et libertatem Ecclesie attentata dicebat, satisfactionem obtulimus, et desideratam inter nos et Ecclesiam unionem nuntiis et mutuis cautionibus roborandam, multoties dudum a nobis per innumerabiles nuntios expetitam, denuo repetivimus per eosdem. Quam cum libenter affectare se diceret, modum cautionis et formam judicio nostro committens, nuntiis nostris et suis cum unionis et pacis concesse fiducia redeuntibus ad nos alacriter omnino celatis, Gregorio de Montelongo quem pridem in Lombardiam suspectum nobis et nostris simplicem nuntium habebamus et quem de regione ipsa promiserat revocare, contra nos et nostros in eadem provincia legationis officium plene commisit. Ad majoris quoque coaggerationem nequitie, dum nos propter unionis promisse fiduciam reputaret incautos, per quosdam principes et fideles nostros admoneri mandavit super quibusdam gravaminibus que in regno nostro Sicilie et urbe Romana contra se et Ecclesiam per nostros officiales et nuntios illata dicebat. Ad que omnia cum de ipsorum admonitorum nec minus aliorum quamplurium religiosorum judicio serenitas nostra plenissime respondisset, responsionibus singulis ad singula capitula non contenti, verbum generale subjunximus quod voluntatem et responsionem nostram in singulis suo judicio committebamus in totum, prout hec quamplurium prelatorum omni fide dignorum literis et testimonio manifeste comprobantur. Et cum super his omnibus nuntios nostros super responsionibus ipsis et satisfactione plenaria facienda plena nostri culminis auctoritate munitos ad ejus presentiam mitteremus, iste rector universalis Ecclesie non expectatis eisdem per quorum adventum presciverat iniquitatem processus sui faciente justitia precidendam, contra nos die Palmarum qui processibus talibus est prorsus insolitus, contra morem Ecclesie perperam et injuriose processit. Nos autem qui processum hujusmodi temeritate plenum et justitia vacuum habebamus, ad fratres suos literas et legatos transmisimus generale petentes concilium convocari, in quo judicis corrupti nequitiam ac imperii nostri justitiam et innocentiam nostram argumentis arguere luce clarioribus spondebamus. Super quo nedum quod justitie nostre delata

Digitized by Google

ratio fuerit, imo contra omne jus gentium quod violari legatos et nuntios non permittit, predictos nuncios nostros episcopos iste qui scribitur episcopus servus servorum Dei turpissimo carceri mandavit intrudi. Attendite igitur et videte si sunt ista facta papalia, si sunt hec opera sanctitatis et si composite predicationi sue conveniat in interitum mundum deducere, conculcare justitiam, et dissimulatis fidelium oculorum nostrorum judiciis, secundum infidelium Mediolanensium faciem judicare. Sed nec in his omnibus cum contra nos spiritu oris sui licet perperam procedebat, ad justum imperialis vindicte judicium movebamur, quousque ad extremam interemptionem nostram et manifestam exheredationem imperii se ostendit temporaliter prosilire; dum nobis in marchia Tervisina morantibus ad pacificandam eamdem quam ob dissentiones continuas et antiquas passim stragibus occisorum invenimus rubricatam, marchionem Estensem, comitem Sancti Bonifacii et alios nobiles regionis qui ad suggestionem summi pontificis simul in necem nostram conjuraverant cum civitate Tervisii, non modica data pecunie quantitate, fecit nobis et imperio rebellare. Civitatem nostram Ravenne per Paulum Traversarum antea fidelissimum nobis et factum postmodum per corruptionem papalis pecunie proditorem, tractante magistro (a) cardinali legato tunc marchie, nobis et imperio subtrahens, et ab eis sibi et Ecclesie tanquam princeps et pontifex sacramenta suscepit, et stratas publicas per marchiam et ducatum quem ab imperio detinebat, nuntiis nostris ad nos venientibus et necessaria nobis et exercitui nostro deferentibus precludi mandavit; adeo quod nonnullos ex eis more predonio bonis omnibus spoliatos carceri mancipare presumpsit. Hec omnia faciens ut nos et milites nostros tam Italos quam Germanos vel fame perimeret vel ab obsidione Mediolanensium et nostrorum depopulatione rebellium necessario revocaret. Quibus omnibus non contentus, contra nos et imperium se belli ducem et principem manifeste constituit, Mediolanensium et aliorum infidelium proditorum causam suam propriam faciens et ipsorum negotium ad se manifeste convertens, prefectos Mediolanensis imo verius papalis exercitus

(a) In cod. Harl. *P.*, in cod. Hargr. *S.*

Digitized by Google

statuens loco sui Gregorium de Montelongo predictum et fratrem Leonem ministrum ordinis fratrum Minorum, qui non solum accincti gladiis et loricis induti falsas militum imagines ostendebant, verum etiam predicationi insistentes Mediolanenses et alios quicunque nostram et nostrorum personam offenderant, a peccatis omnibus absolvebant. Hodie quidem predicti legatus et frater contra nos et imperium se scribunt rectores et dominos, per quod evidenter datur intelligi quod papa non solum sit infidelium fautor quos omnes pro majori parte publica mundi lingua testatur hereticos, sed in prejudicium et exheredationem imperii sibi Mediolani regimen et dominium temporaliter usurpavit. Jam igitur ultra justo judicio tot provocati dispendiis, tot injuriis lacessiti, manus nostras continere nequivimus quin apprehenderemus arma et scutum, nostram et totius imperii causam contra publicum hostem publice, contra temporalem temporaliter prosequentes, filialem illi nequivimus amplius dilectionem ostendere, quia nedum quod affectionis paterne dulcedinem nobis non redderet necdum injuriis exheredationis afficeret, sed vitam nostram et sanguinem crudeliter sitiebat. Sicque Ligurie partibus que in deditionem nostram et imperii venerant, militum et balistariorum presidio non sine multis erarii nostri dispendiis prout expedit communitis, ac in peregrinatione Tuscie multis imperii juribus reformatis, premisso nihilominus H. karissimo filio nostro illustri regi Turrium et Gallurís sacri imperii in Italia legato ad Anconitanam marchiam revocandam, nos personaliter versus ducatum Spoleti ac partes Urbi vicinas erectis aquilarum nostrarum victricibus signis convertimus, totam terram nostris processibus occurrentem usque Viterbium, civitatibus admodum paucis exceptis, propter tam graves et infestas ingratitudinem et offensam ad jus et proprietatem imperii revocantes. A Viterbiensibus autem et locis et civitatibus circumvicinis cum summa devotione recepti, dum jam hosti et adversario nostro ostenderemus potentiam e vicino, timore terribili licet juste perterritus, cum per seram penitentiam sibi non crederet posse consulere, in profundum desperationis immersus ac viribus propriis omnino diffisus, Romano populo clamante nostrum ad Urbem gratanter accessum, garsones quosdam et vetulas necnon et paucos admodum conductivos milites veris

Digitized by Google

preter solitum profusis lacrymis exoravit ut contra nos crucem assumerent, in sua predicatione mentitus quod nos ad eversionem Romane Ecclesie ac violationem sacrarum reliquiarum beatissimorum apostolorum Petri et Pauli procedere nitebamur. Excuset igitur recto judicio magnificentia regia motum nostrum ad quem nos adversarii nostri malignitas impulit et quem ad conservandum non magis imperii quam omnium regum et principum terre decus justitia persuasit. Vosque pre ceteris orbis regibus causam nostram tanto ferventiori favore debetis assumere tantoque securius confovere, quanto velut totius oneris et honoris nostri participes ac per nos ad istarum (*sic*) omnium moderamen si bene recolitis confidenter assumpti et ab adversa parte contempti, innocentiam nostram et imperii nostri justitiam puriori zelo ac sinceriori potestis conscientia confovere (*a*).

Datum Viterbii, XVI martii, XIII indictionis.

Ortae, 16 martii.

Mandata ad justitiarium Capitanatae et ad compalatios Neapolis

(*a*) Totus hic locus a verbo *Excuset* usque ad finem in chartulario Romersdorfensi diverse exprimitur, videlicet : « Exurgat igitur invicta Germania, exurgite populi » Germanorum, nostrum nobis defendatis imperium, per quod invidiam omnium na- » tionum, dignitatum omnium et mundi monarchiam obtinetis, quod etiam, ut a » vobis tante magnitudinis principatum presens Ecclesie pontifex in perpetuum abdi- » caret, Romani sceptrum imperii regibus singulis optulit, et quasi proprium remisit. » Nec tamen sic ad vos transferimus sarcinam ut nos ipsam a nostris et fidelium nos- » trorum humeris abdicemus. Nos enim qui pre ceteris predecessoribus nostris Ro- » manis Cesaribus ab imperio beneficia majora percepimus, dum nos et filios nostros, » adhuc lactentis etatis et nondum ferme puberes, principibus aliis pretulistis, ut » causam vestram et decus imperii tueamur, personam nostram vobis exponimus, » regni nostri Sicilie materne successionis erarium aperimus, adeo quod si pro vobis » et imperio nostrum effundere sanguinem, et vitam oporteret expendere pro exalta- » tione Romani nominis et Germanie principatus, mori credimus strennum et vivere » gloriosum.

» Datum Viterbii, XVI martii, XIII indictionis. »

de domibus principis reparandis et de centum barrilibus vini de galoppo in Capitinatam destinandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 88 recto; in edit. Carcan., p. 378.)

Mandante domino imperatore scripsit magister Roggerius de Camera :

Fredericus, etc., R. de Montefusculo justitiario Capitinate, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus domos omnes nostras in jurisdictione tua instanter facias preparari et sic necessariis omnibus premuniri ut in felici adventu nostro quem ecce dante Domino festinamus, necessariorum omnium copiam affluenter inveniamus in eis. Mandamus preterea tibi quatenus licteras nostras que mictuntur compalatiis Neapolis pro mictendis ad te ad opus nostrum centum barrilibus vini de galoppo, quod apud Neapolim ad eos per secretum Messane per mare micti mandavimus, ad eosdem sine mora transmictas; quod vinum cum ad te pervenerit, ad opus nostrum recipias et facias conservari.

Datum Orte, XVI martii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem notarius :

Fredericus, etc., compalatiis Neapolis, etc. Mandavimus dudum vobis ut centum barrilia vini de galloppo quod per secretum Messane ad vos per mare micti mandavimus, cum sommariis ad nostram presentiam micteretis. Quod cum nondum ad nostram presentiam pervenerit, fidelitati vestre iterato mandamus quatenus dicta centum barrilia si ad vos pervenerunt, in Capitinatam cum sommeriis destinetis omni mora cessante, justitiario Capitinate assignanda, cui de recipiendis ipsis ad opus nostrum mandatum dirigimus speciale.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad custodes camerae Melfiae de recipiendis quaternionibus quondam Petri de Canneto. Ortae, 16 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 88 recto; in edit. Carcan., p. 378.)

Digitized by Google

Scripsit notarius Petrus de Capua :

Fredericus, etc., custodibus camere Melfie, etc. Fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus quaterniones quondam Petri de Canneto quos vobis lator presentium assignabit, recipere procuretis et ita fideliter ac diligenter custodiatis eosdem ut studium vestrum exinde commendemus.

Datum Orte, XVI martii, XIII indictionis.

Ortae, 16 martii. Mandatum ad Alexandrum filium Henrici, de una navi curiae frumento onerata ad Riccardum Filangerium imperii legatum in Syria mittenda, de expensis factis in castris Bari, Trani et Andriae, et de quibusdam aliis super quibus responsum usque ad principis adventum differtur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 88 recto; in edit. Carcan., p. 378.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Plures licteras fidelitatis tue plura capitula continentes benigne recepimus, et ecce tibi ad singula respondemus : primo de navi onerata frumento quam ad R. Filangerium marescallum et fidelem nostrum, sacri imperii in Siria legatum, tibi mandavimus destinandam pro stipendiis militum qui cum ipso morantur ad servitium nostrum, de quo nostro culmini rescripsisti quod duabus tantum navibus nostris inventis Brundusii curie nostre et mercatorum victualibus oneratis, de mandato ammirati fidelis nostri unam aliam navem cujusdam civis Brundusii in qua curia nostra tertiam partem habet invenisti capacem duarum milium salmarum frumenti, placet majestati nostre ut navem ipsam cum duobus milibus salmis frumenti ad dictum marescallum fidelem nostrum transmictas. Verum quia scripsisti te non habere de frumento curie nostre pro predicto mandato complendo, ecce scribimus R. de Montefusculo justitiario Capitinate fideli nostro et fratri A. statuto

in Bersentino fideli nostro ut de frumento nostro quod habent quod tibi defuerit suppleant, ut deinde mandatum nostrum efficaciter exequaris. In uno tamen te fore volumus circumspectum quod, quia sicut credimus binas licteras de navi onerata frumento mictenda ad marescallum predictum a nostra celsitudine recepisti, non intelligas de binis navibus transmictendis, sed sis una tantum mictenda contentus in modum predictum. De hys que fecisti in castris nostris Bari et Trani oportune sicut scripsisti et de expensis quas castellanis novis ibidem statutis fecisti per absentiam judicis Philippi de Aversa et provisoris castrorum nostrorum ipsarum partium, quas necessarium erat dari, et quod fecisti fieri in castro Andrie ubi F. filius noster moratur, placet nobis quod ad curie nostre commodum facere curavisti. De mandato quod dicis ammiratum fecisse duaneriis nostris Brundusii per licteras suas ut scalaticum non reciperent de victualibus mercatorum pro eorum navibus onerandis, quod sicut dicis olim duanerii recipere debuerunt, ecce eumdem ammiratum ad presentiam nostram vocavimus, et ipso veniente tam de hys quam de aliis quod excellentia nostra melius viderit statuemus. Interim autem quousque nostrum inde beneplacitum injungamus, scalaticum recipi facias secundum quod a duaneriis sicut scripsisti recipi consuevit. De eo quod scripsisti quia statuti super portu Sancti Cataldi de Baro petunt a te ut mercatores Baroli habentes victualia cogas deferre victualia ipsa ad portum ipsum, cum vicinius possent deferre et commodius ad portum Rivuli ubi non minus quam in portu Sancti Cataldi utilitas nostre curie procuratur, et super expensis dandis nuntio Greco qui est Fogie qui a curia nostra rediit, ecce quod venimus festinantes in regno nostro et proxime erimus Fogie ubi nostro conspectui comparebis, et statuemus de hys quod ad honorem et commodum curie nostre viderimus statuendum.

Datum Orte, XVI martii, XIII indictionis.

Item scripsit justitiario Capitinate ut de frumento quod habet curie quod defuerit Alexandro filio Henrici de quantitate victualium predicta suppleat una cum fratre Ademario statuto super Bersentino, ut mandatum domini de navi onerata frumento predicto deinde compleatur, et recipiat de eo quod dederit apodixam.

Digitized by Google

Similiter scripsit idem fratri Ademario quod faciat ut predictum est una cum justitiario supradicto, et recipiat de eo quod dederit apodixam.

Ameliae, 17 martii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro super revocanda terra quam Silvester de Sancto Paulo tenebat in loco qui dicitur Daurie.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 88 verso; in edit. Carcan., p. 379.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Intellexit serenitas nostra quod cum Angelo de Marra denuntiatum fuerit quod Silvester de Sancto Paulo civis Suesse quamdam terram detinebat in loco qui dicitur Daurie nostre curie pertinentem, idem A. volens eam ad manus curie nostre revocare si de jure esset revocanda, inquisitionem exinde per judicem A. de Suessa fecit fieri diligentem, et quia remotus fuit ab officio sibi commisso, ad ipsius rei cognitionem vel ad revocationem ejusdem terre pro parte nostre curie non processit, inquisitione prefata adhuc apud ipsum judicem existente. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eadem inquisitione recepta a judice supradicto et diligenter inspecta, requisito etiam per te S. predicto ut tibi rationes suas si quas habet ostendat, visis et consideratis eisdem, terram ipsam si de jure videris ad nostram curiam revocandam, pro parte ipsius curie nostre studeas revocare; quam si videris non fuisse sufficientem factam pro curia nostra, tu ipsam iterato facias diligentem et cautam, per quam et jus curie nostre pateat et tuum inde studium commendetur.

Datum Amelie, XVII martii, XIII indictionis.

Ameliae, 17 martii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut hominibus Suessae de quantitate praesentis collectae centum uncias dimittat.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 88 verso; in edit. Carcan., p. 379.)

Item de mandato facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Cum de innata benignitate nostra de quantitate presentis collecte hominibus Suesse fidelibus nostris imposita centum uncias auri duxerimus remictendas, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de quantitate predicta nominatas centum uncias ipsis fidelibus nostris dimictas, reliquas ad opus curie nostre recolligi faciens ab eisdem.

Datum Amelie, XVII martii, XIII indictionis.

Item responsum est super hoc universitati Suesse.

Mandata de pecunia necessaria G. de Cicala ministranda ut reparatio quarumdam domorum apud Romam compleri debeat.

Ameliae, 17 martii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 88 verso; in edit. Carcan., p. 379.)

Mandante domino imperatore per judicem Petrum de Vinea scripsit Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Dudum recolimus mandasse G. de Cicala fideli nostro quod pro rehedificandis domibus de Libibazano et Gilii Bibozi civium Romanorum Romam se deberet (*a*) conferre et dedisse Angelo de Marra fideli nostro qui tunc in partibus Terre Laboris et Principatus jurisdictionem exercebat nostris licteris in mandatis ut [ad] requisitionem ejusdem G. pro reparatione domorum ipsarum sibi sufficientem pecuniam exhiberet; qui G. juxta mandatum nostrum dicitur processisse quousque per eumdem Angelum sibi fuit oportuna pecunia ministrata. Nunc autem ne per amotionem ab officio ipsius Angeli opus domorum ipsarum compleri desistat, dum non sit qui pro eodem opere oportunam pecuniam debeat ministrare eidem G., cum velimus quod in complemento ipsarum domorum nullus habeatur defectus, fidelitati tue

(*a*) In impresso *debet,* male.

precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem dicti G. pro complemento operis domorum dictarum sufficientem pecuniam debeas exhibere juxta quod de mandato nostro dictus A. de Marra eidem consuevit pro eodem opere exhibere.

Datum Amelie, XVII martii, XIII indictionis.

Item eodem die scriptum est :

Fredericus, etc., G. de Cicala, etc. Dudum tibi dedisse recolimus in mandatis ut super reparatione domorum de Libabazano et Gilii Bibozi civium Romanorum in Urbe intenderes cum pecunia curie nostre quam ab Angelo de Marra debeas recipere, ad quarum reparationem domorum dum tamdiu intenderes quousque fuerit necessaria pecunia per eumdem Angelum ministrata, intelleximus quod eodem A. ab officio suo ammoto ab ipsarum domorum reparatione tu destitisses. Ne igitur propter expensarum subtractionem complementum ipsarum domorum patiatur defectum, quas omnino volumus percompleri, ecce quod Riccardo de Pulcaro damus nostris licteris in mandatis ut ad requisitionem tuam pro domibus ipsis sufficientem pecuniam debeat exhibere. Propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus a prenominato R. pecuniam sufficientem requiras et conferas te ad Urbem, et ad complementum ipsarum intendas et des operam quod celeriter compleantur, juxta quod tibi super hoc dudum dedimus per priores nostras licteras in mandatis.

Datum [*ut supra*].

Arroni, 18 martii.

Mandata de necessariis expensis Guidoni de Guasto provisori castrorum in Apulia exhibendis pro castris curiae et praecipue castro Idronti reparandis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 89 recto; in edit. Carcan., p. 380.)

De imperiali mandato facto per dominum Taddeum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Guidoni de Guasto provisori castrorum in Apulia, etc.

Licteras, etc. Quod autem significasti castra tue provisioni commissa et specialiter castrum Idronti cujus due turres ex maris percussione continua minantur ruinam, reparationibus indigere, et quod in domibus solatiorum nostrorum preterquam in domibus Capitinate reparatio necessaria est, nec pro reparandis eis a collectore Apulie qui dicitur infirmari nec ab aliquo alio, cum mandatum factum sit collectori predicto, pecuniam habere aliquatenus potuisti, ecce quod eidem collectori precipimus iterato quod pro reparatione necessaria domorum nostrarum et castrorum, si expedit, ad requisitionem tuam debeat expensas necessarias ministrare, tibi etiam expensas exhibeat pro te, tribus scuteriis et quatuor equis; tu vero de castro Idronti et aliis reparandis inquisitionem fieri facias diligentem per justitiarium regionis utrum ad reparationem eorum homines locorum vel contrate aliquatenus teneantur, et quos teneri compereris ad hoc cogi facias ut jura nostre curie non omictas; et in defectum hominum, videlicet cum non inveniuntur ad id teneri, ad pecuniam curie nostre recurras, ut ex ruina dampnum improvide non contingat.

Datum Arroni, XVIII martii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., judici Philippo de Aversa collectori in Apulia, etc. Significavit excellentie nostre Guido de Guasto provisor castrorum in Apulia fidelis noster quod castra quedam jurisdictionis sue ac specialiter castrum Idronti in duabus ejus turribus que minantur ex continua maris percussione ruinam, domus etiam solatiorum nostrorum preter domos Capitinate reparatione indigent; quibus nisi subveniatur ad presens, magnum ex ruina periculum poterit pervenire. Cum igitur mandemus eidem quod in omnibus locis in quibus reparatio castrorum aliqua necessaria est, per justitiarios regionum inquisitionem fieri faciat diligentem, et si per eam homines locorum vel contrate ad reparationem teneri constiterit, ipsos ad hoc compellere non omictat, alioquin ad pecuniam curie nostre recurrat, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus pro predictis ut expedit reparandis, cum idem G. a te duxerit requirendum, necessarias expensas de pecunia curie nostre que est per manus tuas debeas exhibere, ubi tamen tibi constiterit inquisitiones factas et per eas non constare quod

aliqui ad reparationis servitium teneantur. Sibi vero expensas exhibeas juxta assisam curie nostre pro se, tribus scuteriis et quatuor equis, hys certis diebus quibus morabitur in servitio sibi commisso ipsum officium exercens.

Datum [*ut supra*].

Arroni, 18 martii.

Mandatum ad Criscium Amalfitanum ut Sylvestri de Sancto Paulo ab officio quod exercebat amoto, ipse pecuniam et proventus curiae recipiat et quae in munitione castrorum Aprutii expendi debeant expendat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 89 recto; in edit. Carcan., p. 380.)

Item :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano de Capua, etc. Venientis ad nos Sylvestri de Sancto Paulo fidelis nostri relatio nos induxit quod cum recollectionis officium jam sibi commissum per nullum alium ita bene sicut per justitiarium et te posset in Aprutio exerceri, rationes probabiles inducendo, ipsum ab eodem amovere officio dignaremur. Ne autem nostra servitia dispendium aliquod seu defectum ex hujusmodi mutationibus quas inducit temporis necessitas, patiatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus juxta quod per alias licteras nostras tibi mandavimus, pecuniam et proventus curie nostre, sicut percipiebantur hactenus a predecessoribus tuis, et tu ratione officii recipias, que in hys quibus expendebantur pro servitiis nostris exigente officio sicut in munitione castrorum, videlicet in solidis et victualibus necnon aliis que nos ipsi precipimus per licteras speciales, expendas. Mandamus etiam ut Johanni de Raymo provisori castrorum in Aprutio pro se, tribus scuteriis et quatuor equis juxta assisam curie expensas debeas exhibere, hys certis diebus quibus morabitur in servitio sibi commisso ipsum officium exercendo.

Datum Arroni, XVIII martii, XIII indictionis.

Mandatum ad universos officiales per Aprutium et Capitinatam constitutos ut ad requisitionem Henrici de Morra magistri justitiarii pro sustentatione militum Lombardorum in regnum venientium necessaria tribuant. Arroni, 18 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 89 recto; in edit. Carcan., p. 381.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco licteras patentes:

Fredericus, etc., justitiariis, magistris camerariis, etc., bajulis et universis officialibus per justitiariatum Aprutii et Capitinate constitutis, etc. Quia premictimus Henricum de Morra (*a*), etc., usque Fogiam cum militibus Lombardis qui de mandato nostro veniunt in regnum pro servitio nostro, quibus in omnibus necessariis plene volumus providere, sicut eidem magistro justitiario dedimus oretenus in mandatis, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem ejusdem magistri justitiarii quecumque pro sustentatione necessaria dictorum militum Lombardorum a vobis requisierit, ei sine difficultate qualibet tribuatis quousque se inde apud Fogiam cum eisdem militibus presentabit; de hys vero que sibi dederitis recipiatis ad cautelam debitam apodixam.

Datum Arroni, XVIII martii, XIII indictionis.

Mandata ad Nicolinum Spinulam et Riccardum de Pulcaro ut veniant ad conspectum principis qui feliciter in regnum reversus est. Apud Introducum, 19 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 89 verso; in edit. Carcan., p. 381.)

(*a*) In impresso *Hectorem de Marra*, male.

Digitized by Google

De mandato imperiali scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Nicolino Spinule ammirato, etc. Licteras fidelitatis tue et ipsis interclusa capitula consueta benignitate recepimus et intelleximus diligenter. Verum quia tibi per alias licteras nostras mandavimus ut ad presentiam nostram festinus accedas, tibi licteris nostris non duximus respondendum, expectantes verbotenus de hys et aliis tibi nostram precipere voluntatem. Venias ergo sine mora ad conspectum celsitudinis nostre, auditurus mandata nostra que tibi imponenda duxerimus, qui feliciter in regnum nostrum reversi sumus divina gratia largiente.

Datum apud Introducum, XVIIII martii, XIII indictionis.

Item :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Licteris fidelitatis tue benigne receptis et earum intellecto tenore, fidelitati tue mandamus ut quia in regnum nostrum feliciter Domino faciente reversi sumus, ad presentiam nostram venias, sicut tibi per alias licteras nostras mandavimus, auditurus super hys que tue lictere continebant et aliis nostre beneplacitum majestatis.

Datum [*ut supra*].

Apud Introducum, 19 martii.

Mandata varia de electione personae fidelis in monasterio Sancti Georgii de Salerno a monialibus facienda et de restitutione expensarum abbatissae Sancti Michaelis de Salerno, quae curiae denuntiationem fecit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 80 verso; in edit. Carcan., p. 381.)

De mandato imperiali facto per magistrum. . . . . . scripsit Jacobus de Vantra :

Fredericus, etc., archiepiscopo Salernitano, etc. Intellexit serenitas nostra quod cum post mortem quondam abbatisse monasterii Sancti Georgii de Salerno, non denunciato curie nostre obitu suo sicut moris est, nec

optenta a nobis licentia eligendi, quedam moniales ipsius monasterii ad electionem faciendam processerint et alie contradixerint eis et noluerint ipsi electioni interesse, pro eo quod in prejudicium dignitatis nostre videbatur illicite attemptatum, et ad nos proinde appellaverint, tu propter hoc eas excommunicationis vinculo innodasti. Cum igitur dignitatem nostram quam in cunctis ecclesiis regni nostri habemus super electionibus faciendis, illibatam velimus ab omnibus observari, et mandemus conventui monasterii supradicti quod omnes insimul congregate nominationem tacitam facere debeant de persona fideli, de genere fidelium orta et que ad ipsius monasterii regimen sufficiens sit et digna, fidelitati tue mandamus quatenus, si est ita, moniales predictas ab ipsa excommunicatione absolvere debeas ut eidem nominationi faciende libere possint cum aliis interesse; sciturus quod si presens mandatum nostrum non sine prejudicio juris et dignitatis nostre differres, id non deceret majestatem nostram equanimiter tolerare.

Datum apud Introducum, XVIIII martii, XIII indictionis.

Scriptum est conventui monialium ejusdem monasterii Sancti Georgii in consueta forma de nominatione tacita in eadem ecclesia facienda.

Scriptum est Andree de Cicala capitaneo ut abbatisse Sancti Michaelis de Salerno que super premissis imperiali curie nunciandis ad curiam laboravit, si constiterit sibi eam nullas proinde habuisse expensas, secundum facultates ejusdem monasterii Sancti Georgii et negotii qualitatem restitutionem expensarum fieri faciat competentem.

Mandatum ad secretum Panormi pro dandis expensis Nicolocto de Panormo falconerio et exhibendis necessariis pro falconibus. Apud Sanctum Maximum, 20 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 90 recto, ubi nihil amplius exaratum legitur; in edit. Carcan., p. 382.)

De mandato imperiali facto per magistrum Roggerium de Petrasturmina scripsit Johannes Idronti :

Digitized by Google

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Quia Nicoloctum de Panormo falconerium et fidelem nostrum mictimus pro extrahendis falconibus et custodiendis ad opus nostrum de areis Hostice, Facyniani, Maritime, Lampednse, Pantellarie et locorum aliorum jurisdictionis tue, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem pro se, duobus scuteriis et tribus equis morantibus in eodem servitio nostro juxta assisiam curie nostre in regno de pecunia curie nostre que est per manus tuas, expensas et pro falconibus nostris quos ipsum tibi habere constiterit necessaria et eorum custodibus debeas exhibere, recepturus, etc.

Datum apud Sanctum Maximum, XX martii, XIII indictionis.

Piscariae, 22 martii. Mandata varia pro exhibendis expensis Robberto de Castilione et aliis militibus ibidem nominatis qui pro duobus mensibus praeteritis a curia expensas non receperunt.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 90 verso; in edit. Carcan., p. 382.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus Robberto de Castilione fideli nostro pro duobus preteritis mensibus quibus expensas a nostra curia pro defectu pecunie non recepit, expensas dare debeas de pecunia curie nostre que est per manus tuas, videlicet pro se, socio uno et X equis uncias auri XXVIII et mediam ad pondus curie nostre, et recipias ab eo exinde apodixam.

Datum Piscarie, XXII martii, XIII indictionis.

Eodem die scriptum est eidem in eadem forma pro Jacobo de Cellis pro se et equis septem de unciis auri XVIIII et media — Gentili de Preturo pro se et equis X de unciis XXVIII et media — Paudulfino de Preturo pro se et equis tribus uncias auri VIIII.

Item eidem pro Oddone de Cellis de unciis auri X.

Item R. de Montenigro justitiario Terre Laboris pro Adenulfo de Aquino pro se, socio uno et equis XII de unciis auri XXXVI — Riccardo de Anglono pro se, socio uno et equis X de unciis XXVIII et media — Vitale de Aversa (a) pro se, socio uno et equis X uncias XXVIII et mediam — Guillelmo de Palma pro se et equis VII uncias auri XVIII et mediam — Goffrido de Valle similiter — Oddone de Avenabulo similiter — Thomasio de Dragone similiter — Petro de Dragone, Senebaldo de Fossaceca et Hugolino fratre ejus pro se et equis duobus uncias auri XVIII — Marino Caraczulo pro se et equis duobus uncias auri VI.

Item Thomasio de Montenigro justitiario Principatus pro Riccardo de Rocca Hostiario cum fratre et septem equis uncias auri XVIIII $^{1}/_{4}$ — pro Guillelmo Francisio pro se, socio uno et equis decem uncias XXVIII $^{1}/_{4}$ — Guillelmo de Sancto Severino pro se, socio uno et equis decem uncias XXVIII $^{1}/_{4}$ — Goffrido de Morra pro se et duobus militibus stipendiariis uncias XXX — Riccardo Filangerio pro equis septem uncias XVIIII $^{1}/_{4}$.

Item Riccardo de Montefusculo justitiario Capitinate pro Johanne Mustacio cum septem equis uncias XVIIII $^{1}/_{4}$ — pro Rogerio de Parisio similiter cum septem equis uncias XVIIII $^{1}/_{4}$.

Item Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate pro Ugone de Castello Novo cum equis septem uncias XVIIII $^{1}/_{4}$.

Item Laudulfo de Franco justitiario Terre Bari pro Mattheo de Bari stipendiario uncias X.

Item Tholomeo de Castellione justitiario Vallis Gratis pro Robberto de Saja, socio uno, balistariis duobus et sedecim equis uncias auri XXXXVI $^{1}/_{4}$.

Item Goffrido de Montefusculo justitiario Calabrie pro Johanne de Logotheta pro se et equis septem uncias XVIIII $^{1}/_{4}$. — Pro Guidone de Pantosa

(a) In impresso *de Avent.*, male.

Digitized by Google

similiter — Rogerio de Arena pro se et tribus equis uncias XI — Boamundo de Arena similiter.

Item Guillelmo de Anglono justitiario Sicilie citra flumen Salsum pro Galbonio Lancea (1) cum equis septem uncias XVIIII $^{1}/_{2}$ — Hermanno de Camera cum equis septem uncias XVIIII $^{1}/_{2}$ — Caczaguerra fratre ejus pro se et tribus equis uncias VII $^{1}/_{2}$.

Postmodum quia predicti exposuerunt quod dictus Guillelmus prius fuit ab officio justitiariatus amotus quam eis predictam quantitatem solverit, X madii, XIII indictionis, apud Fogiam datum fuit in mandatis Petro de Calabria justitiario in Sicilia ut postquam sibi constaret quod prefatus Guillelmus jamdictis Galvagio, H. et Caczaguerre eamdem quantitatem pecunie non exsolverit que superius est expressa, ipse Petrus quantitatem predictam unicuique, videlicet prout superius est expressum, de pecunia curie que est per manus suas ad pondus curie exhibere debeat.

Et cum idem Petrus etiam id ad predictas licteras non fecisset, iterato scriptum est sibi, videlicet ultimo augusti, XIII indictionis, in castris in obsidione Faventie, quod si est ita ipsis predictam quantitatem exolvat juxta priorum continentiam licterarum, conditione [sci]licet si nondum mandatum predictum extitit exequutum.

Precinae, 26 martii. Mandatum ad Robertum Gentilem ut cum equo ad praesentiam principis veniat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 91 recto, ubi nihil amplius exaratur; in edit. Carcan., p. 383.)

De mandato imperiali scripsit magister Roggerius de Petrasturmina :

---

(1) Ita et infra *Galvagio;* quem *Galvanum* Lanceam esse credimus, Blanchae istius fratrem, ex qua Fridericus imperator Manfredum genuit.

Digitized by Google

Fredericus, etc., Robberto Gentili, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus visis licteris ad presentiam nostram accedas, ducturus tecum bonum equum tuum ad arma quem habes.

Datum Precine, XXVI martii, XIII indictionis.

Lictere iste assignate sunt justitiario Capitinate.

Item scripsit Johanni de Rocca ut leporerium suum visis licteris assignet portitori presentium ducendum ad presentiam domini imperatoris.

Assignate sunt pro mittendo eo.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de vino graeco, askipecia et gelatina ad curiam mittendis.

Apud Fogiam, 28 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 91 verso; in edit. Carcan., p. 383.)

De mandato facto per magistrum J. de Palmerio scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus sine mora mictas ad curiam nostram de vino greco saumas III, de vino grecisco saumas III, de vino fiano saumas III (1). Preterea mandamus ut Berardo coco curie nostre facias dari de bonis piscibus de Resina et aliis melioribus qui poterunt inveniri, ut de eis faciat askipeciam (2) et gelatinam pro nobis, juxta mandatum nostrum ad nos cele-

(1) Vinum graecum interpretatur Cangius vinum quod in ea Italiae parte quam incoluere Graeci nascitur. Vinum *graecum seu Cypri* dicunt Annal. Colmar., ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 25. De vino *fiano* nihil compertum habemus; forsitan legendum *vinum francum*.

(2) Intelligendum de pisciculis jure peculiari conditis, quorum usus in Leccensi provincia, praecipue apud Gallipolim, Tarentum et Brundusium, nostris adhuc temporibus frequentior habetur. Cocti pisces in salsa asservantur de farina in aceto ebullita cui paululum croci ad colorem additur. Hoc condimentum a divitibus et a plebe pariter exquisitum vulgari sermone dicitur *scapece*, quod non multum ab askipecia distat, ut nos monuit cl. v. Forleo, magnae curiae apud Catanzarum judex. Vocis originem a latino *esca Apicii* trahendam quidam putaverunt, dum istud *scapece*, palato simul et oculo jucundum, Apicio non indignum fuisse testentur.

Digitized by Google

riter deferenda[s]; omnia etiam necessaria pro hys facias ei sine defectu quolibet ministrari.

Datum apud Fogiam, XXVIII martii, XIII indictionis.

Item compalatio Neapolis ut si R. de Pulcaro presens non esset, ipse omnia predicta exequatur.

Apud Fogiam, 29 martii.

Mandatum ad Riccardum de Lentino praeposito aedificiorum ut veniat, principi significaturus quae ad opus castri Cataniae expediant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 91 verso; in edit. Carcan., p. 383.)

De imperiali mandato facto per magistrum G. de Tocco scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., magistro Riccardo de Lentino edificiorum preposito, etc. Benigne recepimus licteras, etc. De opere autem castri nostri Cathanie quod nobis significasti per eas, quia per te de longitudine, latitudine, muri grossitie ac aliis omnibus volumus presentialiter edoceri, fidelitati tue mandamus quatenus ad presentiam nostram debeas te conferre, instructurus de omnibus que ad opus predicti castri expediunt; te autem presente et nobis singula designante, mandabimus exinde quod nostre placuerit majestati.

Datum apud Fogiam, XXVIIII martii, XIII indictionis.

Item scripsit Guillelmo de Anglone justitiario in Sicilia super eodem capitulo in predicta forma quod predictus magister R. vocetur.

Apud Fogiam, 29 martii.

Litterae responsales ad castellanum Tauromenii quod de rebus in castris Tauromenii inventis unum scriptum ab eo missum curia receperit.

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 91 verso; in edit. Carcan., p. 383.)

Scripsit [*idem*] :

Fredericus, etc., Paulo de Ocra castellano Tauromeni, etc. Benigne recepimus licteras, etc. Quod autem significasti te juxta mandatum nostrum castrorum nostrorum Tauromeni custodiam recepisse et de rebus inventis tria publica scripta fecisse similia, tuum studium commendamus. Unum autem de scriptis predictis quod ad curiam nostram misisti, recepimus et in nostra camera ipsum jussimus conservari.

Datum apud Fogiam, XXVIIII martii, XIII indictionis.

Mandatum ad Johannem de Cioffo de balistis in palatio Messanae depositis secreto Messanae assignandis. Apud Fogiam, 29 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 91 recto; in edit. Carcan., p. 383.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Johanni de Cioffo, etc. Cum balistas curie nostre quas habes et dudum per te in palatio nostro Messane mandavimus custodiri, per Majorem de Plancatone doanerium ad curiam nostram micti velimus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus balistas ipsas omnes eidem secreto pro parte curie nostre debeas assignare, recepturus ab eo exinde apodixam.

Datum apud Fogiam, XXVIIII martii, XIII indictionis.

Mandatum ad Andream de Cicala ut ad querelam Friderici, imperatoris filii, inquisitionem faciat de processibus procuratorum Apud Tres-Sanctos, 30 martii.

Digitized by Google

et castellani castri Pectorani, et alium castellanum fidelem ab eodem Friderico statui permittat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 92 recto; in edit. Carcan., p. 384.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Petrasturmina scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Andree de Cicala capitaneo a porta Roseti usque Trontum, etc. Significavit excellentie nostre Fredericus (1) filius noster quod Montanarius Defensonus, Mattheus de Panormo, Maximus de Papero, Gentilis de Papero et Thomasius Gentilis, qui dudum procnratores fuerunt tam in Pectorano quam in aliis terris suis, et Jacobus etiam de Laurentio qui terras ipsas in presenti procurat, terras ipsas adeo pessime procurarunt, in perceptionibus suis suam potius quam predicti Frederici utilitatem seqnentes et alias in homines terrarum ipsarum gravantes, quod de proventibus earum idem Fredericus illuc modo se conferens nichil invenit omnino. Addidit etiam quod castellanus castri Pectorani cum uxore ipsius Frederici que morabatur in castro ipso et aliis de familia ejus indecenter se gessit. Unde cum tam de processibus predictorum procuratorum quam ipsius castellani inquisitionem velimus fieri diligentem ut sciamus de singulis veritatem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de predictis omnibus inqnisitionem facias diligentem et qnicquid inde inveneris nostre studeas celsitudini nnnciare. Preterea quia dictus Fredericus snpplicavit excellentie nostre ut quia ex presentia dicti castellani et servientium castri Pectorani in familia sua quam ibi habet gravari videtur, eos exinde amoveri vellemus et ipse per personam aliam quam ibi statuet de custodia castri ipsius curiam nostram cautam faciet et securam, mandamus tibi ut diligenter actendas, et si ille quem ibi statnere vnlt fuerit fidelis, de genere fidelium ortus, dives et sufficiens ad custodiam castri ipsius et quod non fuerit oriundus de aliqua terra suspecta nec sit talis de quo possit aliqnatenus dubitari, sed de eo sit nostre cnrie plene cautum, amoto castellano predicto, ipsum statui in eodem castro permictas. Ecce

(1) Scilicet iste *de Antiochia* cognominatus, de quo supra mentio fit, p. 849.

Digitized by Google

enim scribimus eidem castellano ut facere debeat qnicquid sibi duxeris injungendum.

Datum apud Tres-Sanctos, XXX martii, XIII indictionis.

Item scripsit predicto Friderico super predictis capitulis responsales.

Item scripsit castellano Pectorani ut sive de remanendo sive de recedendo a castro ipso, faciat quicquid sibi predictns Andreas de Cicala capitaneus dnxerit injungendum.

Mandata ad magistrum marescallae Siciliae et ad secretum Messanae pro duobus equis de Barbaria ad praesentiam principis mittendis. Apud Tres-Sanctos, 30 martii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 92 recto; in edit. Carcan., p. 384.)

De superiori mandato scripsit idem notarius :

Fredericus, etc., Riccardo de Molisio magistro marescalle Sicilie, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamns qnatenus duos eqnos nostros de Barbaria de quibns precepit tibi Philippus Achillonus fidelis noster qnod eos non faceres cnrrere usqne ad mandatnm nostrum, per Planerium scuterium marescalle nostre fidelem nostrnm ad presentiam nostram mictas; ecce enim mandamns Majori de Plancatone doanerio, etc., ut pro eqnis ipsis ad curiam nostram ducendis expensas debeat necessarias exhibere.

Datum apud Tres-Sanctos, XXX martii, XIII indictionis.

Item scripsit :

Fredericus, etc., secreto Messane, etc. Cum pro ducendis ad presentiam nostram duobus equis nostris de Barbaria quos habet Riccardus de Molisio magister marescalle nostre Sicilie, Planerium scuterinm marescalle nostre latorem presentinm destinemus, fidelitati tne precipiendo mandamns quatenns in reditu suo pro eodem Planerio, uno roncino curie nostre quem eqnitat, predictis duobus eqnis nostris qnos ducere debet et

Digitized by Google

uno scuterio alio pedite qui adjuvet eum ad ducendos equos predictos usque ad curiam nostram, expensas debeas exhibere.

Datum [*ut supra*].

Apud Balpas, 31 martii.

Mandata de bonis clericorum morantium in curia Romana, de curiis bajulorum in civilibus causis, de defensis officialibus impositis, de camerario in Sicilia statuto, de recipienda ratione a procuratoribus ecclesiarum, de procuratore Cataniensis ecclesiae, de rebus Riccardi Vetrani, de satisfactione Bonaventurae Tusculani et sociorum ejus, de expensis dandis Symoni de Syria, de pulvere pro lupis occidendis, de pecunia data ammirato, Jordano Filangerio et aliis, etc.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 92 verso; in edit. Carcan., p. 384 et seqq.)

De imperiali mandato facto per magistrum G. de Tocco scripsit G. de Cusentia licteras responsales :

Fridericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Licteras fidelitatis tue benigne recepimus, etc., et ecce tibi ad singula respondemus. Primo de justiciariis Sicilie et Calabrie qui prebendas et bona clericorum morantium in Romana curia tibi seu procuratoribus per te statutis non assignaverunt adhuc per te requisiti sepius, ut scripsisti, procuranda ad opus curie nostre juxta mandatum nostrum, grave gerimus eorum negligentiam sive moram, et ecce damus eis licteris nostris expressius in mandatis ut ea omnia tibi sine mora et difficultate assignent ad opus nostrum fideliter procuranda, et a tempore mandati nostri de proventibus perceptis tibi plenarie faciant responderi ut tu inde curie nostre plene respondeas a tempore supradicto. Tu vero quod a quolibet ipsorum receperis, seriatim nostro culmini nuntiabis. De bajulis terrarum jurisdictionis tue prohibitis a justitiariis, ut scripsisti, ne regant curiam ipsis in terris presentibus, unde bajulationes minorari scripsisti, ecce mandamus

eisdem justitiariis ut bajulos ipsos curias suas regere pacifice permictant ipsis etiam in terris presentibus, cum cognitio civilium questionum que spectant ad bajulos cognitionem criminalium que spectant ad justitiarium non impediat, quia utrorumque officia nostris constitutionibus sunt discreta. Defensas etiam officialibus jura curie nostre requirentibus impositas aliquando per eos qui sunt nostre curie debitores, nullius volumus fore momenti nec ipsos de defensis talibus coram justitiariis volumus conveniri, prout mandatum ad eos nostris licteris destinamus. In Sicilia citra flumen Salsum ubi consueverunt hactenus esse tres camerarii, tu vero unum scilicet Sergium Muscettulam statuisti, placet nobis ut alium cum ipso statuas ut duo camerarii per terram sic diffusam melius possint jura conquerentibus reddere et rationes curie nostre diligentius indagare, nomen secundi camerarii ad notitiam nostram tuis licteris transmissurus. In facienda inquisitione super curatulis animalium curie nostre et recipienda ratione a procuratoribus ecclesiarum vacantium, unde tarde sicut scripsisti lictere nostre aperte per G. de Anglone justitiarium Sicilie fidelem nostrum pervenerunt ad te, sic te fore volumus studiosum ut mora contracta in licteris tua sollicitudine redimatur; quia autem lictere nostre misse ad te per eumdem justitiarium aperte fuerint, per te inquiri volumus et nobis postmodum reserari. De procuratore statuto per te super proventibus Cathaniensis ecclesie, de locatione proventuum ipsorum facta per te, victu et necessariis monachis ordinatis secundum mandatum nostrum, placet nostre excellentie quod fecisti. Quod fecisti de rebus Riccardi Vetrani quondam castellani Syracusie et Nothi saisitis ad opus curie nostre, gratum habemus. De cassia vero cum quaternis ipsius quam penes Syracusanum episcopum deposuisti, in te negligentiam inde arguimus et mandamus ut in palatio nostro Messane eam facias custodire. De satisfactione Bonaventure Tusculani et sociorum mercatorum Romanorum juxta mandatum nostrum, placet nobis ut de quantitate pecunie eis debite eis satisfacere studeas, habita ratione cum ipsis de perceptis proventibus, residuum suppleturus eisdem ita quod venatio, doana et alii proventus ecclesie Cathaniensis obligati eisdem liberi remaneant curie nostre, eis satisfactione prestita juxta nostri mandati tibi facti

Digitized by Google

tenorem. Quod scripsisti de rebus Laurentii quondam granicterii vallis Nothi non posita ratione curie nostre defuncti, quas cepisti ad opus curie nostre et inquiris sicut scripsisti alias capiendas, gratum gerimus et mandamus ut de dote et dotario dandis uxori ejusdem Laurentii serves et facias quod erit de jure et de consuetudine regionis. De expensis datis magistro Symoni de Syria balistario qui laborat ut scribis cotidie balistas pro curia nostra, placet nobis quod ad utilitatem curie nostre fecisti; debuisti tamen licteris tuis conscientiam nostram instruere quot balistas laboret per mensem et qualiter proficit in opere suo per septimanam, ut ex fructu operis sui expensas ipsius commode metiremur; de quo volumus ut negligentiam tuam redimens id nobis significes seriatim. De pulvere inveniendo pro destructione luporum juxta mandatum nostrum, intelleximus quod fecisti, et ecce dedimus in mandatis Thomasio de Aquino comiti Acerrarum fideli nostro ut de pulvere ipso tibi proxime mictat ad copiam; mictat etiam ad te duos homines de faciendo pulvere et lupis occidendis instructos, quibus cum ad te pervenerint necessarias expensas te volumus exhibere. De Thomasio Fabiani qui tenetur curie nostre in sexcentis unciis de ratione portuum Sicilie ut scripsisti, cur ipsum de castro Calatageroni quo quondam secretus eum posuit [amoveris?] et in castro Bubalini posueris, ex licteris tuis comprehendere nequivimus. Placet tamen nobis si pro utilitate curie nostre sic fecisti. De Jacobo Peregrini de Lentino et sociis tribus qui habuerunt in cabella vivarium Lentini, flumen et piverium et debent ut scripsisti de residuo $\frac{\text{VIII}}{\text{M}}$ DCCXXXVIIII tarenos et quia noluerunt solvere, eos carcere mancipasti, rebus eorum captis ad opus curie nostre, placet nobis quod inde fecisti. De pecunia data ammirato fideli nostro pro servitiis nostris preter salem et ferrum, quam scripsisti fuisse in summa $\frac{\text{II}}{\text{M}}$ CXI uncias, laudamus diligentiam tuam, et ipse inde ponet debitam rationem. De pecunia data dudum Jordano Filangerio capitaneo pro servitiis nostris, de MCCCXVIII [unciis] datis Romanis mercatoribus juxta mandatum nostrum, de centum unciis datis Nicolao de Trano vallecto marescalle nostre pro expensis equorum quos duxit ad curiam nostram, de pecunia data pro expensis, pro servitiis et rebus necessariis camere imperatricis consortis nostre, tuam diligentiam com-

mendamus. | Purpuras pannos ad aurum, cammeloctos subtiles et grossos, cendatos de Tripulo, buccaranos (1) subtiles et grossos et duos mulos et unum roncinum quos et quas notarius Jordanus et Johannes Musca nuntii tui ad nostram curiam detulerunt, camera nostra recepit, et ipsi nuntii tui tibi de receptis deferunt apodixam. Balistas emptas ut scripsisti per Pisanum de Riccobaldo civem Messane mandamus ut cum ad curiam nostram veneris, deferri facias nostre celsitudini presentandas. De vaccis et jencis (1) multis sicut scripsisti qui ita sunt silvestres quod domari non possunt et si vendentur curia nostra commodum consequetur, mandamus ut vaccas si que sunt filios non portantes et jencos silvestres non valentes domari, vendi facias ad commodum curie nostre; portantes vero filios licet silvestres servitio nostro dimictas pro filiis habendis ex eis; qui vero domari poterunt, domari facias pro campis nostris. De domibus nostris in Casali Silvestri et turre que est ibi inventis discohopertis sicut scripsisti et eas cohoperiri et aptari bene facis; de domibus Cancari prope Augustam quas facis bene cohoperire ceramitis et calce ne venti rabiem pertimescant, quarum salam cum miniano quod respicit mare versus Augustam pro defectu boni fundamenti ruinam minantes reparari facis; de targia ubi calcaria fieri facis pro reparandis muris de luto factis qui sicut scripsisti pro majori parte sunt passi ruinam; de fiskia facienda in palatio nostro quod est in Chindia prope Syracusiam et aliis commoditatibus faciendis ibidem sicut scripsisti, tuam diligentiam approbamus, et placet nobis ut opera testimonium perhibeant veritati. Illud idem respondemus de domo quam te facturum dicis ad opus pullorum nostrorum in magno prato prope Syracusiam juxta mandram bubalorum, et de paleareo pro reponenda palea construendo. De terris vacuis que sunt de demanio nostro in tenimento Syracusie in prato magno de quibus sicut scripsisti curia nostra commodum nullum consequitur, quas burgenses Syracusie petunt ad annuum censum pro plantandis in eis vineis, que si concesse fuerint ipsis burgen- Fol. 93 recto.

(1) Frequentius *boquerannus* : unde gallice *bouqueran*, *bougran*, telae pretiosae species.

(2) Quid haec vox significet non plane interpretamur, dum sub masculino genere appareat. Si enim feminina foret, forsitan de junicibus, gallice *génisses*, intelligendum videretur.

sibus, habebit inde curia nostra fere tarenos auri DC et decimam partem totius musti quod ex ipsis vineis percipietur, placet excellentie nostre quod de terris ipsis dictis burgensibus ad censum annuum concedatur, dummodo venatio nostra que est ibi prope ex plantatione vinearum ipsarum non recipiat lesionem et mirthetum vicinum venationi ipsi non destruatur pro eis. Inquisitionem quam fieri fecisti de terris Feruliti unde est questio inter Messanensem archiepiscopum et sororem quondam camerarii Riccardi, curia nostra recepit. De vineis nostris ad quarum culturam diligentem procuratores plurimos statuisti, si curie nostre commodum procuratur in eis si plures sint, tuam diligentiam commendantes de nostro commodo, mandamus tibi ut omnes vineas ipsas facias diligenter coli et nullas ex eis alicui ad cabellam concedas, quia magis credimus expedire commodis nostris ipsas diligenter in demanio nostro excoli quam ad cabellam concedi, pro eo quod qui cabellam ipsam recipiunt non de cultura debita vinearum curant, sed qualiter fructus percipiant in suo tempore pleniores, et sic vineas nostras intelligimus pejorari. De tribus milibus salmis vini dati ammirato fideli nostro pro onerandis navibus nostris, de porcis curie nostre quos impinguari et occidi ac salliri fecisti pro majori utilitate curie nostre ut scribis, de caseo et frumento assignando pro ipsis navibus onerandis, muratis (a) primo castris nostris pro toto presenti anno XIII indictionis, placet nobis quod ad commodum curie nostre inde fecisti et quantitatem quorumlibet nobis volumus intimari. De granicteriis vallis Nothi et Castri Johannis augmentatis ut scribis post accessum tuum in Sicilia ultra quantitatem qua fuerunt anno preterito XII indictionis in salmis victualium MDCCCC et de campis curie nostre cum diligentia seminatis ut scribis et de eo quod animasti fideles nostros ad laborandum, tuam diligentiam approbamus. De decimis petitis ab archiepiscopis, episcopis et clericis legitime prebendatis, placet nobis ut debitas et consuetas decimas temporibus regum et de illis tantum possessionibus de quibus eisdem temporibus dari consueverunt et debuerunt et a regum temporibus usque ad hec felicia tempora nostra date sunt eis, pacifice et quiete

(a) Sic in impresso; aptius tamen legendum *munitis*.

eis facias exhiberi. De carnibus sallitis de quibus nichil solvitur ut scripsisti pro jure exiture extra regnum in Sicilia et in Apulia solvitur, placet nobis quod in adventu tuo ad presentiam nostram hoc ad memoriam nostram reducas responsum debitum recepturus.

Datum apud Salpas, ultimo martii, XIII indictionis.

| *De superiori mandato scripsit G. de Cusentia :* Fol. 93 verso.

Fredericus, etc., Guillelmo de Anglono justitiario in Sicilia citra flumen Salsum, etc. Significavit excellentie nostre Major de Plancatone doanerius, etc., quod dum tu in aliqua terra jurisdictionis tue moraris, bajulis loci de civilibus questionibus que ad eorum cognitionem pertinent regere curiam non permictis, immo dum cogis eos coram te assidue permanere, bajulationes suas exercere non possunt; addidit etiam quod bajulos et alios officiales suos occasione defensarum que eis requirentibus jura nostra ab hominibus imponuntur, ne rationes nostras exigant ab eisdem, trahis ad causam et cogis eos post te proinde laborare. Propter quod bajuli et officiales ipsi gravati exercere bajulationes et officia nostra non possunt in ipsorum gravamen et nostrorum jurium detrimentum. Verum cum nec cognitio civilium que ad bajulos pertinet impediat criminalium quod ad te spectat examen, nec predicte defense bajulorum et officialium pro juribus nostris imposite sint servando, immo ab injuste eas imponentibus exigende, fidelitati tue mandamus quatenus si est ita, nec predictos bajulos super cognoscendo de civilibus questionibus que ad eos pertinent te presente impedias, nec eos occasione predictarum defensarum que eis ab hominibus imponuntur pro exactione dumtaxat nostrorum jurium ut est dictum, debeas sic indebite molestare, immo impositores hujusmodi defensarum, si inveneris eas minus juste impositas, juxta tenorem sacrarum constitutionum nostrarum ad exolvendas curie nostre defensas ipsas sicut fuerit de jure compellas. Significavit nobis preterea predictus secretus fidelis noster quod tu super assignandis ei sicut tibi mandavimus bonis clericorum qui contra mandatum nostrum in Romana curia sunt morati, ad opus nostre curie procurandis, dilationem inducis nec adhuc mandatum nostrum in hoc adimplere curasti; quod si verum est, nostra serenitas ammiratur et in te super hoc negligentiam more arguimus non indigne.

Digitized by Google

Quare mandamus quatenus bona predicta eidem secreto assignari facias sine mora ad opus nostre curie procuranda, et eidem de proventibus bonorum ipsorum huc usque perceptis integre facias responderi.

Datum [*ut supra*].

Similes scripsit G. de Montefusculo justitiario Calabrie.

Similes scripsit Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane.

Ortae, 1° aprilis.

Mandatum ad comitem Acerrarum ut Telecitum ipsi debeat assignari ubi uxorem suam retinere valeat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 94 verso, dum nihil in folio 94 recto exaratum inveniatur; in edit. Carcan., p. 387.)

De imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Thomasio de Aquino comiti Acerrarum, etc. Cum quosdam de militibus Mediolanensibus quos captivos habemus faciamus ad nostram vocari presentiam, quibus domos nostras et loca solatiorum nostrorum ostendi volumus, providimus ut Telecitum (*a*) tibi debeat assignari ubi uxorem tuam valeas retinere. Mictas igitur et ipsum recipi facias a justitiario Capitinate fideli nostro, cui dedimus in mandatis ut ipsum tibi assignet pro causa predicta retinendum, donec nostre placuerit majestati.

Datum Orte, primo aprilis, XIII indictionis.

Ortae, 1° aprilis.

Mandata ad Guillelmum de Palma et Rogerium Filangerium ut librerios quos habent ad praesentiam principis mittant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 94 verso; in edit. Carcan., p. 388.)

(*a*) Nomen loci, ut videtur.

Digitized by Google

Scripsit idem :

Fredericus, etc., Gnillelmo de Palma, etc. Venientes in partes istas credidimus bonos de succurrendo librerios (1) invenire; sed quia non invenimus nisi vetulos et alias devastatos, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus librerium tuum bonum mictere debeas ad presentiam nostram per illum scuterium tuum qui portare consuevit, ut ad nos per eum salubriter et commode deportetur.

Datum Orte, primo aprilis, XIII indictionis.

Similes scripsit Rogerio Filangerio de mictendo librerio suo. Quas licteras portavit Johannes de Salerno scuterius marescalle.

Mandata ad justitiarios ut quosdam de prisonibus Lombardis qui per partes jurisdictionis eorum custodiuntur, ad praesentiam principis mittant. Ortae, 1a aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 94 verso; in edit. Carcan., p. 388.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Petrasturmila scripsit idem notarius :

Fredericus, etc., Thomasio de Montenigro justitiario Principatus, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus Landulfum Crivellum, Guidonem Petrasancta, Guiscardum Petrasancta, Robbertum (a) de Mandello, Gilium (b) Marcellinum, Franciscum de Astore (c) et Monachinum (d) Gam-

(a) In cedula 25 decembris anni praeteriti confecta legitur *Obertinum*. Cf. supra p. 616.

(b) In cedula *Egidium*.

(c) Deest iste in cedula, nisi sit idem ac *Franciscus de Settano*.

(d) In cedula *Mattheum*; quod nomen emendavimus.

(1) De sensu vocis hujus non plane liquet. Forsitan intelligendum est de *leporeriis*, *chiens levriers*, qui in constitutionibus alterius Friderici Siciliae regis *leprarii* quoque dicuntur. Si res ita fuerit, legendum *leprerios* Cf. supra, p. 864.

Digitized by Google

barum lombardos prisones qui per partes jurisdictionis tue custodiuntur, receptis hys licteris sub fida custodia ad presentiam nostram mictas.

Datum Orte, primo aprilis, XIII indictionis.

Similes scripsit justitiario Basilicate de mictendis Gilio de Pusterula, Castilino de Cruce, Berriolo de Puzuponello et Bosino (*a*) de Mandello qui detinentur in jurisdictione sua.

Similes scripsit justitiario terre Bari de mictendo Lancio de Corte (*b*).

Similes scripsit justitiario Aprutii de mictendo Jacobo Manerio, Presbitero (*c*) Burro, Alberto Scaccabarrocio, Leone Manerio et Bonifacio de Mandello.

Similes Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris de mictendo Bonifacio de Pusterula, Gabriele Petrasancta, Sadino de Alano (*d*), et comite Goffrido de Curtenova.

Similes Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane de mictendo Abbatino de Melignano.

Luceriae, 3 aprilis. Alia mandata ad justitiarios ut Lombardos prisones ad Asculum de Capitinata mittant, per justitiarium Capitinatae quomodo ultra procedere debeant sciturі.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 recto; in edit. Carcan., p. 388.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Petrasturmina scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Boamundo Pissono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus lombardos prisones quos missurus es ad presentiam nostram sicut tibi mandavimus, mictere debeas equites in bonis roncinis et in bona comitiva custodum usque Asculum de Capiti-

(*a*) In cedula *Rufinus*.
(*b*) In cedula *Lanzinus de Curte*.
(*c*) In cedula *Philippus*.
(*d*) Non invenitur in cedula, nisi sit idem ac *Sado de Hayato*.

nata, instructurus nuntios tuos qui ipsos conducent ut cum apud Asculum fuerint, Riccardo de Montefusculo justitiario Capitinate fideli nostro hoc debeant intimare, processuri deinde sicut per eum beneplacitum nostrum scient.

Datum Lucerie, III aprilis, XIII indictionis.

Similes scripsit Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris.

Similes Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et terre Beneventane.

Similes Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate.

Similes L. de Franco justitiario terre Barri.

Similes Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris, commendans quod pecuniam ad Henricum regem Turrium et Gallurae miserit, et ut veniat in festo Palmarum ad praesentiam principis. Luceriae, 3 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 recto; in edit. Carcan., p. 388.)

De imperiali mandato facto per magistrum G. de Tocco scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Consueta benignitate recepimus licteras, etc. Quod autem recepto mandato nostro quod tibi direximus de mictendis mille DCLXVII unciis auri ad H. illustrem regem Turrium et Gallure, etc., pro nostris servitiis, significasti te statim ipsam pecuniam recollectam ad eumdem usque Sanctum Flavianum misisse, gratum habemus et tuam inde sollicitudinem commendamus. Laudamus etiam studium tuum quod diligenter insistis ad recolligendum duo milia uncias [auri] que de mandato nostro assignare debes Riccardo de Sancto Germano fideli nostro, pro nostris que sibi commisimus servitiis exequendis; super quo et super colligenda omni alia pecunia curie nostre et ad nostram presentiam deferenda, esse te volumus

Digitized by Google

diligentem. Quod vero audito felici adventu nostro in regnum, ad nostram presentiam properabas, et magister Petrus de Vinea magne curie nostre judex fidelis noster pro exequendis servitiis nostris reverti te fecit, placet nobis, fidelitati tue mandantes qnod in festo Palmarum sicut jam tibi mandavimus, nostro te conspectui representes.

Datnm Lucerie, III aprilis, XIII indictionis.

Lucerlae, 3 aprilis.

Mandatum ad justitiarium Basilicatae ut in festo Palmarum cum pecunia recollecta ad praesentiam principis veniat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 recto; in edit. Carcan., p. 389.)

Scripsit idem notarius de superiori mandato responsales :

Fredericus, etc., Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate, etc. Benigne recepimus, etc. De adventu antem tno ad presentiam nostram snper quo nostrum beneplacitum requisisti, mandamus fidelitati tue ut ordinata diligenti custodia filii nostri (1), te in festo Palmarum nostro conspectui representes, totam pecuniam quam habes tam de collecta quam alinnde, sicut scripsisti, ad nostram tecum presentiam portatnrus. Te antem coram nobis presente, super capitulis aliis que nostro culmini destinasti nostrum recipies beneplacitum et mandatum.

Datnm Lucerie, III aprilis, XIII indictionis.

Luceriae, 3 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut ad requisitionem Jacobi Capice expensas pro familiis curiae imperatricis et Friderici, imperatoris filii, debeat exhibere.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 recto; in edit. Carcan., p. 389.)

---

(1) Scilicet Henrici, quondam regis Romanorum.

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., A. filio Henrici, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus ad requisitionem Jacobi Capice statuti super servitiis curie karissime consortis nostre I. Romanorum imperatricis semper auguste, fidelis nostri, sic studeas ordinare quod hac vice de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas, des indumenta pro familia curie dicte consortis nostre et F. karissimi filii nostri, ac donec eadem consors nostra et idem filius noster in jurisdictione tua morabuntur, ad requisitionem ejusdem quelibet oportuna pro eis et suis familiis debeas exhibere, recepturus a dicto Jacobo de omnibus que propterea dederis idoneam apodixam.

Datum Lucerie, III aprilis, XIII indictionis.

Mandatum ad Guillelmum de Pedevillano et ad secretum Messanae ut opus castri novi Messanae cum omni studio et diligentia compleri debeat. Luceriae, 3 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 recto; in edit. Carcan., p. 389.)

De mandato imperiali scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Guillelmo de Pedevillano, etc. Fidelitati tue licteras solita benignitate recepimus et continentiam intelleximus diligenter. Super eo vero quod significasti per eas quod in opere castri novi Messane non secundum mandatum nostrum qui opus ipsum volumus cum omni studio consummari, sed remisse proceditur, pro eo quod secretus Messane fidelis noster X uncias auri tantum tibi dandas ordinavit per mensem, de quibus facis perreria laborari ad extrahendos lapides cum perriatoribus et portatoribus nostris, et per eum qui statutus est per eumdem secretum super sumeriis et bubus non laboratur in opere ipso nisi cum XL sumeriis et uno pariclo, | cum nos statuerimus ut cum centum sumeriis et XX pari- Fol. 96 verso.
clis in eodem opere laboretur, fidelitati tue taliter respondemus quod

Digitized by Google

cum snper opere castri ipsius efficaciter velimus intendi, ecce damus nostris licteris in mandatis eidem secreto ut somerios et paricla boum in ea quantitate statnat in qua laborari statutnm est per nostram cnriam iu eodem, quod uullus omnino defectus super eodem opere commictatur et apparatum de calce fieri faciat et de ceteris oportunis. Tn vero in eodem opere curam habeas diligentem, sicut de industria tua coufidimns, ita quod per effectum tua diligentia in conspectu uostri culmiuis commeudetur. Quia vero (a) castrum nostrum Messaue Seuatori de Archis fideli uostro cum omnibns rebus que in eo fuerunt juxta mandatum nostri culminis assignasti, et inde sunt coufecta tria instrumenta publica similia, tuam diligentiam approbamus, ex quibns scriptis unum ad curiam nostram per te volumus destinari.

Datum Lucerie, III aprelis, XIII iudictiouis.

Item :

Fredericus, etc., secreto Messaue, etc. Significante G. de Pedevillano fideli nostro uostra sereuitas intellexit quod in opere novi castri uostri Messane non laboratur nisi cum XL sumeriis et uno pariclo boum per eum quem super ipsius castri opere statuisti, et uullus apparatus sit de calce et sic in eodem opere remisse proceditur, cum nos mandaverimus ut cum C snmeriis et XX pariclis in eodem opere iutente et efficaciter laboretur. Cum igitur velit serenitas nostra quod opus nostrum cum omni studio et diligeutia consummetnr, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenns cum tot sumeriis et pariclis boum ibidem statuas laborari cum quot laborari statutum est per nostram curiam in eodem opere, quod nulla in opere commictatnr negligentia vel defectus; apparatum etiam calcis fieri facias tanto operi congruentem, ita ut opus ipsum juxta mandatum et intentionem culminis nostri fieri possit celeriter et tu proinde uostro conspectui landabilis presenteris.

Datum [*ut supra*].

(a) Ibi additur *per*, quod sensum turbat.

Digitized by Google

Litterae responsales ad Riccardum de Pulcaro de frumento mittendo in terram Lunesani pro munitione castrorum hujus regionis, de defectu picis, de equis et mulis qui Capuae sunt. Luceriae, 3 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 95 verso; in edit. Carcan., p. 389 et 390.)

Item :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Fidelitatis tue litteras benigne recepimus et que continentur in eis intelleximus diligenter, tuum studium commendantes quia, sicut scripsisti, frumentum mictendum in terra Lunesani juxta mandatum nostrum pro munitione castrorum nostrorum que in contrata illa in manibus nostris tenemus, paratum habes et super ipso frumento virum fidelem et idoneum statuisti. Verum quia per nos instrui postulasti quot et que castra nostra muniri debeant in regione illa et quot servientes sint ad uniuscujusque custodiam deputati, fidelitati tue taliter respondemus quod cum de hoc nos etiam simus incerti, te inde instruere presentibus non valemus; sed placet nobis ut nuntius tuus quem mictes super frumento ipso requirat inde R. de Guasto capitaneum Lunesani fidelem nostrum et ab ipso accipiet que castra nostra muniri debeant et numerum servientium qui ad ipsorum castrorum custodiam sunt statuti. De pice quam dicis non esse in Principatu et Terra Laboris, pro cujus defectu scribis dampnum curiam nostram incurrere, placet nobis ut in adventu tuo ad nos qui debet esse propinquus, hoc ad memoriam nostram reducas, expressurus nobis quantitatem picis que fuerit oportuna, et tunc inde mandabimus quod melius videbitur expedire. De equis et mulis XXXIIII inter omnes quos scripsisti foro (*a*) Capue, quorum quidam fuerunt magistri quondam Johannis de Laurentio et quidam episcopi Capudaquensis, mandamus fidelitati tue ut ipsos omnes facias ad curiam nostram duci et nostre excellentie presentari.

Datum Lucerie, III aprelis, XIII indictionis.

(*a*) Sic; verisimiliter legendum *fore*.

Lucerize, 3 aprilis.

Litterae responsales ad justitiarium Siciliae citra flumen Salsum de dilatione responsi et de mulis ad curiam missis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 verso; in edit. Carcan., p. 390.)

De imperiali mandato facto. . . . . scripsit Laurentius:

Fredericus, etc., G. de Anglono justitiario Sicilie citra flumen Salsum, etc., Licteras, etc. Quia vero ad presentiam nostram es venturus in brevi, prout tibi dedisse recolimus in mandatis, respondere tibi ad singula usque adeo distulimus quo presentialiter audias nostrum exinde beneplacitum et mandatum. Mulum datum nobis a Guillelmo Pedevillano et mulam donatam nobis similiter ab abbate Sancti Petri de Regio quos tu ad curiam nostram misisti, curia nostra recepit per predictum nuntium tuum Jacobum de Lentino, et de aliis tribus mulis tibi mictitur apodixa.

Datum Lucerie, III aprelis, XIII indictionis.

Luceriae, 3 aprilis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut vice Angeli de Marra a Palmerio de Calve et Crescio Amalfitano pro parte curiae rationem recipiat et compleat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 95 verso; in edit. Carcan., p. 390.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia:

Fredericus, etc. Riccardo de Pulcaro, etc. Scripsisse dudum recolimus Angelo de Marra predecessori tuo fideli nostro ut a Palmerio de Calve et Crescio Amalfitano statutis olim super faciendis expensis in opere turris

Digitized by Google

pontis Capue, de officio expensarum ipsarum recipere deberet pro parte nostre curie rationem; sed quia idem Angelus licet rationem recipere incepisset, interim ab officio suo amotus ad complementum ducere nequivit eamdem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis a predicto Angelo documentis rationis ipsius quatenus processit in ea, pro quibus assignandis tibi nostras sibi mictimus licteras speciales, rationem predictam a jamdictis Palmerio et Crescio diligenter et prout melius pro curia nostra videris, recipere debeas et complere, provisurus actente quod in receptione ipsius curia nostra decipi nequeat vel fraudari.

Datum Lucerie, III aprelis, XIII indictionis.

Item scripsit Angelo de Marra ut assignet ei documenta rationis predicte.

Mandatum ad universos per Amiternum, Marsiam, etc., ut Robberto de Castellione ad obsidendam Roccam Alberici destinato super hoc intendant. Luceriae, 6 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 recto; in edit. Carcan., p. 390.)

De imperiali mandato facto per dominum Andream de Cicala capitaneum, etc., scripsit Laurentius:

Fredericus, etc., universis per Amiternum, Marsiam, vallem Ciculi, vallem Carsoli et vallem Petre constitutis, fidelibus suis, etc. Ecce quod Robbertum de Castellione fidelem nostrum ad obsidendam et impugnandam roccam Alberici quam Jacobus Sinibaldi rebellis noster contra nos detinet, destinamus. Fidelitati vestre precipimus mandantes firmiter quatenus ad requisitionem et ordinationem dicti Robberti super hoc intendatis eidem ad honorem et fidelitatem nostram.

Datum Lucerie, VI aprelis, XIII indictionis.

Item:

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Quia Robbertum, etc. *usque* destinamus, fidelitati tue precipimus quatenus neces-

Digitized by Google

saria pro impugnatione ipsius Rocce dicto Robberto ad requisitionem ejusdem debeas exhibere.

Datum [*ut supra*].

Luceriae, 6 aprilis.

Mandatum ad justitiarium terrae Idronti de inquisitione super habitationibus Petrollae et Melehudi et de dilatione responsi.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 recto; in edit. Carcan., p. 391.)

Item de imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit idem :

Fredericus, etc., A. de Aquaviva [justitiario Terre Idronti], etc. Licteras fidelitatis tue et inquisitionem factam contra processum predecessoris tui justitiarii Philippi filii Maremontis super habitationibus Petrolle et Melehudi per te de celsitudinis nostre mandato, solita benignitate recepimus, et singula que continebantur in eis audivimus et intelleximus diligenter, studium tuum in nostris servitiis commendantes. Quia vero ad presentiam nostram juxta mandatum celsitudinis nostre in proximo es venturus, nunc tibi super hys distulimus respondere; te etenim in curia nostra presente deliberabitur et respondebitur ad singula que misisti.

Datum Lucerie, VI aprelis, XIII indictionis.

Luceriae, 6 aprilis.

Mandata ad Riccardum de Bisaccia et ad Nicolaum Sarracenum de Juvenatio de adimplendo quod Johannes Morus scripserit, et de mille quingentis unciis auri eidem Johanni Moro significatis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 recto; in edit. Carcan., p. 391.)

De imperiali mandato scripsit Rogerius de Petrasturmina :

Digitized by Google

Fredericus, etc., Riccardo de Bisaccia, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus id quod Johannes Morus de camera nostra mictit tibi per licteras suas de servitio ejusdem camere nostre, sine mora et defectu debeas adimplere.

Datum Lucerie, VI aprelis, XIII indictionis.

De imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum et magistrum R. de Petrasturmina scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Nicolao Saraceno de Juvenatio, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus statim visis hys licteris ad presentiam nostre majestatis accedas, promoturus causam et jus curie nostre super mille quingentis unciis auri quas per licteras tuas Johanni Moro de camera nostra significare curasti, taliter instructus veniens et munitus quod in verbis tuis debitus inveniatur defectus.

Datum Lucerie, VI aprelis, XIII indictionis.

Lator Roggerius de Abbate nuntius A. de Aquaviva justitiarii Terre Idronti (*a*).

Mandata ad justitiarios regionum pro Lombardis prisonibus induendis. Fogiae, 8 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 verso; in edit. Carcan., p. 391.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus omnes Lombardos prisones tam Mediolanenses quam Placentinos et undecumque fuerint necnon et obsides Padue et aliarum partium marchie Trivisine, qui in partibus jurisdictionis tue custodiuntur, facias per eos qui ipsos custodiunt indui condecenter.

Datum Fogie, VIII aprelis, XIII indictionis.

(*a*) Haec adduntur ex margine.

Digitized by Google

Similes facte sunt Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii.

Similes Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et terre Beneventane.

Similes L. de Franco justitiario terre Bari.

Similes A. de Aquaviva justitiario terre Idronti.

Similes Thomasio, filio Osmundi, justitiario Basilicate.

Similes Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis et terre Jordane.

Similes G. de Montefusculo justitiario Calabrie.

Fogiae, 8 aprilis.

Mandatum ad secretum Messanae de mittendis ad curiam castratis, vaccis et caseis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 verso; in edit. Carcan., p. 391.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris, de mandris nostris Calabrie ordines et mictas ad curiam ~~~ castratorum, vel si tot castrati non habentur ibidem, loco eorum mictas arietes pingues et eos micti facias catervatim ne simul omnes ducti devastari possint in via. Mictas etiam sine mora M vaccas de armentis nostris que sint habiles ad edendum, sic procuraturus quod cito de predictis castratis et vaccis curia nostra possit habere. Mandamus tibi preterea ut de caseo mandrarum nostrarum Sicilie mictas per mare usque Neapolim ~~~ petiarum ad opus curie nostre, deinde ad nostram curiam deferenda, et in premissis adhibeas studium quod ad curiam nostram sine dilatione perveniant.

Datum Fogie, VIII aprelis, XIII indictionis.

Digitized by Google

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut ammirato regni in his quae ad officium ejus pertinent respondeat et intendat. Fogiae, 8 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 verso; in edit. Carcan., p. 391.)

De imperiali mandato facto per magistros Riccardum et Taddeum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici. De prudentia et fidelitate Nicolini Spinule civis Janue fidelis nostri plene confisi, eum ob expertam industriam et sue fidei meritum regni Sicilie statuimus ammiratum. Mandamus tibi quatenus respondeas et intendas eidem de assignandis sibi navibus, galeis et vassellis ceteris curie nostre que habes cum omnibus apparatibus eorumdem, ad utilitatem nostre curie procurandam, nec non et de faciendis navibus, galeis et vassellis aliis opportunis, de armandis eis cum expedit, de emendis afisis et ceteris necessariis eorumdem, de incidendis lignaminibus in locis licitis et deferendis ad mare, de faciendis, reficiendis et custodiendis tarsinabus per jurisdictionem tuam prout utilitati nostre curie videris melius expedire, de navibus et vassellis aliis curie nostre onerandis victualibus et aliis mercimoniis de rebus curie nostre, in quarum defectu de pecunia officii tibi commissi oportunas merces emas et assignes eidem, ac de assignanda pecunia necessaria pro predictis, juxta quod pro servitiis et utilitate curie nostre idem a te duxerit requirendum.

Datum Fogie, VIII aprelis, XIII indictionis.

Similes scripsit idem Riccardo de Polcaro pro eodem.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de reparandis domibus castri Policorii. Fogiae, 8 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 verso; in edit. Carcan., p. 392.)

Item :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc., Riccardus de Mirom. castellanus castri nostri Policorii, fidelis noster, nobis exposuit quod domus dicti castri minantur ruinam; et si Thomasius de Brundusio predecessor tuus domos ipsas incepisset facere de pecunia nostre curie reparari, in ipso initio ab officio fuit amotus; propter quod cum in reedificatione ipsarum processum non fuerit, dampnum maximum ex earum ruina nisi succurratur ad presens, nostre curie poterit pervenire. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si tibi constiterit de premissis, prefatas domos sicut expedit facias reparari, requirens prius justitiarium regionis ut inquiri faciat diligenter si per homines loci vel proximos castrum ipsum consuevit et debeat reparari. Quod si aliqui ad hoc teneri fuerint per inquisitionem inventi, compellantur ad reparationem earum, et si collecta id differri requirat, tu de pecunia curie nostre necessarias expensas in domibus facias, quas postmodum recepta collecta requiras ab hys qui tenentur reparare domos easdem, expensas quas necessario feceris in eisdem. Si vero non invenientur aliqui teneri ad reparationem ipsius castri, tu domos ipsas de pecunia curie nostre repares ut est dictum, quod in eis reparandis ex mora, negligentia vel ruina improvide non eveniat detrimentum.

Datum Fogie, VIII aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 9 aprilis.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut ducentos servientes inveniat ad soldum de quarta unciae per mensem pro custodia castrorum Pontistremuli et Lunisani.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 97 recto; in edit. Carcan., p. 392.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comi-

tatus Molisii, etc. Dudum tibi scripsisse recolimus et dedisse nostris licteris in mandatis ut de justitiariatu tuo ducentos servientes invenire deberes decenter armatos pro custodia castrorum nostrorum que habemus in partibus Pontis Tremuli et Lunisani, qui fideles essent, de genere fidelium orti et qui consanguineos haberent fratres seu filios in regione ipsa Terre Laboris, et pro mense uno solidares eosdem ad rationem de quatuor tarenis auri per mensem. Verum quia sicut significasti celsitudini nostre, servientes ipsos predicto modo non poteras invenire, nolentes ut defectus in nostris obsequiis habeatur, mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus eosdem ducentos servientes juxta prioris mandati nostri formam de justitiariatu tuo studeas invenire et solidare eos pro mense uno ad rationem de quarta uncie auri per mensem, et eis nichilominus pro eodem mense victui necessaria largiaris. Et si pro quarta uncie inveniri non possent, facias exinde prout melius videris expedire, ita ut omnino invenias et mictas eos secundum quod per alias licteras tibi dedisse recolimus in mandatis.

Datum Fogie, VIIII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de carrochiis et hominibus conducendis pro equis marescallae. Fogiae, 9 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 recto; in edit. Carcan., p. 392.)

De imperiali mandato facto per dominum R. de Trentanaria scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Cum de beneplacito nostro sit et mandato ut equi marescalle nostre ponantur ad herbam in partibus Capitinate, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem R. de Trentenaria, magistri marescalle nostre, fidelis nostri, conducere debeas ad competens loerium carrochias pro ferenda herba

ad equos et homines qui ipsam herbam metere debeant et ipsos ad idem servitium marescalle debeas assignare.

Datum Fogie, VIIII aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 10 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro vestimentis Henrici, filii imperatoris.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 recto; in edit. Carcan., p. 392.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fredericus, etc., Alexandro, filio Henrici, etc. Intelleximus quod Henricus, filius noster, qui apud Sanctum Felicem commoratur, prout ei expedit, vestitus non est; propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Thomasii, filii Osmundi, justitiarii Basilicate, fidelis nostri, et ad ipsius ordinationem, eidem filio nostro decentia facias vestimenta.

Datum Fogie, X aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 11 aprilis.

Litterae responsales ad comitem Casertae quod principi placeant quae significavit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 recto; in edit. Carcan., p. 393.)

De mandato imperiali facto per magistrum Roggerium de Petrasturmina scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Riccardo comiti Caserte, etc. Fidelitatis tue licteras quas nostro culmini destinasti, benignitate recepimus consueta. Quod autem significasti nobis per eas illud quod facere disponebas, excellentie nostre placet sicut cautius et securius fieri potest.

Datum Fogie, XI aprelis, XIII indictionis.

Mandata ad justitiarios Principatus et Aprutii de faciendis inquisitionibus super denunciationibus principi praesentatis. Fogiae, 11 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 recto; in edit. Carcan., p. 393.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Thomasio de Montenigro justitiario Principatus, etc. Roggerius de Mago et Mattheus de Altavilla fideles nostri presentaverunt majestati nostre denunciationes quas cedula continet presentibus interclusa contra Palmerium de Altavilla, cujus cedule per omnia similem in nostra camera jussimus conservari; et quia super omnibus que continet inquiri per te et scire volumus veritatem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ipsius cedule diligenter inspecto tenore et vocatis ad te denunciatoribus supradictis, super singulis que continentur in ea inquisitionem facias diligentem per homines fide dignos, quam fideliter in scriptis redactam sub sigillo tuo ad presentiam nostram mictas.

Datum Fogie, XI aprilis, XIII indictionis.

Item similes licteras per omnia scripsit idem notarius eodem die de superiori mandato super denuntiationibus factis per Berardum de Paganica contra prepositum Sancti Justini, et inquisitio commissa est facienda B. Pissono justitiario Aprutii cui denunciationes misse sunt intercluse.

Mandata ut jumenta curiae Gentili de Castanea assignentur, pro una aratia in Apulia facienda, et ut expensae necessariae custodibus equorum exhibeantur. Fogiae, 12 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 verso; in edit. Carcan., p. 393.)

De imperiali mandato facto per dominum Raonem de Trentenaria scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Riccardo de Polcaro, etc. Cum velimus quod de omnibus jumentis curie nostre que sunt in partibus ipsis fiat in Apulia una aratia (1), mandamus quatenus Gentili de Castanea cujus cure aracie ipsius officium est commissum, omnia jumenta curie nostre que per totam jurisdictionem tuam diligenter inquiras et invenias, facias assignari, que inventa et assignata fuerint nostro culmini rescripturus.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Similes scripsit L. de Franco justitiario terre Bari.

Similes Alexandro filio Henrici.

De mandato facto per eumdem scripsit [idem] :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus ad requisitionem G. de Castanea fidelis nostri, pro custodibus jumentorum, stallonum et equorum curie nostre qui sunt ejus cure commissi, necessarias expensas prout Thomasius de Brundusio predecessor tuus dare consueverat pro eisdem, de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas debeas exhibere.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Eo amoto rescripsit eas P. Castaldo magistro procuratori curie per eadem verba, I junii, XIII indictionis, apud Capuam.

Fogiae, 12 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de expensis et indumentis filiae Alberici exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 verso; in edit. Carcan., p. 393.)

Item de mandato facto per magistrum Roggerium de Camera scripsit idem :

---

(1) Vox Andegavensium tempore notissima, unde usque ad nos pervenit et dicitur *haras.*

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Intellexit nostra serenitas quod filia Alberici rebellis nostri pro mense martii proximo preterito non recepit expensas et etiam indiget indumentis. Quare mandamus quatenus si est ita, dicte filie Alberici pro se expensas pro dicto mense martii et tam pro ea quam pro personis quas Jacobus Capice fidelis noster in ejus custodia statuit, de cetero expensas solitas et statutas ad requisitionem dicti Jacobi debeas exhibere ad generale pondus regni; ipsam quoque condecenter induas ad requisitionem ipsius.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Capitinatae de bardis faciendis pro someriis et camelis curiae. Fogiae, 12 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 verso; in edit. Carcan., p. 393.)

Item de eodem mandato :

Fredericus, etc., Riccardo de Montefusculo justitiario Capitinate, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus statim visis hys licteris pro someriis camere nostre ducentas bardas et pro camelis decem et octo bardas apud Luceriam fieri facias ad requisitionem Johannis Mori de camera nostra, et eas sibi facias assignari pro servitiis nostre curie exequendis.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de quatuor paribus scrineorum ad cameram destinandis. Fogiae, 12 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 verso; in edit. Carcan., p. 393.)

De eodem [*mandato*] :

Digitized by Google

Fredericus, etc., R. de Polcaro, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus quatuor paria de scrineis facta de viminibus et cooperta de coriis vaccinis affaitatis ad modum eorum que ostensa sunt tibi in camera nostra, ad opus ejusdem camere statim fieri facias et ad ipsam cameram studeas destinare.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 12 aprilis.

Mandatum ad justitiarium Basilicatae ut collectam a Madio de Potentia non requirat, qui per duodecim jumenta curiae satisfecit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 96 verso; in edit. Carcan., p. 393.)

Item de mandato dicti (1) *R. de Trentenaria scripsit idem :*

Fredericus, etc., Thomasio filio Osmundi, justitiario Basilicate, etc. Quia Madius de Potentia fidelis noster pro triginta unciis auri quas pro presenti collecta requirebas ab eo, ut dicitur, duodecim jumenta (2) de suis curie nostre dedit ad presens in manus Gentilis de Castanea fidelis nostri recipientis ea pro parte curie nostre, ut ponat ipsa cum aliis jumentis curie nostre que in aratia facta nuper in Apulia ipsius sunt (*a*) cure commissa, mandamus quatenus si non plures uncie pro presenti collecta requirebantur ab eo, ipsas triginta de cetero non requiras, cum sicut dictum est fuerit exinde nostre curie satisfactum.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Similes eidem pro Palmerio de Potentia qui dedit jumenta XI pro unciis XXVIII.

(*a*) In Impresso *est*.

(1) Idem scilicet qui paulo supra mandata de rebus marescalliae fieri jussit.

(2) Unde liquet pro unoquoque jumento duas uncias et dimidiam computari.

Digitized by Google

Mandatum ad justitiarium Aprutii ut milites quos Manerius de Castanea ad servitium principis elegerit, si sponte ire noluerint, accingi compellat. Fogiae, 12 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 97 verso; in edit. Carcan., p. 394.)

De mandato magistri R. de Trajecto scriptum est per manus Procopii :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Ecce mictimus ad partes ipsas Manerium de Castanea fidelem nostrum ut retineat ad solidos curie nostre ducentos milites qui sint in servitio nostro cum filio nostro illustri rege Turrium et Gallure, sacri imperii in Italia legato. Quare fidelitati tue mandamus quatinus milites illos quos idem M. ad servitium nostrum elegerit, si sponte ire noluerint compellas juxta requisitionem suam ad servitium nostrum accingi, nisi aliqui fuerint de speciali mandato nostro nostris servitiis deputati vel ratiocinium de aliquo officio curie nostre reddere teneantur.

Datum Fogie, XII aprelis, XIII indictionis.

Eodem die ibidem de mandato magistri Petri de Vinea, scripsit P. de Capua ad judicem Jacobum de Capua ut visis licteris veniat cum tota pecunia curie quam habet.

Similes facte sunt Stantioni Amalfitano de Capua.

Mandatum et litterae patentes ad universos officiales ut assistant Philippo de Surrento et judici Majori de Juvenatio in servitiis principis exequendis. Fogiae, 13 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 98 recto; in edit. Carcan., p. 394.)

De mandato magistri R. de Trajecto scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., justitiariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis et universis officialibus ac aliis quibus presentes lictere ostense fuerint fidelibus suis, etc. Cum Philippum de Surrento et judicem Majorem de Juvenatio pro inquirendis malefactoribus in terra monasterii Cassinensis et pro aliis nostris servitiis destinemus, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus eisdem ad requisitionem eorum assistatis ope, consilio et favore ut servitia valeant exequi juxta celsitudinis nostre mandatum, et nos devotionem vestram merito commendemus.

Datum Fogie, XIII aprilis, XIII indictionis.

XIV ejusdem [mensis] facte sunt lictere aperte eisdem, amoto illo verbo *pro inquirendis malefactoribus in terra monasterii Casinensis,* per manus ejusdem et de eodem mandato.

Fogiae, 13 aprilis.

Mandatum ad magistrum camerarium Aprutii ut Johanni de Raymo provisori castrorum pecuniam oportunam pro castris et servientibus sine majori difficultate persolvat.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 98 recto; in edit. Carcan., p. 394.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Crescio Amalfitano magistro camerario Aprutii, etc. Johannes de Raymo provisor castrorum ipsarum partium fidelis noster sua nobis insinuatione monstravit quod cum tibi dedimus nostris licteris in mandatis ut ad requisitionem suam pecuniam necessariam pro solidis castellanorum et servientium ipsorum castrorum, pro munitione etiam eorumdem, expensas quoque statutas sibi pro se, tribus scuteriis et quatuor equis, dum in ipso servitio moram fecerit, juxta assisam curie exhibeas, tu ad id faciendum te difficilem et negligentem ostendis, quo fit ut idem servitium ipsum nequeat sicut expedit adimplere. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si est ita, predictam pecuniam oportunam

pro munitione predictorum castrorum et pro solidis nominatis castellanis et servientibus exhibendis ac predictas expensas sibi statutas juxta primi maudati nostri tenorem eidem sine difficultate persolvas.

Datum Fogie, XIII aprilis, XIII indictiouis.

Mandata pro aedificiis castrorum Bari et Trani reparandis et pro expensis castellanis et personis statutis ad custodiam ipsorum castrorum exhibendis. Fogiae, 13 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 98 recto; in edit. Carcan., p. 394 et 395.)

Mandante domino imperatore per judicem Taddeum scripsit notarius Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Guidoni de Guasto provisori castrorum terre Idronti, terre Bari et Basilicate (*a*), etc. Accedentes ad presentiam nostram Riccardus Comite castellanus Bari et Robbertus de Judice castellanus Trani, fideles nostri, coram nobis exposuerunt quod solidos pro se et personis statutis cum eis ad ipsorum castrorum custodiam et necessaria alia nondum habuerunt, prout per nostram curiam extitit ordinatum et in licteris nostris eisdem castellanis transmissis plenius continetur. Proposuerunt etiam quod in castris ipsis sale, domus, camere et edificia alia ac volte sunt que nisi cohoperiantur, propter pluvias sustinere potest curia nostra non modicam lesionem in eis, que vitari poterit sine magnis expensis. Verum quia volumus quod tam solidos pro castellanis ipsis et personis statutis cum eis in castris predictis quam et necessaria alia sibi debeant exhiberi, necnon et quod sale, camere, domus, volte et edificia alia que necessario cohoperiri oportet ne propter pluvias devastentur, debeant sicut melius poterit cohoperiri sine magnis expensis, ad evitandum curie nostre dampnum in eis, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus conferas te personaliter ad castra ipsa et videas diligenter omnia edificia

(*a*) Infra vero vocatur idem *provisor castrorum in Apulia.*

prenotata et ea que tam in salis, cameris, voltis et domibus quam etiam in aliis edificiis videris necessario quod propter pluvias debeant cohoperiri, prout melius videris, sine magnis expensis facias fieri; solidos etiam et necessaria alia tam castellanis quam personis aliis statutis cum eis ad custodiam castrorum ipsorum juxta quod per curiam nostram ordinatum est, facias exhiberi per Alexandrum filium Henrici, fidelem nostrum, cui damus per nostras licteras in mandatis ut ad requisitionem tuam castellanis ipsis solidos et necessaria alia pro se et personis statutis cum eis debeat exhibere, juxta numerum personarum in licteris nostris eisdem castellanis transmissis contentum, et pecuniam etiam pro cohoperiendis ipsis edificiis debeat tibi dare.

Datum Fogie, XIII aprilis, XIII indictionis.

De superiori mandato scripsit idem' notarius pro castellanis Bari et Trani :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. *Per omnia similes licteras usque* fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem dicti Guidonis de Guasto, des sibi de pecunia curie nostre que est per manus tuas pro cohoperiendis sine magnis expensis salis, domibus, voltis camere et edificiis aliis que propter pluvias viderit idem G. necessario cohoperienda. Des etiam ad requisitionem ipsorum castellanorum castrorum ipsorum, solidos et necessaria alia pro se et personis statutis cum eis ad custodiam eorumdem castrorum, secundum numerum personarum distinctum in literis nostris eisdem castellanis transmissis et juxta quod per nostram curiam extitit ordinatum.

Datum [*ut supra*].

Eodem die de imperiali mandato facto per magistrum Riccardum scripsit notarius Laurentius de Brundusio Nicolao de Capitinata (*a*) ut veniat ad curiam, quia dominus disposuit loqui cum eo super quibusdam.

Item scripsit licteras responsales sicleriis Brundusii quod subveniant domino in presenti servitio et portent omnes cum universitate, quia de

(*a*) In margine vocatur *frater* Nicolaus de Capitinata.

Digitized by Google

gratia indulta eis per privilegia domini, dominus poterit gratiose et liberaliter providere et de aliis etiam.

| De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit P. de Capua ad Guillelmum Paganum quod visis licteris veniat cum nuntiis cum quibus applicuit Brundusium. Fol. 98 verso.

Mandata ad justitiarios terrae Bari, terrae Idronti, Capitinatae et Basilicatae ut Thomasio de Brundusio assistant, bajulos, cabellotos et alios officiales ad solutionem pecuniae curiae debitae compellere volenti. Fogiae, 14 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 98 verso; in edit. Carcan., p. 395.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Laudulfo de Franco justitiario terre Bari, etc. Exponente nobis Thomasio de Brundusio fidele nostro, nuper nostra serenitas intellexit quod nonnulli bajuli, cabelloti et alii officiales dudum per eum statuti per justitiariatum tuum inveniuntur nostre curie debitores et in solutione pecunie nobis debite difficiles et negligentes existunt. Nolentes igitur quod jura et pecunia curie nostre in dampnum et prejudicium curie nostre ab aliquibus debeant detineri, utpote nobis ad presens plurimum oportuna, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ipsi T. volenti compellere bajulos, cabellotos et officiales suos in justitiariatu tuo, quos curie nostre debitores tibi constiterit et in solutione morosos, juxta requisitionem ejusdem Thomasii ad solutionem jurium et pecunie curie nostre debite assistas auxilio, consilio et favore, ut pecuniam curie nostre debitam celeriter possit habere. Equum est enim ut qui jura singulis fidelibus nostris servari mandamus, nostris juribus non privemur. Tale super hoc, etc.

Datum Fogie, XIV aprilis, XIII indictionis.

Digitized by Google

Eodem die de eodem mandato similes lictere per omnia scripte suut per eumdem P. ad justitiarium terre Idrouti.

Eodem die de eodem mandato similes lictere per omnia scripte suut per eumdem P. ad justitiarium Capitinate.

Eodem die de eodem mandato similes lictere per omnia scripte suut per eumdem ad justitiarium Basilicate.

Fogiae, 14 aprilis.

Mandata ad justitiarios de faciendis inquisitionibus contra quosdam juxta denuntiationes curiae praesentatas, denuntiatoribus ipsis in inquisitione assistentibus.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 98 verso; in edit. Carcan.; p. 396.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno:

Fredericus, etc., Thomasio de Monteuigro justitiario Priucipatus, etc. Bartholomeus de Giraldo de Gifouo lator preseutium, fidelis noster, denuutiationes quas cedula coutiuet presentibus interclusa nostro culmiui preseutavit contra judicem Roggerium de Gifouo; cujus cedule per omnia similem jussimus couservari. Et quia de omnibus que cedula ipsa continet, per te iuquiri et scire volumus pleuius veritatem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus vocato ad te dicto B. et assisteute tibi in denuuciationibus ipsis, ejusdem cedule diligenter inspecto teuore, super omnibus que coutiuet iuquisitiouem facias diligentem per homines fide dignos; quam fideliter iu scriptis redactam sub sigillo tuo ad preseutiam uostram mictas, studium habiturus ue iu iuquisitioue ipsa alicujus astutia nostra curia defraudetur.

Datum Fogie, XIV aprelis, XIII iudictiouis.

Item similes lictere de eodem mandato ad B. Pissouum justitiarium Aprutii facte sunt per eumdem notarium ad denunciatiouem Riccardi de Sulmona qui licteras ipsas portavit, coutra judicem Oderisium de Castello

Digitized by Google

de Sangro, et similis per omnia cedula que missa est justitiario conservatur in camera, et debet facere inquisitionem super omnibus, assistente sibi eodem Riccardo in inqnisitione ipsa.

« Item eodem die de eodem mandato scripsit idem notarius ad justi-
» tiarium terre Bari similes licteras de facienda inqnisitione contra judi-
» cem Jacobum de Guaragnone ad dennntiationem Johannis de Imperiali
» commorantis in Gnaragnone, qui debet assistere denuntiationibus quas
» cedula continet presentibus interclusa, et similis per omnia est in ca-
» mera (*a*). »

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut ad denunciationem Riccardi Bonvincontri inquisitionem faciat contra quosdam qui bestias et frumentum in Campaniam portaverunt et sal vendere praesumpserunt. Fogiae, 14 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 recto; in edit. Carcan., p. 396.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fridericns, etc., Riccardo de Montenigro, justitiario Terre Laboris, etc. Riccardus Bonvincontrus de Innla denunciavit celsitudini nostre qnod Nicolaus de Ioa, Guillelmus et Joannes Bertonns de Inula post generalem prohibitionem factam per curiam nostram ne aliquis bestias vel aliqua alia de regno extraheret in Campaniam portaturus, ausu temerario duxerunt capras et portaverunt frumentum in Campaniam ad vendendum de regno contra prohibitionem nostram, et portaverunt etiam sal extra regnum ad vendendnm in regnum et vendere presnmpserunt, cum nulli licitum sit sal vendere quod non sit emptnm a doana curie nostre. Super qnibns cum per te inquiri et scire velimns plenius veritatem, fidelitati

(*a*) Hoc ultimum mandatum inversis commatibus concluditur; quod idem fuisse cancellatum indicare solet.

Digitized by Google

tue precipiendo mandamus quatenus super premissis inquiras diligentius veritatem per homines fide dignos quam fideliter ad te vocato (a) et predictis denunciationibus assistente; quam fideliter in scriptis redactam ad curiam nostram mictas.

Datum Fogie, XIV aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 14 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, ut Guidoni de Guasto provisori castrorum in Apulia expensas exhibeat tam pro se et scuteriis suis quam pro reparatione castrorum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 recto; in edit. Carcan., p. 396.)

Mandante domino imperatore per judicem Taddeum scripsit notarius R. de Salerno :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Guido de Guasto provisor castrorum nostrorum in Apulia conquestus est coram nobis quod cum dederimus nostris licteris in mandatis judici Philippo de Aversa qui tunc statutus fuerat recollector pecunie nostre in Apulia, ut sibi pro se, tribus scuteriis et quatuor equis suis expensas juxta assisam curie exhibere deberet, quia idem judex infirmitate detentus non contulit se in Apuliam ut servitium curie nostre sibi commissum exequeretur, expensas ipsas nondum sicut asserit potuit habere ab aliquo nec ab eo. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus certus sicut convenit quod dictus G. expensas ipsas a nullo pro parte curie nostre receperit sicut dicit, tu expensas ipsas pro se, tribus scuteriis et quatuor equis suis juxta assisam curie exhibeas, ab eo tempore quo sibi per curiam nostram statute fuerunt et in antea donec in eodem nostro servitio fuerit de nostro mandato, pro illis videlicet diebus quibus servitium ipsum exequutus est et in antea exequetur, expensas daturus eidem de pe-

(a) Locus mutilus, dum inepte ibi irrepserit *quam fideliter*, quod paulo infra ad suum locum reponitur. Forsitan nunc legendum *dicto Bonvincontro ad te vocato.*

Digitized by Google

cunia curie nostre que est per manus tuas; pro reparatione etiam necessaria domorum nostrarum et castrorum si expedit, ad requisitionem suam expensas necessarias ministres de pecunia curie, ne pro defectu pecunie domorum vel castrorum nostrorum aliquod patiantur (a) ruinam.

Datum Fogie, XIV aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro faciendo biscotto de frumento quod prius in Syriam pro marescalco mittendum erat. Fogiae, 15 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 recto; in edit. Carcan., p. 397.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Petrus de Capua Wolferus :

Fredericus, etc., Alexandro, filio Henrici, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus statim receptis hys licteris, navim quam cum frumento mandavimus pro marescalco in Syriam navigare, exonerari facias, de frumento ipso fieri faciens nonaginta cantaria biscotti de pecunia curie nostre que est per manus tuas; quod biscottum juxta ordinationem Nicolini Spinule ammirati fidelis nostri pro servitiis nostris studeas exhibere et recipias exinde ydoneam apodixam.

Datum Fogie, XV aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad bajulos et fundicarios Brundusii pro capiendo nuntio ituro ad Papam de partibus ultramarinis pro impetranda dispensatione matrimonii, unde promittebantur ei duo millia marcarum (1). Fogiae, 15 aprilis.

(a) Melius *patiatur*.

(1) Haec omnia addimus e marginali nota quae rem in mandato ipso secretam elucidat;

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 recto; In edit. Carcan., p. 397.)

Item P. de Capua junior (*a*).

Fredericus, etc., bajulis et fundicariis Brundusii, etc. Cum notarium Gualterium de Capua fidelem nostrum, latorem presentium, pro quibusdam nostris servitiis destinemus, fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus eidem notario ad requisitionem suam assistatis ope, consilio et favore, ita ut ipse servitia nostra possit exequi sicut decet, et nos devotionem vestram inde merito commendemus.

Datum Fogie, XV aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 15 aprilis.

Mandatum ad gaytum Panormi pro diruendo aedificio fratrum Minorum apud Panormum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 recto; In edit. Carcan., p. 397.)

Item Procopius :

Fredericus, etc., notario Philippo gayto Panormi, etc. Intellexit nostra serenitas quod edificium olim (1) per fratres Minores inceptum juxta portum civitatis nostre Panormi quod mandavimus dirui, ad presens reficitur ab eisdem contra mandatum nostrum. Quare mandamus quatenus si est ita, ipsum edificium aliquatenus construi non permictas.

Datum Fogie, XV aprelis, XIII indictionis.

(*a*) Verisimiliter qui supra et infra *Wolferi* cognomine discernitur.

---

unde denuo materiam habemus suspicandi regestum aliud quoddam generale curiae et officialium omnium affuisse, cujus regestum istud tantummodo compendium esse videtur, et unde amanuensis nomina integra et notas utiles extraxerit.

(1) Scilicet anno 1235, ut monet Inveges, *Annal. di Palermo*, t. III, p. 596, qui mandatum istud referens cum notis chronologicis eisdem, id tamen datum apud Celanum Capitinatae indicat, sive aliud hujus regesti exemplar hodie incognitum prae oculis habuerit, sive istud idem paulo consulte citaverit.

Digitized by Google

Mandatum ad ammiratum regni ut in quocumque vassello ad regnum applicante diligenter exquiratur pro intercipiendis litteris extra regni terminos deferendis et rebellibus si qui fuerint ibidem inventi custodiendis. Lucerie, 16 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; In edit. Carcan., p. 397.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. Wolferus de Capua :

Fredericns, etc., Nicolino Spinule ammirato, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamns qnatenus per singulos portns maritime regni nostri Sicilie nnnm ant dnos probos viros statnas et fideles qui statim cnm navis, galea vel vassellum aliqnod nndecumqne veniens applicnerit, prius qnam aliquis de ipso descendat vel aliqnid deponatnr ex eo, personas omnes et loca qnelibet vassellorum fideliter et diligenter exquirat unde sit, unde veniat, quo et ad qnid vadat et qui sint homines existentes in eo; qnos etiam jnrare compellet ut licteras seu verba contra nos, imperium ant regna nostra non deferant quoqno modo. Licteras omnes ibidem inventas ant apud aliquem de vassello extra regni terminos deferendas eum capere volumus, qnas ad presentiam nostram intactas jnbemus cum celeritate transmicti, ita tamen ut interim navis, galea sen vassellum ant persona aliqua ex eis aliqnatenus regnum non exeat sine nostre licentia majestatis; qnod si aliquis de rebellibns nostris inveniretur in eis, ad quod omni stndio intendi volnmns et cantela, ipsnm cum omnibus rebus suis capi facias et diligenter custodiri. Significari preterea volumus nobis per licteras ordinati vel ordinatorum tnornm capti vel captornm nomina, modnm et circumstantias omnes aliorum extraneorum in vassellis delatorum, ut quod exinde fieri debeat nostra precipiat celsitudo. Nomina etiam ordinatorum per te ad hoc singillatim per licteras tnas majestati nostre sine mora significare cnrabis, etc.

Datnm Lucerie, XVI aprelis, XIII indictionis.

Digitized by Google

Luceriae, 16 aprilis.

Mandatum ad Thomasium de Brundusio ut res curiae et scripta jurium quae penes ipsum remanserunt, Alexandro, filio Henrici, in ejus locum substituto assignet.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; in edit. Carcan., p. 397.)

Item idem :

Fredericus, etc., Thomasio de Brundusio, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus victualia, vinum, oleum, sal, ferrum et res alias curie nostre nec non scripta jurium nostrorum, quorum exempla penes te retineas, que tam penes te quam penes officiales tuos remanserunt de tempore preterito quo tu et ipsi per te exercuerunt officia nostra, Alexandro filio Henrici substituto in locum tuum assignes et facias assignari, recipiens et recipi faciens ab eo exinde apodixam.

Datum Lucerie, XVI aprelis, XIII indictionis.

Scripsit idem Alexandro predicto quod recipiat.

Luceriae, 16 aprilis.

Mandatum aliud ad Angelum de Marra ut res curiae, quaterniones, instrumenta ad officium suum spectantia Riccardo de Pulcaro successori suo assignet.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; in edit. Carcan., p. 397.)

Item de eodem mandato scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus victualia, vinum, salem, ferrum, azarum et picem, quecumque residua sunt de tempore officii tui et res alias tue dudum custodie et procurationi commissas, quaterniones quoque curie nostre quos habes de demaniis nostris et revocatis, et instrumenta etiam de

Digitized by Google

venditionibus seu locationibus camerariatuum, bajulationum et aliorum officiorum anno presenti facta, preter pecuniam si quam habes quam te assignare volumus camere nostre, Riccardo de Polcaro fideli nostro assignes, recipiens ab eo exinde apodixam. Nos enim sibi dedimus in mandatis ut a primo preteriti mensis septembris hujus XIII indictionis ab officialibus in ipsis partibus per te statutis pro parte curie nostre recipiat rationem, et quia quedam de predictis rebus, nondum recepto mandato nostro, sibi ut asseris assignasti, celsitudini nostre placet.

Datum Lucerie, XVI aprelis, XIII indictionis.

Scripsit idem Riccardo predicto quod recipiat.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de expensis et necessariis dandis tappetario et tarrasiatoribus. Luceriae, 16 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; in edit. Carcan., p. 398.)

Item de imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus magistro Wiccardo tappetario pro se, uno equo et uno scuterio et duobus discipulis, magistro Johanni tarrasiatori pro se, uxore et uno scuterio, magistro Greco tarrasiatori pro se et uno servitore et Abdalla servo nostro tarrasiatori pro se tantum, expensas juxta assisam curie nostre de pecunia que est per manus tuas et cetera necessaria ad facienda servitia nostra, pro quibus expensas ipsas recipiunt, de cetero debeas exhibere; provisurus ut laborent continue et in eis aliquatenus non admictantur expense nec cogantur per te proinde per Apuliam laborare.

Datum Lucerie, XVI aprelis, XIII indictionis.

Luceriae, 16 aprilis.

Mandatum ad justitiarios terrae Bari et Basilicatae de salmis ordei apud Fogiam portandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; in edit. Carcan., p. 398.)

Item de imperiali mandato scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., L. de Franco justitiario terre Bari, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tuo qnatenus duo millia salmarum ordei de justitiariatu tuo portari facias per homines regionis apud Fogiam ad vendendnm, etc.

Datum Lucerie, XVI aprelis, XIII indictionis.

Item Thomasio filio Osmundi, justitiario Basilicate, similes de mille salmis ordei (1).

Celani Capitinatae, 17 aprilis.

Mandatum ad portulanos de pecunia ad cameram deportanda.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 99 verso; in edit. Carcan., p. 398.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vineis (sic) *scripsit Roggerius de Salerno :*

Fredericus, etc., Morico et sociis portnlanis Regularum, etc. Mandamus quatenus totam pecuniam quam habetis et habere poteritis in presenti, statim receptis hys licteris, vestrum aliquis portet ad cameram nostram omni mora et occasione remotis.

Datum Celani Capitinate, XVII aprelis, XIII indictionis.

Similes Leoni Bello et socio portulano Sancti Cataldi.

Similes Henrico Tenardo portulano Turris ad mare, ut mictat per fidum nuntium.

(1) Quod mandatum sexto decimo die aprilis ut praecedens, sed apud Celanum Capitinatae scriptum fuisse videtur.

Digitized by Google

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de expensis exhibendis nepoti regis Tunnisi et Perrono de Panormo ad ipsius servitium deputato. Celani Capitinatae, 17 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 100 recto; in edit. Carcan., p. 398.)

De imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Mandamus tibi quatenus Abdellasis nepoti regis Tunnisi qui apud Luceriam de mandato nostro moratur, pro se, tribus scuteriis et quatuor equis et Perrono de Panormo fideli nostro ad ipsius servitium deputato pro se, uno scuterio et duobus equis expensas juxta assisam curie nostre, donec in servitio ipso morabitur, de pecunia curie nostre que est per manus tuas debeas exhibere ad requisitionem ipsius Perroni, recepturus a dicto Perrono de predictis omnibus que dederis apodixam.

Datum Celani Capitinate, XVII aprilis, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Aprutii ut juxta mandatum Hectori de Montefusculo suo praedecessori factum, opus de formis lacus Fucini purgandis et aperiendis compleri faciat. Fogiae, 20 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 100 verso; in edit. Carcan., p. 398.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea per J. de Sancto Germano facte sunt littere :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Accedens ad presentiam nostram Theol., magister operis Lacus Fucini, fidelis noster, proposuit coram nobis quod cum dudum ad petitionem hominum contrate

Digitized by Google

mandaverimus Hectori de Montefusculo tunc justitiario Aprutii, fideli nostro, ut formas ipsius lacus que propter operis constructi malitiam et vetustatem erant pone ruinam, purgari et aperiri faceret, ut aque superflue Fucini que ipsum occupant inde labantur sicut antiquitus fieri consuevit, et idem justitiarius juxta formam mandati nostri ad executionem ipsius operis processisset, ita quod idem opus jam est pro majori parte perfectum, tu pro eo quod super hoc non recepisti a celsitudine nostra mandatum, ad executionem ipsius operis prout expedit non intendas. Volentes igitur ut felicibus temporibus nostris dictum opus non remaneat imperfectum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad perfectionem ipsius operis diligenter intendens, illud juxta formam quam prefatus Hector justitiarius super hoc de mandato celsitudinis nostre statuit, facias percompleri ad laudem et gloriam nominis nostri et profectum nostrorum fidelium et hominum regionis.

Datum Fogie, XX aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 20 aprilis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro pro companagio et solidis custodi castri Agropolis et personis cum eo statutis de proventibus Caputaquensis ecclesiae exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 100 verso; in edit. Carcan., p. 399.)

De eodem mandato per eumdem facte sunt littere :

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Exposuit majestati nostre Urso judex Capudaquensis fidelis noster quod cum per curiam nostram statutus sit custos castri nostri Agropoli et elapsis jam quatuor mensibus et ultra, pro se companagium et pro personis statutis ad custodiam ejusdem castri solidos et companagium non habuerit, castrum ipsum nisi super hoc ei provideatur commode custodire non potest. Volentes igitur ut in custodia dicti castri non habeatur defectus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus certificatus de tempore quo idem judex recepit solidos et companagium ab Angelo de Marra fideli nostro et de quantitate

personarum statutarum ibidem, solidos et companagium pro tempore preterito pro quo nichil enm tibi constiterit recepisse et in antea, ipsi judici de proventibus Capudaquensis ecclesie qui sunt per manus tuas, tribui facias pro personis statutis in dicto castro, sicut per prefatum A. de Marra recipere consuevit, et facias sibi de hys que receperis apodixam.

Datum Fogie, XX aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Criscium Amalfitanum ut ad opus curiae exigat pecuniam et victualia quae notarius Stabilis et quidam alii curiae solvere tenentur. Fogiae, 20 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 100 verso; In edit. Carcan., p. 399.)

Per manus ejusdem facte sunt littere :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano magistro camerario Aprutii, etc. Exposuit majestati nostre Thomasius de Acto fidelis noster quod notarius Stabilis et Accurribonus de Sancto Fabiano et quidam alii quibus diversa officia commiserat idem Thomasius, dum in Aprutio camerariatus officium exerceret, quamdam quantitatem pecunie et victualium quam solvere curie nostre tenentur, eidem T. pro eo quod amotus fuit ab officio, non solverunt. Quocirca fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis a prefato T. nominibus debitorum et pecunie ac victualium quantitate in quibus curie nostre tenentur, pecuniam et victualia quelibet quorum eos curie nostre inveneris debitores, ad opus curie nostre exigas, faciens sibi de hys que receperis apodixam.

Datum Fogie, XX aprilis, XIII indictionis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut omnia bona judicis Jacobi de Sancta Agatha ad opus curiae procurari faciat. Fogiae, 20 aprilis.

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 100 verso; in edit. Carcan., p. 399.)

Per manus Procopii de mandato magistri Petri de Vinea facte sunt lictere :

Fredericus, etc., Riccardo de Polcaro, etc. Diu est quod capi mandavimus bona omnia judicis Jacobi de Sancta Agatha et ad opus nostre curie procurari; quod quia factum non est, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus omnia bona ipsius judicis Jacobi facias diligenter ad opus nostre curie procurari.

Datum Fogie, XX aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 20 aprilis.

Mandatum ad Angelum de Marra ut pro cabella setae Calabriae ab ipso quibusdam vendita a recollectione pecuniae desistat, cum ejusdem cabellae exactio secreto Messanae fuerit commissa.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 100 verso; in edit. Carcan., p. 399.)

De mandato judicis Taddei scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Angelo de Marra, etc. Cum cabellam sete Calabrie tue procurationi commissam anno primo preterito XII indictionis vendideris, prout per te curie nostre innotuit, Johanni Spina, Leoni Pullino, Sergio de Bonito, Leoni Bonalma, Johanni de Argusio et Sergio de Carusso civibus Scale, fidelibus nostris, a kalendis mensis madii ejusdem XII indictionis usque ad kalendas mensis madii proximo futuri, sicut vendi hactenus consuevit; et juxta pactum per te sibi factum medietatem pecunie ipsius cabelle ultimo februarii primo preterito solvere debuerint et reliquam medietatem ultimo presentis mensis aprilis solvere teneantur, cum cabellam eamdem Majori de Plancatone doane de secretis et questorum magistro fideli nostro commiserimus procurandam, exactionem quoque ipsius cabelle temporis supradicti eidem duxerimus commictendam, fidelitati tue mandamus quatenus a recollectione ipsius pecunie debite a predictis pro eadem cabella sete pro tempore supradicto desistas, et si

Digitized by Google

quod de eo tempore exinde recepisti, eidem Majori ad opus curie nostre debeas assignare ut possit inde ponere plenariam rationem.

Datum Fogie, XX aprilis, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Basilicatae ut medietatem Terrae Gloriosae Alexandro, filio Henrici, assignet ad opus curiae procurandam. Fogiae, 20 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 recto; in edit. Carcan., p. 399.)

De imperiali mandato facto per magistrum T. de Suessa scripsit A. de Capua :

Fredericus, etc., Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate, etc. Fidelitati tue precipimus et mandamus quatenus medietatem Terre Gloriose quam ab Ansaysia et filio suo majore natu, exigentibus suis meritis, ad manus nostras per te dudum fecimus revocari, Alexandro filio Henrici fideli nostro sine more dispendio assignare procures per ipsum ad opus nostre curie procurandam.

Datum Fogie, XX aprelis, XIII indictionis.

Similes facte sunt Alexandro filio Henrici quod recipiat medietatem eamdem ad opus curie fideliter procurandam.

Mandata ad justitiarios Principatus et Terrae Laboris de septuaginta quinque inter pancerias et loricas regni ammirato assignandis. Fogiae, 22 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 recto; in edit. Carcan., p. 400.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fredericus, etc., justitiario Principatus, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris invenias per jurisdictionem tuam mutuo viginti quinque inter pancerias et loricas, et ipsas statim Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato fideli nostro pro nostris servitiis exequendis apud Barolum facias assignari.

Datum Fogie, XXII aprelis, XIII indictionis.

Eodem die de superiori mandato scripsit idem notarius ad justitiarium Terre Laboris similes licteras quod inveniat mutuo per jurisdictionem suam quinquaginta inter pancerias et loricas et ipsas assignet Nicolino Spinule ammirato.

Fogiae, 22 aprilis.

Mandata ad castellanum et compalatios Neapolis de lapideis imaginibus usque Luceriam mittendis et portandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 recto; in edit. Carcan., p. 400.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Camera scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Diupuldo Dragono castellano Neapolis, etc. Cum velimus ymagines lapideas in galeis delatas que sunt in castro Neapolis apud Luceriam instanti habere, ac mandemus compalatiis Neapolis ut ipsas a te requirant, recipiant et statim Luceriam mictant, firmiter mandamus quatenus dictas imagines incontinenti visis licteris eisdem compalatiis facias assignari.

Datum Fogie, XXII aprelis, XIII indictionis.

Item scripsit compalatiis ut requirant, recipiant, et inveniant homines qui eas salubriter super collum suum usque Luceriam portent, et eas per ipsos quam cito illuc mictant.

Eodem die ibidem de mandato magistri Petri de Vinea scripsit P. de Capua ad Boamundum Piscionum justitiarium Aprutii quod permictat H. illustrem regem Turrium et Gallure, sacri imperii in Italia legatum,

Digitized by Google

per nuntios suos libere de regno extrahere ducentos arietes hac vice tantum.

Mandatum ad justitiarium Calabriae de moderatis expensis nuntiis quos ad curiam destinaverit exhibendis. Fogiae, 22 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 verso; in edit. Carcan., p. 400.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., G. de Montefusculo justitiario Calabrie, etc. Licteras tuas, etc. Quod autem significasti te oportere quandoque ad curiam nostram nuntios et res etiam destinare, pro quibus te convenit expensas necessarias exhibere et inde nostrum requisivisti mandatum, placet nobis quod nuntiis quos necessario te mictere ad curiam nostram contingerit pro necessariis servitiis nostris cum licteris vel cum rebus, justas et moderatas expensas exhibeas, quas volumus in tuis rationibus computari. In hys tamen et aliis quantumcumque potes expensis curie nostre parcas ut in hoc tuam diligentiam commendemus.

Datum Fogie, XXII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad secretum Messanae ut magistrum Johannem de Renda et fidejussores ejus ad solvendas CLXX uncias auri pro cabella setae Calabriae praevia ratione compellat. Fogiae, 23 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 verso; in edit. Carcan., p. 400.)

De mandato magistri Petri de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Majori secreto [Messane], etc. Conquerente Angelo de Marra fideli nostro, nuper nostra serenitas intellexit quod cum magister

Digitized by Google

Johannes de Renda pro cabella sete Calabrie anni preteriti none indictionis, quam idem A. eidem magistro J. vendidit, teneatur solvere eidem A. pro parte curie nostre uncias auri CLXX ad generale pondus regni, positis sibi fidejussoribus, sicut in instrumento publico inde confecto et licteris Senatoris de Archis tunc justitiarii asserit contineri, predictus magister Johannes et fidejussores sui denegant sibi exinde respondere in nostre curie lesionem. Quare, etc., quatenus si tibi constiterit ita esse, tam ipsum magistrum J. quam fidejussores ipsos ad solutionem predicte pecunie, scilicet CLXX unciarum, prefato A. vel nuntio suo faciendam prout de jure tenentur et debent taliter previa ratione compellas ut justitia, etc.

Datum Fogie, XXII aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 24 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, pro moderatis expensis custodibus armentorum curiae exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 101 verso; in edit. Carcan., p. 400.)

De mandato imperiali facto per magistrum Riccardum de Trajecto scripsit Johannes Idronti :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tam pro campis quam pro jumentis, vaccis, ovibus et porcis curie nostre, ad requisitionem illorum qui ordinati sunt super cura ipsorum, expensas necessarias et utiles ac moderatas de pecunia curie nostre que est per manus tuas, facias exhiberi, recipiens ab eisdem de eo quod dederis apodixam.

Datum Fogie, XXIV aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 24 aprilis.

Mandata ad justitiarios Aprutii et Terrae Laboris ut juxta de-

nunciationes interclusas in quosdam infideles inquirant et ad poenam procedant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 101 verso; in edit. Carcan., p. 400 et 401.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Denunciationem nostro culmini presentatam fidelitati tue presentibus interclusam transmictimus, et similem in quaternionibus nostre curie mandavimus transcribendam, mandantes tibi ut super omnibus et singulis capitulis denuntiationis ipsius inquisitionem contra delatum facias diligentem per homines fide dignos, et si ea inveneris que denunciatio continet, procedas ad puniendum eum, juxta formam generalem mandati nostri quod de puniendis infidelibus nostris quos in preterita discordia inter nos et Ecclesiam proditionis vitium notabiles reddidit, serenitas nostra dudum indixit. Nichilominus tamen quod inveneris et feceris de predicto, celsitudini nostre significes seriatim.

Datum Fogie, XXIV aprelis, XIII indictionis.

Tenor denunciationis talis est :

Denuntiat Thomasius de Venafro quod Robbertus de Bacile, cum sit baro et pheudum habeat, contraxit matrimonium, ab imperiali curia licentia non obtenta. Item denuntiat quod prefatus Robbertus fuit proditor domini imperatoris, eo videlicet modo quod tempore turbationis duxit et conduxit papalem exercitum per Valvam et incastellavit se contra eumdem dominum imperatorem cum Corrado de Luccinaro (1) in castro Pectorani et Pacentri, et depredatus fuit terram domini imperatoris, et undecumque potuit gentem et terram suam offendere non cessavit. Item dum erat idem R. incastellatus in predicto castro Pectorani contra eumdem, interfecit quemdam vallectum domini Raonis de Aversa tunc justitiarii Aprutii, qui iverat ad homines dicti castri Pectorani ut redirent ad fidelitatem imperialem.

(1) Idem forsitan qui ad ann. 1229 inter familiares Raynaldi Spoleti ducis nominatur. Vid. supra, t. III, p. 145.

Digitized by Google

Eodem die de eodem mandato scripsit idem similes licteras per omnia R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii.

Tenor autem denunciationis talis est :

Denunciat imperiali excellentie Senebaldus de Fossaceca, fidelis et devotus noster, quod dudum (a) tempore papalis discordie mote contra dominum imperatorem, quidam baro de partibus supradictis nomine Arnaldus de Colle Alto reddidit se et juravit papali exercitui et fuit proditor domini imperatoris et hostiliter contratam et homines fideles domini imperatoris fuit depredatus. Quare petit, etc.

Fogiae, 24 aprilis.

Mandata ad justitiarium Terrae Laboris ut ducentos servientes pro tribus mensibus solidatos Riccardo de Pulcaro assignet, et ad Riccardum de Pulcaro ut eosdem ad partes Lunesanas pro custodia castrorum transmittat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 recto; In edit. Carcan., p. 401.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit A. de Capua :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris et comitatus Molisii, etc. Fidelitati tue precipimus et mandamus quatenus sicut per alias nostras licteras tibi dedimus in mandatis, ducentos servientes de justitiariatu tuo solidare debeas pro tribus mensibus de pecunia curie nostre que est per manus tuas, dando unicuique per mensem tarenos auri decem ad generale pondus regni, et ipsos cum summa festinantia Riccardo de Pulcaro fideli nostro facias assignari, per ipsum ad partes Lunesani pro custodia castrorum ipsarum partium transmictendos, ita quod in mora nullum possit periculum evenire.

Datum Fogie, XXIV aprelis, XIII indictionis.

(a) In impresso *dum*.

Digitized by Google

Item de eodem mandato:

Fredericus, etc., R. de Pulcaro, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamns quatenus ducentos servientes quos R. de Montenigro justitiarius Terre Laboris et comitatus Molisii fidelis noster tibi faciet assignari, sicut ei per nostras licteras destinamus, recipere debeas et eos ad Luuesanas partes pro custodia castrorum ipsarum partium cum summa festinantia cum expensis curie nostre, prout tibi per alias licteras nostras scripsimus, transmictere non postponas, ne in mora ipsorum possit, quod absit, aliquod malum evenire.

Datum [*ut supra*].

Litterae responsales ad portulanos Bari quod de victualibus per civitates et castra venditis jus constitutum exigant, sicut in portu ipsa victualia vendi posse noscuntur. Fogiae, 24 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 recto; in edit. Carcan., p. 401.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales :

Fredericus, etc., Leoni Bello et sociis portulanis Bari, etc. Per licteras vestras celsitudini nostre transmissas nobis innotuit quia pro eo quod victualia non venduntur in portu, scire pretium solutum pro ipsis non poteratis, sicut in mandatis a nostra celsitudine recepistis, et ideo ignoratis quid et quantum pro parte curie nostre ab eis exigere debeatis; propter quod a majestate nostra exinde iustrui supplicastis. Super quo sic vobis duximus respondendum quia de beneplacito nostro est quod de omnibus victualibus que per civitates et castra venduntur mercatoribus et non in portu et ad portum ipsum deferuntur, constitutum jus curie nostre exigere debeatis, sicut in eodem portu ipsa victualia valere et vendi posse noscuntur.

Datum Fogie, XXIV aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 26 aprilis.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut Petro Silvatico procuratori demaniorum et revocatorum Terrae Laboris stallerios et procuratores ad solutionem pecuniae curiae debitae compellere volenti auxilium praestet et favorem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 recto; in edit. Carcan., p. 402.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Riccardo de Montenigro [justitiario Terre Laboris], etc. Exponente nobis Petro Silvatico procuratore demaniorum et revocatorum Terre Laboris et comitatus Molisii, cive Capue, fideli nostro, nuper nostra serenitas intellexit quod nonnulli stallerii et procuratores per eum statuti per justitiariatum tuum inveniuntur nostre curie debitores et in solutione pecunie nobis debite difficiles et negligentes existunt. Nolentes igitur quod jura et pecunia curie nostre ab aliquibus debeant detineri, utpote nobis ad presens plurimum oportuna, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ipsi P. volenti compellere stallerios et procuratores suos, quoslibet in justitiariatu tuo, quos curie nostre tibi constiterit debitores et in solutione morosos, juxta requisitionem ejusdem P. fidelis nostri, ad solutionem jurium et pecunie curie nostre adjuves auxilio, consilio et favore, ut pecunia curie debita celeriter possit haberi. Equum est enim ut qui jura singulis fidelibus nostris servari mandamus, nostris juribus non privemur. Taliter, etc.

Datum Fogie, XXV aprilis, XIII indictionis.

Similes per omnia facte sunt Thomasio de Montenigro justitiario Principatus et Terre Beneventane, pro Jacobo judicis Leonis procuratore justitiariatus Principatus et Terre Beneventane.

Digitized by Google

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de pecunia Guidoni de Guasto provisori castrorum in Capitinata, Basilicata, terra Bari et Idronti tribuenda pro munitione castrorum ipsorum. Fogiae, 25 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 verso; in edit. Carcan., p. 402.)

De mandato facto per magistrum T. de Suessa scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Cum Guidonem de Guasto fidelem nostrum provisorem castrorum nostrorum in Capitinata, Basilicata, Terra Bari et Terra Idronti dudum duxerimus statnendum, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem G. de pecunia curie nostre que est per manus tuas, pro munitione castrorum ipsorum, solidis, companagio et ceteris oportunis, ad ipsius requisitionem pecuniam tribuas sine difficultate et mora, secundum quod in statutis singulorum castrorum ipsorum quantitas solidorum et companagii videbitur contineri; ita quod idem G. servitium nostrum sibi commissum sine defectu quolibet exeqnatur. De hys vero que dederis, ab eodem recipias apodixam.

Datum Fogie, XXV aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de quinquaginta cantariis picis Jacobo Cacapice assignandis. Fogiae, 25 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 verso; in edit. Carcan., p. 402.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Fidelitati tne precipiendo mandamus quatenus Jacobo Cacapice statuto per Nicolinum Spinulam

Digitized by Google

ammiratum fidelem nostrum super galeis nostris apud Neapolim, pro galeis ipsis de pice curie nostre L cantaria debeas assignare.

Datum Fogie, XXV aprelis, XIII indictionis.

Foggiae, 25 aprilis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de faciendis apud Neapolim duabus logiis et trabecta una ad servitium marescallae, et de duodecim sellis ad mulos miltendis ad curiam.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 verso; in edit. Carcan., p. 402.)

Scripsit idem notarius de mandato facto per magistrum Albertum et dominum R. de Trentenaria :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus fieri facias apud Neapolim duas logias pro equis marescalle nostre et unam trabectam pro camera ejusdem marescalle, sicut lator presentium Armannus marescalle nostre vallectus, fidelis noster, quem ad hoc specialiter mictimus, de magnitudine et factione earum tibi duxerit designandum, curaturus actente ut eas cito fieri facias cum sint curie nostre purimum oportune. Mandamus tibi preterea ut fieri facias apud Neapolim XII sellas ad mulos cum bazis retro pro deferendis trussis, incoriatas ad duo coria, sine picturis, bene guarnitas de bono coramine cordoane et de fortibus contracingulis, prout predictus Armannus tibi duxerit designandum; que predicta postquam facta fuerint, ad curiam nostram mictas.

Datum Fogie, XXV aprelis, XIII indictionis.

Fogiae, 25 aprilis.

Fridericus, Romanorum imperator, regi Angliae scribit de clade nuper in partibus transmarinis a crucesignatis accepta, memorans quam pauci suae apud eos suasiones ob contrarium

Digitized by Google

summi pontificis motum profecerint; promittitque se in subsidium Terrae Sanctae quidquid rerum praesentium tempestas permiserit, conversurum esse.

(Edit. ap. MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.* ad ann. 1240, p. 359. Ex contextu tamen potius ad regem Francorum vel ad Franciae optimates epistolam directam fuisse crederemus.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, Henrico illustri regi Anglie dilecto sororio suo salutem et sincere dilectionis affectum. Communem casum et miserabilem christianitatis eventum in clade quorumdam nobilium crucesignatorum exercitus nuper collapsorum in partibus transmarinis (1) inopinata mobilitate fatorum, tanto affectius intimo dolore deflemus et merita lamentatione prosequimur, quanto de ipsorum periculis ante transitum formidantes quadam fuimus meditatione presagi, et per rerum ac temporum conjecturas, integro adhuc eorum statu durante, presentem casum anxii verebamur. Sed nec serenitatem regiam credimus latuisse qualiter nos versutias Saracenorum in partibus ipsis presentes experti, volentes sollicita providentia futuris occurrere ne rerum insciis et votum suum sine deliberatione sequentibus sinistrum aliquid fortuna pararet, per frequentes litteras nostras et solemnes nuncios nostros crucesignatorum omnium primos ac deinde universitatem eorum fecimus exhortari ut differrent tempus ad transitum, cujus nacta commoditate vel nos ipsi personaliter in comitatum et ducatum accingeremur ipsorum, vel filium nostrum cum eis expedire[mus] accinctum presidio, quam primum arduum imperii negotium quod in Italia nos urgebat aliquatenus sedaremus. Nec enim aliis commode poteramus curis involvi, nisi negotiis prius expediremur assumptis, ut alterutro liberi facilius alterum tractaremus. Et quanquam crucesignati omnes et singuli salubribus monitis et consi-

(1) Alluditur cladi quam comites Barri et Montisfortis caeterique crucesignati anno praecedente die 13 novembris inter Gazam et Ascalonem acceperant. Cf. NANGIUM, *De gest. S. Ludov. reg.*, ad ann. 1239; MATT. PARIS., *Hist. maj. Angl.*, p. 358.

Digitized by Google

liis nostris accederent, intentioni nostre que nihil simulate conceperat inherentes, presens Romanus pontifex nostri sermonis et operis malignus interpres, quasi discrimen nostre religionis et catholice fidei in dilatione commodi temporis ageretur, crebris monitis, mandatis et minis crucesignatos ad transitum cepit impellere, alligans aliis juxta Sacre Scripture verbum onera gravia que digito suo movere recusat. Quod cum ad nostram notitiam pervenisset, eumdem antistitem multoties iterata prece rogavimus ne tantum opus quod deliberationem consilii, opportunitatem temporis et grandem apparatum rerum et hominum exigebat, volubilitati et precipitio fortune committeret, nec servitium Jesu Christi et Terre Sancte subsidium quod nostrum et tantorum animos virorum accenderat, improvida celeritate confunderet, attendens et recolens reparationem tanti discriminis facilem non esse post lapsum; demum promissionem subventionis nostre tanto negotio competentis non in vanum assumeret, qui servitium Jesu Christi et regni Hierosolymitani presidium nobis ex filii nostri presentia subjecti totis viribus prosequi sperabamus; illud precipue repetentes quod ex preteritis preliis per multas vicissitudines immensa sanguinis crucesignatorum effusio circa hec fere nihil profecisset aut modicum, eo quod sepius obstitit rerum defectus et hominum et aliquando ductor potens et providus multitudini defuit, dum non posset ex diversitate ductorum vel unius ignavia principis aut tractari commoditas plurium aut insolentia coerceri; unde salubri consilio ad commodiora tempora reservato, et negotio consuleret et personis ut per copiosissimum apparatum [et] necessarium ex unius strenua persona multitudini regimen, christiana religio simul et semel et ad votum devote procederet et secura confideret de triumpho. Sed iste Romanus antistes hec omnia parvipendens ut in odium nostrum universa cogeret ad ruinam, crucesignatis acrius institit ut transirent, non attendens quod christianorum reliquie de partibus transmarinis que cum hostibus salutifere crucis treugarum nostrarum federe quiescebant, ex motu crucesignatorum violato federe poterant gladii periculis et famis exponi, cum non posset eis de subventione celeri subveniri ac provideri. Tandem intellecto quod, idem papa crucesignatis eisdem de transitu litteras terribiliter

Digitized by Google

iteraret, scripsimus eis ut per regnum nostrum ad transitum properarent et quod parati eramus quibuscumque possemus eis hilari munificentia subvenire : quorum aliqui per regnum nostrum Sicilie transfretarunt, alii pro parte majori transitum sibi per Marsiliam elegerunt. Nunc itaque quod de tot millibus militum pro servitio Terre Sancte manus communium hostium triumphavit, etsi in clade ipsorum et mediatoris hominum Christi Jesu et totius christianitatis ignominiam doleamus, eo potius damna passis conscientia teste compatimur quanto de amissione tam strenue militie Gallicana provincia pre ceteris damnum gravius est perpessa. Carere tamen excellentia nostra non patitur damna remediis et consolatione dolores. Nos enim in subsidium Terre Sancte quicquid imperialis eminentia poterit et quatenus tempestas presentium rerum et temporum, inconsulto Romani pontificis calore suborta, permittit, hilari munificentia conferemus; et credimus quod si superviveret soldanus Babylonie, quondam pater istius soldani viventis, ex affectione quam ostendebat ad majestatis nostre personam, de nobilibus militibus captivatis in bello satisfaceret votis nostris. Nihilominus tamen apud istum soldanum superstitem pro liberatione ipsorum nobilium captivorum precipuam opem et operam apponemus (1). Ceterum quicquid Willelmus de Compesa miles et fidelis noster, quem ad vos pro servitiis nostris nuntium destinamus, vobis omnibus ex parte nostra proponet, indubitanter credatis.

Datum Fogie, vigesimo quinto aprilis, indictionis decime tertie.

Mandatum ad castellanum Marturani ut vice captivi quem custodiebat defuncti, Abbatinum de Melignano custodiendum recipiat. Fogiae, 27 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 102 verso; in edit. Carcan., p. 402.)

(1) Cf. MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.*, p. 358.

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Anselmo de Ponte Tremnlo castellano Marturani, etc. Qnia captivus ille qnem custodiebas mortuus est, sicut pro certo nostra serenitas intellexit, mandamus tibi quatenns Abbatinum de Melignano captivum, qui fuit sub cnstodia comitisse Coriliani, custodiendum recipias, et jnxta formam tibi datam pro alio, ipsum diligenter debeas custodire.

Datnm Fogie, XXVII aprilis, XIII indictionis.

Apud Ortam, 27 aprilis. Mandata ad justitiarios regni ut in eorum jurisdictione milites strenuos et bene armatos praeparari faciant, qui die octavo proximi mensis junii in conspectu principis se praesentent.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 recto; in edit. Carcan., p. 403.)

De mandato domini imperatoris facto per magistros Petrum de Vinea, T. de Suessâ et R. de Trajecto scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., R. de Amicis justitiario ultra flumen Salsum, etc. Quia de militibus regni nostri pro imminentibus negotiis volnmus habere nobiscnm, mandamns qnatenus statim visis hys licteris in jnrisdictione tna XV milites strenuos et electos facias preparari, qui VIIII die proximo fntnri mensis junii hujus XIII indictionis apud Capuam bene muniti equis, armis, copertis ferreis et aliis oportunis nostro conspectui se presentent XV.

Datnm apud Ortam, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Similes G. de Anglono justitiario citra flnmen Salsnm pro militibns LX.

Goffrido de Montefnsculo justitiario Calabrie pro militibus X, preter ferreas copertas.

Ptolomeo de Castellione justitiario Vallis Gratis pro militibus XXV, preter ferreas copertas.

Digitized by Google

Thomasio filio Osmundi justitiario Basilicate pro militibus XL, preter, etc.

Andree de Aquaviva justitiario Terre Idronti pro militibus XXX, preter, etc.

Landulfo de Franco justitiario Terre Bari pro militibus VI, preter, etc.

Riccardo de Montefusculo justitiario Capitinate pro militibus V, preter, etc.

Riccardo de Montenigro justitiario Terre Laboris pro militibus LX, preter, etc.

Mandatum ad secretum Messanae ut de proventibus Reginae ecclesiae solidos et alia necessaria castro Bovis faciat ministrari. Apud Ortam, 27 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 recto; in edit. Carcan., p. 403.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto Messane, etc. Significavit excellentie nostre Roggerius de Larzone castellanus castri Bovis, fidelis noster, quod cum pro munitione ejusdem castri Bovis consueverit de proventibus Regine ecclesie solidos et alia necessaria ministrari, juxta statutum factum olim a quondam Mattheo Marchafaba secreto predecessore tuo, et ea usque ad obitum dicti quondam secreti receperit, a mense septembris infra nichil habere potuit de predictis, occasione videlicet quod predictam Reginam ecclesiam mandavimus per nostram curiam procurari. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus si tibi constiterit de premissis, facias de proventibus dicte ecclesie sicut hactenus consuevit in predicto castro solidos et alia necessaria ministrari, prout a predicto quondam secreto statutum inveneris, et tu etiam magis videris utilitati nostre curie expedire.

Datum apud Ortam, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Digitized by Google

VI madii renovate sunt ad Johannem de Cioffo magistrum camerarium, quia secretus amotus fuit (a).

Apud Ortam, 27 aprilis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de ferris mulorum et roncinorum et clavis faciendis, et Petro manescalco mulorum camerae assignandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 recto; in edit. Carcan., p. 403.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Camera scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Alexandro filio Henrici, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Petri manescalci mulorum camere nostre mille et quadringentos ferros de mulis cum clavis eorum et sexcentos ferros de roncinis similiter cum clavis eorum et preter eos alia quatuor millia de clavis fieri facias, et tam ferrum quam clavos ipsos omnes eidem Petro debeas assignare.

Datum apud Ortam, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Apud Ortam, 27 aprilis.

Mandatum quod expensae factae pro octo equis curiae infirmis apud justitiarium Aprutii dimissis, in rationibus justitiarii ejusdem computentur.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 recto; in edit. Carcan., p. 403.)

De mandato magistri Alberti scripsit idem :

Fredericus, etc., B. Pisciono justitiario Aprutii, etc. Cum in transitu nostro per justitiariatum Aprutii octo equos curie nostre apud te Rao de

(a) Haec adduntur ex margine. Desunt vero hae litterae in fragmento quod superest.

Trentanaria, fidelis noster, dimisisset infirmos, pro quibus oportuit facere te expensas de pecunia curie nostre que est per manus tuas; volumus et mandamus ut necessarie et moderate expense per te facte pro equis ipsis in rationibus tuis ratiocinii tempore debeant computari.

Datum apud Ortam, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad castellanum Melfiae pro liberatione Othmen Saraceni de Luceria. 27 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 recto; in edit. Carcan., p. 403.)

De imperiali mandato facto per R. de Montefusculo justitiarium Capitinate scripsit Laurentius Lucasino castellano Melfie quod liberet Othmen Saracenum de Luceria ad requisitionem dicti justitiarii, quia promisit curie in manus ejusdem pro liberatione uncias L. Super quo scripsit idem (*a*) licteras dicto Lucasino, que sunt in quaterno generali scripte XXVII aprilis XIII indictionis (1).

Mandatum ad castellanum Baroli quod Jordanum obsidem Paduae in castro Baroli custodiat, a domo Angeli de Marra et patris ejus expensas pro victu et vestitu ejusdem Jordani recepturus. Ortae, 27 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 verso; in edit. Carcan., p. 403.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit Laurentius :

(*a*) Verisimiliter subaudiendum *justitiarius*.

(1) Nunc iterum atque iterum argumentum affertur unde pateat magnum aliud regestum curiae affuisse, cujus hocce quasi compendium fonte deperdito supersit.

Digitized by Google

Fredericus, etc., Alferio castellano Baroli fideli suo, etc. Supplicavit excellentie nostre Angelus de Marra fidelis noster quod cum sibi et patri suo datus fuerit ad custodiam Jordanus obses Padue, quia idem Angelus interdum pro servitiis nostris in civitate Baroli non est presens et pater suus senectute gravatur, propter quod non possit eum in civitate et in domo sua secure sicut expedit custodire, nos eumdem Jordanum in castro Baroli custodiri cum expensis eorum de nostra gratia mandaremus. Nos igitur precipiendo mandamus quatenus dictum Jordanum in castro nostro Baroli recipias et custodias diligenter, a domo dictorum Angeli et patris sui expensas pro victu et vestitu ejusdem Jordani obsidis recepturus.

Datum Orte, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Ortae, 27 aprilis.

Mandatum ad Johannem de Panormo quod omni mora cessante ad praesentiam principis veniat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 verso; in edit. Carcan., p. 404.)

De mandato imperiali facto per notarium R. de Sugio scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., magistro Johanni de Panormo, etc. Fidelitati tue districte precipiendo mandamus quatenus visis hys licteris, omni mora et occasione cessante, ad nos per mare te conferas festinanter, cavens ne inde aliud facias. Te enim volumus pro quibusdam nostris servitiis destinare, et ecce quod mictimus tibi barcettam in qua propere venire valeas.

Datum Orte, XXVII aprelis, XIII indictionis.

Item scrips it . de Capua Vitali de Aversa quod veniat.

XXVIII aprelis in Orta de mandato imperiali facto per magistrum Roggerium de Camera scripsit P. de Capua ad Majorem Plancatonem secretum Messane quod visis licteris fieri faciat sexaginta tappeta pro leopardis et triginta pro arnesio et facta mictat ad cameram.

Digitized by Google

Mandatum ad justitiarium Vallis Gratis ut feudum quod nepos quondam Alexandri de Policoro sine licentia principis temere cepit et detinet, ad manus curiae revocare studeat. Ortae, 28 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 verso; in edit. Carcan., p. 404.)

De mandato imperiali facto per judicem T. de Suessa scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericus, etc., Tholomeo de Castellione justitiario vallis Gratis, etc. Innotuit curie nostre quod cum omnia bona quondam Alexandri de Policoro qui fuerat justitiarius et decesserat, non posita de predicto officio ratione, ad opus fisci nostri capta fuissent et nostro nomine procurata, Thomasins For. Mur. (*sic*) nepos ejus quoddam feudum quod dictus A. habuerat in Genitocastro et curia nostra capi fecerat cum aliis bonis ejus, sine mandato et licentia nostra temere cepit et detinet ad commodum proprium, in nostre curie lesionem, nulla similiter de predicto justitiariatus officio ratione posita pro eodem. Quare fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus inspecta super hys omnibus diligentius veritate, si rem inveneris ita esse sicut superius est expressum, feudum predictum cum fructibus inde perceptis ad manus curie nostre sicut antea fuerat, studeas revocare, ut curia nostra super hoc servetur illesa et tuam exinde, etc.

Datum Orte, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Quas licteras portavit Bartholoctus de Genitocastro (*a*).

Quod cum predictus justitiarius non fuerit assecutus, renovate sunt ad G. de Montefusculo (*b*), de mandato facto per notarium Riccardum, VII madii, XIV indictionis, apud Faventiam.

(*a*) Haec supplentur e margine.
(*b*) Tunc temporis justitiarius Vallis Gratis, ut videtur.

Digitized by Google

Ortae, 28 aprilis.

Mandatum ad magistrum camerarium Aprutii de victualibus et aliis necessariis Johanni de Raymo provisori castrorum in his partibus exhibendis pro munitione castrorum eorumdem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 103 verso; in edit. Carcan., p. 404.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Criscio Amalfitano magistro camerario Aprutii, etc. De sexaginta et sex unciis auri quas te assignasse significasti ad pondus generale Johanni de Raymo provisori castrorum nostrorum in partibus ipsis pro munitione castrorum ipsorum, si assignasti eas excellentie nostre placet. Mandamus etiam et precipimus fidelitati tue quatenus eidem Johanni pro eorumdem castrorum nostrorum munitione pecuniam necessariam ad requisitionem suam de pecunia curie nostre que est per manus tuas, victualia quoque et alia necessaria debeas exhibere, recepturus ab eo de hys que sibi dederis apodixam.

Datum Orte, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Ortae, 28 aprilis.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de dandis expensis Guillelmo Laurentii de Suessa provisori castrorum in partibus Terrae Laboris et Principatus, et de necessariis exhibendis pro munitione castrorum earumdem partium.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 recto; in edit. Carcan., p. 404.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Dudum Laurentium (a) de Suessa fidelem nostrum provisorem castrorum nostrorum in partibus Terre Laboris et Principatus constituentes, scripsimus Stephano de Romoaldo de Baro qui statutus erat collector pecunie curie nostre in partibus ipsis ut eidem Guillelmo pro solidis personarum statutarum in castris ipsis pecuniam necessariam exhibeat, et pro expensis suis, videlicet pro se, tribus hominibus et quatuor equis, dum in eodem servitio nostro esset, exhibeat expensas. Verum cum predictus Stephanus ab eodem officio sit amotus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem Guillelmo pro se, tribus hominibus et quatuor equis juxta assisam curie nostre dum in eodem servitio nostro fuerit, pro tempore quo expensas ipsas tibi non recepisse constiterit, debeas exhibere. Mandamus etiam ut pro munitione castrorum nostrorum partium predictarum pecuniam per solidos, vinum et victualia per vidandas, et alia oportuna eidem Guillelmo ad requisitionem ipsius facias sine defectu quolibet exhiberi, recepturus de omnibus que sibi dederis apodixam.

Datum Orte, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Mandata ad secretum Messanae ut mittat Johannem de Dracone captivum usque Maltam, et ad Paulinum de Malta pro eodem. Ortae, 28 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 recto; in edit. Carcan., p. 405.)

De mandato Raonis de Trentanaria scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus Johannem de Dracone qui captivus detinetur in marescalla nostra, receptis hys licteris, fideliter et diligenter duci facias usque Maltam, Paulino de Malta fideli nostro assignandum ut custodiatur ibidem, dans eidem Johanni expensas necessarias per terram

(a) Scilicet *Guillelmum, filium Laurentii*. Vid. supra, p. 413.

Digitized by Google

quousque perveniat Eracliam et deinde per mare nsque Maltam, de proventibus curie nostre qui sunt per manns tuas; tale super hoc, etc.

Datum Orte, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Paulino de Malta, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenns Johannem de Dracono quem dictus (*sic*) Major de Plancatone secretus Messane fidelis noster de mandato culminis nostri tibi faciet assignari, positis sibi compedibus ferreis ut de ipsius fnga dubitari non possit, diligenter apud Maltam facias cnstodiri, dando sibi necessaria sicut captivo videris expedire. Tale, etc.

Datum Orte, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Coronatae, 28 aprilis.

Litterae responsales et mandata ad Robbertum de Castellione et ad justitiarium Aprutii de blida cum apparatu suo usque ad obsidionem Roccae Alberici deportanda et de pecunia, armis et quibuslibet necessariis pro impugnatione dictae Roccae exhibendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 recto; in edit. Carcan., p. 405.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Laurentius :

Fredericns, etc., Robberto de Castellione, etc. Licteras, etc. Snper eo autem quod castellanus Introduci blidam cnm apparatu suo qnem habet tibi non exhibet pro nostris servitiis exequendis, ecce quod eidem castellano mandamns per licteras speciales ut blidam ipsam tibi ad reqnisitionem tnam cum omni ejus apparatn assignet, et precipimus justitiario Aprutii ut ipsam usqne ad obsidionem Rocce Alberici ubi tu es faciat deportari ac omnia necessaria pro apparatu ejus et jactn tibi ad requisitionem tuam debeat exhibere. Mandamns etiam dicto justitiario ut pecnniam, arma et omnia necessaria pro exercitu nostro qui ibi est

Digitized by Google

et pro impugnatione dicte Rocce tibi exhibeat, omni mora et occasione remotis.

Datum Coronate (1), XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Item scripsit Jacobo de Castromaris [castellano Introduci] ut blidam assignet nuntio dicti Robberti.

Item scripsit :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Mirari non immerito cogimur et moveri quod cum pro impugnatione Rocce Alberici super qua Robbertum de Castellione fidelem nostrum de nostra curia misimus, mandavimus te ad requisitionem ejusdem de pecunia curie nostre que est per manus tuas necessaria quelibet exhibere, tu lapsum oportuni temporis et negotii ejusdem periculum non attendens, quasi subterfugis frivolis occasionibus utens, mandatum et servitium nostrum debita celeritate complere [distulisti]. Propter quod fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem Robberto ad requisitionem ejusdem pecuniam, arma et necessaria quelibet pro impugnatione dicte Rocce statim visis hys licteris debeas exhibere, et quia volumus ut blida que est in castro Introduci debeat deferri usque ad Roccam predictam, mandamus tibi ut ipsam blidam illuc ad requisitionem dicti R. deferri facias et necessaria quelibet pro apparatu et jactu ipsius blide sufficienter ut expedit ministrari.

Datum [*ut supra*].

Mandatum ad justitiarium Capitinatae ut armaturas ferri quotquot potest ammirato regni assignari faciat. Coronatae, 28 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 verso; in edit. Carcan., p. 405.)

De superiori mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Laurentius :

(1) Cum pagina codicis in suo exhibeat titulo : *Apreli in Orta et Coronata*, constat imperatorem eodem die in his duobus locis moratum fuisse; unde haec duo ultima mandata Coronatae potius quam Ortae data arbitrati sumus.

Fredericus, etc., R. de Montefusculo justitiario Capitinate, etc. Mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus ad requisitionem Nicolini Spinule regni Sicilie ammirati fidelis nostri quotquot potes armaturas ferri de hys quas habes et sunt curie nostre, sibi pro nostris servitiis exequendis facias sine more dispendio apud Barolum assignari.

Datum Coronate, XXVIII (a) aprelis, XIII indictionis.

Coronatae, 28 aprilis. Mandatum ad custodem portus Turris ad Mare quod fideles regni victualia et animalia pro sustentatione domorum suarum de portu ipso infra regnum deferentes, super quinta parte indebite non requirat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 verso; in edit. Carcan., p. 405.)

Item :

Fredericus, etc., Henrico Tenardo de Brundusio, custodi portus Turris ad Mare, etc. Ex querela nostrorum fidelium de regno ad audientiam majestatis nostre pervenit quod ab eis de victualibus que emunt pro suarum sustentatione domorum, pro eo quod per mare ipsa extrahunt et deferunt de portu Turris ad Mare, exigis et recipis ad opus nostre curie quintam partem, inherendo licteris nostris per quas officium ipsum tibi commisimus; in quibus continetur expresse quod tam ab incolis regni quam exteris permictas victualia et animalia licita de portu extrahi deferenda quocumque voluerint *et cetera*, inde sumendo quod non diximus extra regnum. Cum igitur intentionis nostre sit et fuerit ut quinta pars juxta formam priorum licterarum nostrarum recipiatur tam ab incolis quam exteris qui predicta extra regnum deferunt, maxime ad vendendum, mandamus quatenus dictos fideles nostros de regno cum victualia et animalia licita maxime pro sustentatione domorum suarum emere et extrahere de portu ipso deferenda infra regnum tibi constiterit, super quinta

(a) In impresso, sed perperam *XXVII*.

Digitized by Google

parte indebite non requiras, sed soluto jure nostre curie hactenus consueto, ipsos abire permictas; si quos etiam occasione ipsa impedis, dicto jure soluto debeas expedire.

Datum Coronate, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Principatus super revocandis bonis alienatis de dotario Contissae uxoris quondam Raonis comitis de Balbano, quum ad curiam pleno jure pertineat. Coronatae, 28 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 verso; in edit. Carcan., p. 406.)

De imperiali mandato facto per eumdem [*P. de Vinea*] *scripsit P. de Capua :*

Fredericus, etc., T. de Montenigro justitiario Principatus, etc. Intellexit serenitas nostra quod de dotario Contisse fidelis nostre, uxoris quondam Raonis comitis de Balbano, cui nos successores fuimus in omnibus bonis suis, constituto eidem Contisse a prefato quondam comite viro suo, multa alienata sunt, occupata illicite ac distracta in prejudicium curie nostre et non modicam lesionem, cum dodarium ipsum ad curiam nostram pleno jure pertineat, licet eadem Contissa in vita sua usufructuaria sit ejusdem. Nolentes igitur curie nostre jura ab aliquibus per injuriam detineri, mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus de dodario supradicto tanquam de aliis bonis demanii nostri inquisitionem studeas facere diligentem, et ea facta omnia que per ipsam alienata inveneris, occupata illicite vel distracta, ad jus et proprietatem predicti dodarii revocare et prefate Contisse assignare procures, post ejus obitum ad nostram curiam devolvenda.

Datum Coronate, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad bajulos Ariani quod recipiant stallonem curiae a Johanne de Donno Marino et eum diligenter custodiant. Coronatae, 28 aprilis

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 104 verso; in edit. Carcan., p. 406.)

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., bajulis Ariani, etc. Significavit excellentie nostre Johannes de Donno Marino fidelis noster quod cum ipse duceret ad curiam nostram quemdam equum stallonem curie nostre et cum eo apud Arianum perveniens ultra ducere non posset eum quia infirmabatur, ipsum dimisit ibidem. Quare fidelitati vestre mandamus quatenus stallonem eumdem a prefato Johanne recipientes faciatis ipsum diligenter custodiri quousque sanus fuerit et sanum ad nostram curiam transmictatis, facientes memorato Johanni exinde apodixam.

Datum Coronate, XXVIII aprelis, XIII indictionis.

Scriptum est eidem Johanni quod assignet bajulis ipsis stallonem predictum et recipiat ab eis exinde apodixam.

Coronatae, 29 aprilis.

Mandata ad justitiarios regni ut milites strenuos et bene armatos in praefixo termino ad praesentiam principis mittant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 105 recto; in edit. Carcan., p. 406.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fredericus, etc., Roggerio de Amicis justitiario Sicilie ultra flumen Salsum, etc. Sicut per alias licteras nostras tibi recolimus mandavisse (1), sic iterato fidelitati tue districte precipiendo mandamus quatenus quindecim milites de jurisdictione tua strenuos et electos, armis, equis, copertis ferreis et ceteris oportunis decenter munitos ad presentiam nostram cum omni celeritate mictas; ita quod in prefixo tibi termino apud Capuam se coram nobis presentent; solvens cuilibet eorum pro solidis duorum mensium uncias auri decem ad pondus curie de pecunia presentis gene-

---

(1) Vid. supra, 27 aprilis, p. 924.

Digitized by Google

ralis collecte; et significes nobis per licteras tuas quando dicti milites iter arripient veniendi.

Datum Coronate, XXIX aprelis, XIII indictionis.

Similes lictere per omnia facte sunt Guillelmo de Anglone justitiario Sicilie citra flumen Salsum pro militibus sexaginta.

Similes lictere facte sunt justitiario Calabrie pro militibus decem, preter copertas ferreas.

Similes facte sunt justitiario Vallis Gratis et Terre Jordane pro militibus viginti quinque, preter, etc.

Similes facte sunt justitiario Basilicate pro militibus quadraginta, preter, etc.

Similes justitiario Terre Idronti pro militibus triginta, preter, etc.

Similes justitiario Terre Bari pro militibus sex, preter, etc.

Similes justitiario Capitinate pro militibus quinque, preter, etc.

Similes justitiario Aprutii pro militibus. . . . ., preter, etc. (a).

Similes justitiario Terre Laboris pro militibus sexaginta, preter, etc.

Mandatum ad provisorem castrorum in Sicilia citra flumen Salsum de necessariis dandis pro munitione castri Carsiliati. Coronatae, 29 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 105 recto; in edit. Carcan., p. 407.)

De imperiali mandato facto per magistrum Taddeum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Johanni Bulcano provisori castrorum in Sicilia citra flumen Salsum, etc. Significavit excellentie nostre Jacobus de Lentino fidelis noster quod pro munitione castri nostri Carsiliati quod est custodie sue commissum, necessaria juxta statutum castri quod habet habere non potest. Quare mandamus quatenus si est ita, juxta statutum castri quod habet, eidem pro personis in castro ipso statutis necessaria debeas exhi-

(a) Deest istud in prioribus mandatis.

Digitized by Google

bere, ut pro necessariorum defectu castrum ipsum non remaneat immunitum.

Datum Coronate, XXIX aprelis, XIII indictionis.

X madii hujus XIII indictionis emendate sunt, et scriptum est Oberto Fallamonacho secreto per totam Siciliam [de] verbo ad verbum.

Coronatae, 30 aprilis.

Mandatum ad secretum Messanae pro dandis expensis et indumentis Bonaventurae statuto ad custodiam camerae Lentini.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 105 recto; in edit. Carcan., p. 407.)

De imperiali mandato facto per dominum Johannem Morum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone secreto, etc. Mandamus quatenus Bonaventure statuto ad custodiam camere nostre Lentini pro se, uno equo et uno serviente camere nostre qui est cum eo, expensas a tempore quo eum non recepisse tibi constiterit, prout recipiebat a Mattheo Marchafaba predecessore tuo et de cetero, ac indumenta decentia pro eisdem sicut expedit debeas exhibere.

Datum Coronate, XXIX aprelis, XIII indictionis.

Coronatae, 29 aprilis.

Mandata ad Riccardum de Molisio et Johannem de Landolino de pullis equinis, engastis et mulis Fogiam mittendis et de jumentis custodiendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 105 verso; in edit. Carcan., p. 407.)

De mandato domini R. de Trentenaria scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc. Riccardo de Molisio, etc. (*a*). Fidelitati tue precipiendo

(*a*) In impresso *Riccardo de Pulcaro*, male, quum infra in mandato Joh. de Landolino directo legatur *Riccardo de Molisio*.

Digitized by Google

mandamus quatenus omnes pullos equinos qui projecerunt octo dentes vel projicere debent presenti estate, qui sunt sub custodia tua et Johannis de Landolino fidelis nostri cui (b) super hoc nostras licteras destinamus, visis licteris apud Fogiam mictas, et venias plene instructus, ut scias dicere quot stallones recepisti et quot ex eis mortui sunt et quo modo. Jumenta autem et cetera animalia que sunt sub custodia tua dimictas usque ad reditum tuum predicto Johanni de Landolino custodienda; expensas autem necessarias pro te, pullis et personis quas duces, requiras a Majore de Plancatone, etc., cui super hoc licteras mictimus speciales.

Datum Coronate, XXX aprelis, XIII indictionis.

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Johanni de Landolino, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus omnes pullos equinos, ingastos et mulos qui projecerunt octo dentes vel projicere debent hac estate, qui sunt sub custodia tua, Riccardo de Molisio fideli nostro debeas assignare ducendos apud Fogiam per eumdem; jumenta quoque et cetera animalia que dimictet idem Riccardus, usque ad reditum suum cum omni diligentia studeas custodire et instruas plene eum de stallonibus quos tu recepisti et quot ex eis mortui sunt et quo modo, ut et ipse per te instructus noscat nostro culmini reserare.

Datum [*ut supra*].

Scriptum est eidem secreto pro prefato Riccardo, pro se, pullis quos ducet et personis necessariis ad eos ducendos ac manescalco uno det expensas, sicut viderit expedire, et recipiat ab eo exinde apodixam.

Mandatum ad Petrum de Calabria de pullis equinis, engastis et mulis per Matthaeum de Cocciata ad curiam mittendis. Coronatae, 30 aprilis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 105 verso; in edit. Carcan., p. 407.)

(b) In impresso *tibi*, male.

Digitized by Google

De eodem mandato scripsit notarius P. de Capua :

Fredericus, etc., Petro de Calabria, etc. Licteras tuas quas per Johannem fratrem tuum fidelem nostrum nostro culmini destinasti, benigne serenitas nostra recepit, et earum continentia plenius intellecta, studium tuum quod habes in nostris servitiis commendamus. Fidelitati tue precipimus quatenus omnes pullos equinos, engastos et mulos qui sunt sub custodia tua et projecerunt octo dentes vel projecerint hac estate, per Mattheum de Cocciata fidelem nostrum ad curiam nostram mictas, requirens pro eis necessarias expensas a Majore de Plancatone, etc., cui super hoc nostras licteras destinamus.

Datum Coronate, XXX aprelis, XIII indictionis.

Scriptum est eidem secreto quod det necessarias expensas predicto Mattheo sicut viderit expedire.

Coronatae, 30 aprilis.

Litterae responsales ad secretum Panormi quod moderatae expensae quas fecit pro nuntiis ad curiam cum joettis, pannis et animalibus missis, in ejus rationibus computentur.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 105 verso; in edit. Carcan., p. 407.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia responsales :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Benigne recepimus licteras, etc. Quod autem significasti te dudum dedisse Johanni de Calatabilloto, Ade de Florentia, Henrico Clerico et Guidoni de Charufa nuntiis tuis, quos dudum misisti ad curiam nostram cum joettis et pannis apud Pisas et cum duobus equis, XV mulis et VI roncinis quos duxerunt de mandato nostro in Apuliam et assignaverunt eos Angelo de Marra fideli nostro apud Neapolim, pro expensis eorum, VII sclavorum curie nostre quos de mandato nostro misisti ad curiam nostram per eos, duorum scuteriorum, VII burdunariorum qui duxerunt mulos et equos predictos

Digitized by Google

et expensis eorumdem animalium, quamdam pecunie quantitatem, et proinde nostrum requisivisti mandatum, placet nobis ut juste et moderate expense que facte fuerunt in predictis servitiis nostris, in tuis debeant rationibus computari.

Datum Coronate, ultimo aprelis, XIII indictionis.

Mandatum ad Alexandrum, filium Henrici, de expensis solitis Johanni Parisio custodi domorum curiae apud Joham exhibendis. Ortae, 1° madii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 106 recto; in edit. Carcan., p. 408.)

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., A. filio Henrici, etc. Significavit excellentie nostre Johannes Parisius fidelis noster quod cum statuerimus eum ad custodiam domorum nostrarum Johe, et expensas pro se, equo uno et scuterio uno a predecessore tuo Thomasio de Brundusio perceperat hactenus, tu ipsas expensas eidem non exhibes prout ei dictus Thomasius exhibebat. Quare mandamus quatenus si est ita, dicto Johanni expensas solitas et statutas, prout a predicto Thomasio tempore retroacto percepit, de pecunia curie nostre que est per manus tuas tam pro tempore preterito quo eas non habuit quam etiam in antea, debeas exhibere, recepturus exinde apodixam.

Datum Orte, I madii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris ut tres putei ad hauriendas aquas apud Suessam sub alicujus viri idonei conductu fodiantur. Ortae, 1° madii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 106 recto; in edit. Carcan., p. 408.)

De mandato facto per magistrum T. scripsit G. de Tocco :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Quia placet excellentie nostre ut intus in civitate nostra Suesse tres putei fodiantur ex quibus in auriendis aquis possit commoditati et usui civium nostrorum fidelium subveniri, in quibus redimatur defectus quem iidem fideles nostri in dampnum nostrum etiam inviti aliquando pertulerunt, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ex parte culminis nostri firmiter injungas eisdem civibus fidelibus nostris ut in fodiendis puteis ipsis curam adhibeant et operam efficacem; in quo utique complacebunt nostre serenitatis aspectibus et utilitates proprias procurabunt. Preficias autem aliquem virum idoneum et fidelem qui ceteros ad complementum ipsius operis efficaciter moneat et debita cohertione compellat, ne naturali vitio forsitan insurgente, quod fieri debet ab omnibus negligatur, si alicujus idonei viri cura non immineat specialis.

Datum Orte, I madii, XIII indictionis.

Ortae, 1° madii.

Mandatum ad Raynaldum de Castrocucco ut ad custodiam defensae Brahallae sollicitus intendat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 106 recto; in edit. Carcan., p. 408.)

De mandato facto per magistrum R. de Camera scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Raynaldo de Castrocucco, etc. Cum velimus quod defensa nostra Braballe pro solatiis nostris diligenter debeat custodiri, de tua legalitate confisi ipsius defense custodiam tibi duximus commictendam; fidelitati tue mandamus quatenus ad ipsius diligentem custodiam sic sollicitus et studiosus intendas ut ex opere valeas exinde commendari.

Datum Orte, I madii, XIII indictionis.

Ortae, 1° madii.

Mandatum ad secretum Messanae ut capellam Graecorum apud

Digitized by Google

Messanam ad demanium curiae revocare debeat, nisi presbyter qui eam detinet specialem a curia concessionem habuerit.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 106 recto; In edit. Carcan., p. 408.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Majori Plancatoni secreto Messane, etc. Intellexit serenitas nostra quod cum quedam cappella Grecorum que vocatur ecclesia Sancte Marie de Grafeo in civitate Messane, ad collationem culminis nostri spectet, presbyter Johannes qui dicitur protopapa Messane ecclesiam ipsam detinet occupatam in curie nostre prejudicium et non modicam lesionem. Quare fidelitati tue mandamus quatinus de premissis inquisitionem facias diligentem, et si rem ita inveneris, prout superius continetur, et quod concessionem inde non habeat idem presbyter a nostro culmine specialem, cappellam eamdem ad demanium curie nostre debeas revocare.

Datum Orte, I madii, XIII indictionis.

Mandata ad justitiarium Capitinatae et ad secretum Messanae de mittendis sex mille ovibus cum arietibus et quingentis vaccis cum tauris ut inde in competentibus Capitinatae locis mandrae ordinentur. Ortae, 2 madii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 106 verso; In edit. Carcan., p. 409.)

De mandato magistri Alberti scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., R. [de Montefusculo] (*a*) justitiario honoris Montis Sancti Angeli et Capitinate, etc. Cum solatiis nostris Capitinate provinciam frequentius visitemus et magis quam in aliis provinciis regni nostri moram sepius trahimus ibidem et velimus propterea quod in Capitinata de animalibus nostris habeamus armenta ad usum familie nostre, fidelitati tue preci-

(*a*) Haec supplentur ex margine.

Digitized by Google

piendo mandamus quatenus statim receptis hys licteris eligas in justitiariatu tuo viros providos et fideles quos ad Majorem de Plancatone doanerium et questorum magistrum fidelem nostrum studeas destinare, recepturus ab ipso de ovibus mandrarum nostrarum Calabrie preter stallones ovium sex mille cum arietibus stallonibus suis, videlicet ana decem stallones per centenarium, et de vaccis curie nostre vaccas quingentas cum tauris stallonibus suis de vaccis nostris Sicilie. Quibus receptis, in locis competentibus jurisdictionis tue ordines inde mandras, studio quolibet et sollicitudine appositis ut bene custodiantur et procurentur quod curia nostra emolumentum debitum consequatur ex ipsis. Nichilominus etiam tam hominibus quos pro ducendis animalibus ipsis miseris quam aliis expensis pro ipsis necessariis et competentibus faciendis de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas, pecuniam exhibere procures, studium habiturus quod animalia ipsa salubriter deferantur et delata uti decet custodiantur, quod solitam diligentiam tuam quam in nostris habes servitiis, ex opere proinde commendemus. Et ecce quod super hoc prefato M. secreto fideli nostro licteras nostras dirigimus speciales ut nuntiis tuis animalia predicta debeat assignare et ab eis exinde recipiat apodixam.

Datum Orte, II madii, XIII indictionis.

Eodem die de eodem mandato scripsit idem ad Majorem de Plancatone, etc., ut ad requisitionem R. de Montefusculo, etc., nuntiis suis quos miserit ad eum, assignet preter stallones de ovibus mandrarum Calabrie ovium sex millia cum stallonibus suis, ana decem stallones pro centenario, et de vaccis curie que sunt in Sicilia quingentas cum stallonibus suis tauris et recipiat ab ipsis nunciis apodixam.

[*Legitur vero in margine :*] M. de Plancatone secreto Panormi (*lege* Messane); quo mutato lictere renovate sunt ad Johannem de Cioffo [camerarium Calabrie et Obertum Fallamonacbum] secretum Sicilie.

Ortae, 2 maii. Mandatum ad notarium Maraldiczum de Matera quod veniat.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 106 verso; in edit. Carcan., p. 409.)

Scripsit notarius Johannes de Sancto Germano :

Fredericus, etc., notario Maraldiczo de Matera, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris ad curiam nostram personaliter venias, mandatum nostre celsitudinis auditurus.

Datum Orte, II madii, XIII indictionis.

Mandatum ad secretum Panormi pro expensis Guerrerii de Franco provisoris castrorum Siciliae. Ortae, 2 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 recto; in edit. Carcan., p. 409.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto Panormi, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus Guerrerio de Franco de Capua provisori castrorum ipsarum partinm fideli nostro pro se, tribus scuteriis et quatuor equis, tam pro preterito tempore quo fuit in ipso servitio nostro et non recepit expensas quam etiam pro futuro, expensas dare procures juxta assisiam curie nostre quando scilicet fuerit in servitio supradicto, hys videlicet diebus quibus hoc nostrum exercuit vel exercuerit officium antedictum, recepturus ab ipso, etc.

Datum Orte, II madii, XIII indictionis.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris pro viginti militibus, viginti balistariis et totidem servientibus cum solidis duorum mensium in Sardiniam destinandis. Ortae, 2 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 recto; in edit. Carcan., p. 409.)

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario [Terre Laboris], etc. Cum

Digitized by Google

pro bono et pacifico statu regni Turrium et Gallure pertinentis H. dilecto filio nostro ratione uxoris sue, quamdam quantitatem armatorum velimus in Sardiniam destinari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus statim visis hys licteris, te apud Neapolim conferas, et inventis ibidem viginti militibus, viginti balistariis et totidem servientibus armis omnibus ipsis expedientibus bene munitis, eos in Sardiniam destinare procures, dando unicuique militum solidos duorum mensium ana unciis tribus per mensem, balistariis autem et servientibus similiter pro duobus mensibus ana unciis duabus per mensem cuilibet ipsorum, de pecunia curie nostre que est per manus tuas, precipiens nihilominus omnibus ipsis ut sellas et frena pro equis secum portare debeant, recepturi cum in Sardiniam applicuerint equitaturas a vicario ibidem statuto; super passagio vero ipsorum Nicolino Spinule regni Sicilie ammirato fideli nostro nostras licteras mictimus speciales.

Datum Orte, II madii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem ad Nicolinum Spinulam pro passagio omnium predictorum.

Ortae, 3 maii.

Mandatum ad justitiarium Siciliae citra flumen Salsum de duobus millibus unciis auri magistro portulano Siciliae assignandis pro servitiis curiae.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 107 recto; in edit. Carcan., p. 410.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Guillelmo de Anglone justitiario in Sicilia citra flumen Salsum, etc. Cum Angelo Frisario magistro portulano Sicilie citra flumen Salsum fideli nostro quedam servitia nostra commiserimus exequenda, pro quorum executione pecunia est sibi necessaria in presenti, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus de pecunia generalis collecte impo-

sita in justitiariatu predicto per te, eidem Angelo duo millia uncias auri pro exequendis commissis sibi servitiis nostris debeas assignare. Ipse enim uncias ipsas curie nostre de proventibus nostris qui sunt per manus ipsius quam cito eos perceperit, resignabit.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

[*Legitur in margine :*] Vacant quia eo amoto scriptum est P. de Calabria justitiario Sicilie pro eodem.

Mandatum ad provisorem castrorum Terrae Laboris pro dandis solidis, companagiis et expensis viginti servientibus in castro Teani. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 recto; in edit. Carcan., p. 410.)

De imperiali mandato facto per judicem Taddeum scripsit Johannes de Sancto Germano :

Fredericus, etc., Guillelmo de Laurentio provisori castrorum, etc. Quia castrum nostrum Theani custodiendum dedimus A. de Cicala capitaneo a porta Roseti usque ad fines regni, fideli nostro, et ad ejusdem castri custodiam concessimus sibi viginti servientes ex nostris, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eidem capitaneo vel ordinato per eum in ipso castro solidos, companagia et expensas pro viginti servientibus in dicto castro Theani tribuas juxta statutum curie nostre, et recipias de hys que sibi dederis apodixam.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Mandata ad justitiarium Terrae Laboris et ad Gualterium de Cicala de inquirendis areis sparveriorum in comitatu Molisii, et de sparveriis recipiendis. Ortae, 3 maii.

Digitized by Google

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 verso; in edit. Carcan., p. 410.)

De mandato imperiali facto per comitem Acerrarum scripsit Johannes de Sancto Germano :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus in comitatu Molisii, Matisio et adjacentibus locis diligenter inquiri facias areas sparveriorum, et omnes sparverios ipsarum partium recipi facias oportuno tempore ad requisitionem Gualterii de Cicala fidelis nostri, et eos ipsi G. custodiendos ad opus nostrum facias exhiberi.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

De eodem mandato per eumdem scriptum est Gualterio de Cicala ut oportuno tempore sparverios ipsos recipiat et ad opus imperiale studeat sollicite custodire.

Ortae, 3 maii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro de pecunia, victualibus et necessariis dandis Guillelmo de Laurentio provisori castrorum Terrae Laboris, comitatus Molisii, etc., pro solidis castellanorum et munitionibus castrorum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 verso; in edit. Carcan., p. 410.)

Mandante domino imperatore per judicem Taddeum scripsit notarius Roggerius de Salerno :

Fredericus, etc., Riccardo de Pulcaro, etc. Dudum Stephano de Romualdo tunc recollectori pecunie curie nostre in partibus ipsis dedisse recolimus in mandatis ut Guillelmo de Laurentio, provisori castrorum nostrorum Terre Laboris, comitatus Molisii, Principatus et Terre Beneventane, pecuniam pro solidis castellanorum, personarum statutarum in custodia castrorum ipsorum, victualia, vinum, companagium et quelibet necessaria pro munitionibus castrorum ipsorum necnon et pro expensis ipsius, trium scuteriorum et quatuor equorum suorum juxta assisiam

curie, dum in eodem nostro servitio esset, dare deberet. Verum quia idem Stephanus ab ipso officio est amotus et predicta omnia volumus dictum Guillelmum recipere, ut nostra inde pro predictis servitia exequatur ut dictum est et [sicut] ab eodem Stephano juxta mandatum nostrum recipere consuevit, a te habeat et recipiat; fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem dicti G. pecuniam pro solidis castellanorum, personarum statutarum in custodia ipsorum castrorum, victualia, vinum, companagium et quelibet necessaria pro munitionibus castrorum ipsorum juxta continentiam statutorum que castellani ipsi habent, necnon et pro expensis suis, trium scuteriorum et quatuor equorum suorum juxta assam curie, donec in eodem nostro servitio fuerit, debeas exhibere de pecunia curie nostre que est per manus tuas, et recipias de omnibus que sibi dederis apodixam.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Item scriptum est predicto Guillelmo ut omnia predicta recipiat ab eodem Riccardo de Pulcaro et inde faciat servitia prenotata (1).

Mandatum ad Philippum de Zunculo et Riccardum de Bisaccia quod res et terras quondam Guillelmi de Monteviridi a castellano Melfiae procurandas assignent. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 verso; in edit. Carcan., p. 410.)

De imperiali mandato facto per magistrum Roggerium de Petrasturmina scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Philippo de Zunculo et Riccardo de Bisaccia, etc. Cum velimus omnes terras et res que fuerunt quondam Guillelmi de Monteviridi pro parte filie sue que est in camera imperatricis karissime consortis nostre, per Lucasinum castellanum Melfie fidelem nostrum procurari de-

(1) Cf. supra, p. 790, mandatum ad Guillelmum de Laurentio, ultimo februarii.

Digitized by Google

bere, fidelitati vestre firmiter precipiendo mandamus quatenus visis hys licteris omnes terras et res predicti quondam Guillelmi eidem Lucasino assignare curetis.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Ortae, 3 maii.

Mandatum ad justitiarium Terrae Laboris pro Berardo de Presbytero, captivo Placentino, post obitum Henrici de Fossaceca alii custodi idoneo et fideli assignando.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 107 verso; in edit. Carcan., p. 411.)

De imperiali [mandato] facto per comitem Thomasium de Acerris scripsit idem G. de Cusentia :

Fredericus, etc., R. de Montenigro justitiario Terre Laboris, etc. Quia Henricum de Fossaceca cui commissus erat custodiendus Berardus de Presbitero, Placentinus captivus, audivimus obiisse pro certo, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eumdem Berardum prisonem alicui de jurisdictione tua qui sufficiens sit et ydoneus ad custodiendum eumdem et cui possit ipsius custodia fideliter et secure commicti ac curie nostre de eo sit cautum, custodiendum et procurandum juxta beneplacitum nostrum assignes, nomen illius cui assignaveris nostre curie rescripturus.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Ortae, 3 maii.

Mandata ad universos officiales regni ut devote intendant Andreae de Cicala statuto capitaneo et magistro justitiario a porta Roseti usque ad fines regni et Roggerio de Amicis alteri capitaneo a porta Roseti usque Farum et per totam Siciliam.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 108 recto; in edit. Carcan., p. 411.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Procopius :

Fredericus, etc., prelatis ecclesiarum, justiciariis, magistris camerariis, camerariis, bajulis, castellanis et universis officialibus a porta Roseti usque ad fines regni constitutis, fidelibus suis, etc. Cum ad exequenda majestatis nostre servitia virum aliquem probum et fidelem eligimus, non minus quieti nostrorum fidelium quam honori nostro consulere videmus. Quocirca fidelitati vestre tenore presentium precipiendo mandamus quatenus confidentes de prudentia et legalitate Andree de Cicala fidelis nostri, constituimus eum capitaneum et magistrum justitiarium a porta Roseti usque ad fines regni, cui dedimus plenariam potestatem ut nostrorum fidelium contentiones audiens et justitia mediante decidens reddat singulis jura sua, et justitiam querentes favorabiliter foveat, malefactores corripiat et perversos et etiam facinorosos puniat de criminum qualitate nocentes, ut pacifice justitie quietem procuret nostrorum fidelium et salutem. Mandamus igitur et districte precipimus fidelitati vestre quatenus eidem capitaneo et fideli nostro in hys que sibi de honore et commodo celsitudinis nostre commisimus exequenda, prout lictere continent nostro sigillo signate, ad honorem et fidelitatem nostram tanquam capitaneo et magistro justitiario a nostra majestate statuto devote parere et intendere studeatis, nec sit aliquis qui super hys que de servitiis et honore celsitudinis nostre duxerit injungenda, sibi modo quolibet contrarium se opponat sicut indignationem nostram cupitis evitare.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Similes universis et secreto Sicilie pro Roggerio de Amicis a porta Roseti usque Farum et per totam Siciliam [capitaneo et magistro justitiario statuto].

Mandata ad universos a Faro usque per totam Siciliam ut intendant Obberto Fallamonacho, unico in Sicilia secreto noviter statuto, et ad eumdem Obbertum de expensis et solidis uni judici et duobus notariis exhibendis. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 108 verso; In edit. Carcan., p. 411.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., hominibus universis a Faro nsque per totam Siciliam constitntis, etc. Ne officialium regni nostri ordinatio indivisa officia nostra confundat, ntilitatem impediat fisci nostri et nostrornm fidelium etiam generet lesionem, sic perpenso consilio excellentia nostra providit ut a Faro usque per totam Siciliam nnns secretus esse debeat qni jnra cnrie nostre procuret actentins, servitia nostra exerceat diligenter, fidelibus nostris juxta quod ad eum spectaverit jnra ministret. De prndentia igitur Obberti Fallamonachi fidelis nostri et legalitate confisi, ipsum doanerium de secretis et qnestorum magistrum a Faro usque per totam Siciliam dnximus statuendum, ut tam officinm ipsum quam omnia qne ad eum spectare noscnntur, diligenter et fideliter ammodo debeat procurare. Quocirca fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ipsi Obberto fideli nostro de omnibns que ad secretie spectant officium, intendatis et respondeatis de cetero tanqnam secreto a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Item lictere facte sunt eidem Obberto Fallamonacho secreto in hunc modum :

Fredericns, etc., Obberto, etc. Volentes ut commissum tibi a cnria nostra officium secretie diligentius exeqnaris, statuimus et mandamns ut jndicem nnnm et duos notarios habere debeas pro eodem officio exercendo, et pro te ac XI personis et XII equitatnris, compntatis in eis jndice et notariis et equitatnris eorum, expensas recipias de proventibns curie nostre qui snnt per manus tuas juxta assisam cnrie nostre; preterea predicto jndici uncias auri octo per annum preter expensas pro solidis suis ad pondus curie, et cnilibet predictorum notariorum uncias anri qnatnor per annum similiter preter expensas pro solidis eorum ad pondus curie debeas exhibere.

Datnm Orte, III madii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Mandata ad universos a Faro usque per totam Siciliam ut intendant Petro de Calabria unico in Sicilia justitiario noviter statuto, et ad eumdem Petrum ut se conferat ad Rogerium de Amicis capitaneum, fidelitatis juramentum ei praestiturus. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II,* fol. 108 verso; in edit. Carcan., p. 412.)

De eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., universis a Faro per totam Siciliam constitutis, etc. Ne officialium regni nostri ordinatio indivisa officia nostra confundat, utilitatem impediat fisci nostri et nostrorum fidelium etiam generet lesionem, sic perpenso consilio excellentia nostra providit ut unus justitiarius a Faro usque per totam Siciliam esse debeat, qui jura curie nostre procuret actentius, servitia nostra exerceat diligenter, fidelibus nostris juxta quod ad eum spectaverit jura ministret. De prudentia igitur Petri de Calabria fidelis nostri et legalitate confisi, ipsum a Faro usque per totam Siciliam duximus statuendum ut officium ipsum ad honorem et fidelitatem nostram debeat fideliter exercere. Quocirca fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus eidem P. fideli nostro de omnibus que ad justitiarii officium spectant, intendatis et respondeatis tanquam justitiario nostro a majestate nostra statuto ad honorem et fidelitatem nostram.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Item scripsit idem licteras ad ipsum P. ut cum iverit R. de Amicis capitaneus a porta Roseti usque per totam Siciliam, conferat se ad eum et prestet sibi fidelitatis et officii juramentum, et justiciarii officium exerceat ex tunc.

Mandata ad Johannem Cioffum magistrum camerarium a porta Roseti usque Farum ut novos portus in Cotrona et Bivona statutos Ortae, 3 maii.

et alios jurisdictionis ejus bene custodiat, et ad magistrum justitiarium et justitiarios Calabriae, Vallis Gratis et terrae Jordani quod eidem Johanni dent auxilium et favorem.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 1 verso; in edit. Carcan., p. 233. Hujus primi folii recti scriptura omnino deletur et in adversa etiam pagina multa desiderantur, dum folium istud in usum cooperimenti conversum ex tritura quasi consumptum fuerit. Forsitan aderat quasi titulus generalis : *Ordinatio nova novorum portuum pro extrahendis victualibus*, sicut supra, p. 418. Unde justum rerum ordinem servare et notas chronologicas ex praecedentibus addere non dubitamus, vera quaternionum serie nunc restituta.)

. . . .
. . . .

Fredericus, etc., Johanni Cioffo, magistro camerario a porta Roseti usque Farum fideli suo, etc. Confidentes de prudentia et fidelitate tua, novos portus dudum statutos a nobis in Cotrona videlicet et Bivona et alios jurisdictionis tue tibi duximus committendos, prout in litteris patentibus nostris quas . . . . fecimus plenius continetur. Quare mandamus quod super eis sic juxta ipsarum patentium licterarum continentiam studiosus existas quod curia nostra speratum pro se et fidelibus nostris commodum consequatur, et possis de studio commendari. Volumus tamen ut regnicolas animalia licita et victualia Venetias deferre permittas si qui de eis illuc deferre voluerint; caute hoc faciens ne videatur hoc omnibus generaliter esse permissum et perveniat ad notitiam Venetorum.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Fredericus, etc., R. de Amicis capitaneo et magistro justitiario a porta Roseti et justitiariis Calabrie, Vallis Gratis et terre Jordani, etc. Confidentes, etc. Quare mandamus quod ad requisitionem . . . . Johannis vel eorum quos ipse in eis duxerit statuendos, detis omne consilium, auxilium et favorem super omnibus que dicte patentes lictere continent et etiam pro nostris commodis expediret, ac in hys specialiter quod omnes illuc . . . . . . venientes . . . . . personis et rebus . . . . Quare mandamus quod . . . . portubus ipsis pro recipiendis annuis proventibus ad requisitionem . . . .

Digitized by Google

. . . . perceptam usque modo pecuniam per manus vestras ad nostram cameram mitt. . . . . curantes.

Datum [*ut supra*].

Petrus de Capua eidem Johanni de Cioffo scripsit litteras de expensis in forma qua . . . . presentes litere secreti, videlicet pro X personis et X equitaturis, computatis uno judice et duobus notariis sibi statutis et equitaturis eorum; quibus pro solido preter expensas ad pondus curie dabit judici uncias VIII et cuilibet notario similiter. . . (*a*).

Mandatum quo novi portus a Thermulis Capitanatae usque ad portam Roseti Ugoni . . . magistro portulano committuntur, et mandata varia tam ad novos quam ad antiquos custodes portuum de extractione victualium.

Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 2 recto; nunc collatum cum codice Phillippsensi; in edit. Carcan., p. 233.)

Item scripsit :

Fredericus, etc., universis, etc. . . . . . Confidentes de prudentia et fidelitate Ugonis . . . . statutos a nobis a Thermulis Capitinate usque portam Roseti videlicet . . . . et Tarento, sue industrie duximus commictendos, ut generalibus fisci et omnibus *sicut supra usque* et per totam . . . . futurum quinquennium a V octobris, etc., *ut supra usque ad ultimum* : Quare mandamus [*et in isto dicitur*] mittimus speciale presens mandatum portubus qui sunt a Thermulis usque portam Roseti, qui etiam de ipsius magistri portulani jurisdictione non sunt, res usque modo permissas et consuetas liceat extrahi preter animalia et victualia que de statutis portubus extrahenda superius sunt . . . . nec de eis regnicole vellent de quocumque

(*a*) Verisimiliter supplendum *quatuor uncias auri preter expensas ad pondus curie*, sicut supra in litteris ad Obbertum Fallamonachum, p. 952.

portu extrahere infra regnum et maxime in suarum sustentatione domorum, extrahi volumus, salvo jure doane et portus solito debito et antiquo; in quibus omnibus dictus magister portulanus custodes statuat viros providos et fideles sine solido vel expensis curie . . . . et animalia permissa non permictant extrahi extra regnum, immo a regnicolis infra regnum sufficienti et idonea cautione recepta quod ad locum predestinatum infra regnum etiam exportentur.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Similes scripte sunt sicut supra in commissione Johannis de Cioffo, ipsi Ugoni.

Similes Andree de Cicala capitaneo et magistro justitiario citra portam Roseti, et justitiariis Capitinate, terre Bari, terre Idronti et Basilicate.

Similes custodibus portuum Turris Maris, Sancti Cataldi de Baro et Regularum.

Item de portubus Aprutii qui statuti sunt in Piscaria et Penna de Luco, in quibus statutus est Johannes Vitus de Thermulis, cui facte sunt per manus Laurentii de Brundusio lictere commissionis in forma statuta.

De portubus Principatus,

De portubus Terre Laboris,

De portubus Sicilie, non fit mentio hic, quia non sunt amoti ab eorum officio . . . . Angelus Frisarius, nec alii de novo portus statuti sunt videlicet (*a*).

Ortae, 3 maii. Litterae patentes ad universos a Termulis Capitinatae usque ad portam Roseti ut de caetero intendant et respondeant Petro Castaldo de Neapoli, noviter statuto magistro procuratori demaniorum, morticiorum, excadentiarum et revocatorum curiae. Pro Riccardo de Pulcaro et pro Criscio Amalfitano similes.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 2 verso; in edit. Carcan., p. 234.)

(*a*) Sic. Pro *videlicet* forsitan legendum *ibidem*.

Digitized by Google

[*De mandato imperiali facto*] *per magistrum Petrum de Vinea scripsit notarius Jacobus de Bantra licteras patentes* [*in hac forma*]:

Fredericus, etc., universis a Termulis Capitinate usque ad portam Roseti, etc. Cum de provida provisione sit in nostra curia ordinatum ut in qualibet provincia regni nostri vir unus fidelis et prudens statuatur, cui per destinatam sibi provinciam procuratio demanii, morticiorum et excadentiarum ad curiam nostram spectantium commictatur, nos confidentes de prudentia et fidelitate Petri Castaldi de Neapoli fidelis nostri, statuimus eum magistrum procuratorem (1) bajulationis demaniorum, morticiorum et excadentiarum, animalium, camporum, aliarum rerum et jurium ad curiam nostram spectantium in ipsis partibus, tam eorum que revocata fuerunt quam etiam que deinceps per industriam suam et revocatorum sollicitudinem juste poterint revocari. Dedimus ei potestatem ut demania, morticia et excadentias ipsas, preter ea que curie nostre specialiter necessaria non sunt vel de mandato nostro ne locentur excepta, ad conservationem et incrementum eorum et nostre curie commodum locare possit, excoli et rehedificari faciat prout viderit utilius expedire, sic quod in melius proficiant ne depereant, et proventus ipsorum omnium exigat ad opus nostre curie conservandos. Commisimus etiam eidem Petro ut omnia nova statuta et quedam capitula que per eumdem mictimus sigillo nostre majestatis munita, per partes ipsas faciat observari, juxta quod sibi per curiam nostram injunctum est, et transgressores ac contumaces puniat auctoritate nostri culminis sicut decet. Mandamus igitur universis et singulis firmiter ac districte quatenus de omnibus supradictis nominato Petro fideli nostro intendatis et respondeatis de cetero tanquam magistro procuratori predictorum omnium per nostram curiam constituto et executori novorum statutorum nostrorum, et de aliis que sue industrie sunt commissa, ad honorem et fidelitatem nostri culminis et curie nostre commodum et profectum.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Similes clause facte sunt eidem Petro.

---

(1) Scilicet loco Alexandri, filii Henrici, licet id non expresse dicatur. Cf. supra, p. 534.

Digitized by Google

Lictere de expensis ipsius pro decem personis et decem equitaturis computatis in eis judice uno, duobus notariis et equitaturis eorum, quas recipiet de proventibus curie juxta assisam, et dabit judici uncias octo per annum pro solido preter expensas et cuilibet notario quatuor uncias ad pondus curie similiter preter expensas.

Similes lictere facte sunt per Procopium pro Riccardo de Pulcaro per justitiariatus Principatus, Terre Laboris et comitatus Molisii.

Similes de expensis ejus.

Item similes lictere facte sunt per Henricum (*sic*) de Suessa pro Criscio Amalfitano per justitiariatum Aprutii.

Et per magistrum Procopium facte sunt pro eodem lictere similes pro expensis.

Ortae, 3 maii.

Litterae ad Andream de Cicala et ad Rogerium de Amicis capitaneos de litigantibus contra curiam, de viduis officialium, de causis instructis ad principem destinandis, de litibus super castris et feudis quaternatis ad magnam curiam reservandis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 recto; in edit. Carcan., p. 234.)

Mandante domino imperatore per magistrum Petrum de Vinea. . . . . .

Fridericus, etc., Andree de Cicala capitaneo a porta Roseti usque ad Trontum ad fines regni, fideli suo. Licet imperialis excellentie dignitas cui datum est leges condere sit legibus absoluta, dignum tamen fore providimus ut in observatione legum in rigore justitie sequamur jus commune cum ceteris, et quibus nos non potuit obligare necessitas, voluntas spontanea nos astringat. Nec contra fideles nostros et subditos in conservatione justitie uti volumus prerogativa dominii contra jura, quorum dispendia dampnis nostris ascribimus et quorum compendia propria commoda reputamus. Cum igitur multi de fidelibus nostris in regno nostro Sicilie constituti contra curiam nostram querelas intendant nec minus justitiam habere contendant, fidelitati tue precipiendo mandamus qua-

Digitized by Google

tenus si quis nostrorum fidelium de locis illis que jurisdictioni tue a nostra sunt majestate commissa, ad presentiam tuam cum sacre nostre majestatis oraculo se forte contulerit, qui contra nos de re qualibet querelam velit exponere et habere se asserat rationem, cum pretextu imperatorie majestatis aut prerogativa dominii a judicii limite non excludas, sed experiendi contra curiam nostram sibi liberam exhibeas facultatem, procuratore pro parte nostre curie primitus constituto viro utique ydoneo et fideli, qui sit peritus in jure et exercitio causarum expertus ac in questione proposita per procuratores nostros primitus et deinde per alios fideles nostros sufficienter instructus, rationes et jura curie nostre diligentissime videat, discutiat et defendat, ita quod ob diligentis procuratoris defectum curia nostra in nullo sustineat detrimentum. Postquam vero questio fuerit in tua presentia ventilata, discussa sollicite et perfecte tractata, renuntiatum etiam in questione extiterit et conclusum, processum totum questionis proposite et omnia acta judicii ad majestatis nostre presentiam sub sigillo tuo volumus destinari, ut questiones hujusmodi per diffinitivas sententias in nostra curia terminentur. Ad hoc quia multarum viduarum nostrarum fidelium nos querela persequitur quod cum fuerint uxores quondam nostrorum officialium vel eorum quorum bona per ipsorum delicta vel propter debita fisci nostri juribus jussimus applicari, in ademptione rerum maritorum suorum dotibus seu dodariis suis se asserunt spoliatas, quia volumus viduarum calamitatibus misericorditer providere, mandamus et precipimus fidelitati tue quatenus, si que mulier de cetero ad te forte venerit que occasione hujusmodi jure suo se asserat destitutam, tu studeas inquirere diligenter utrum ante commissum maleficium vel assumptum officium an postea maritus eam duxerit, ut si forte primo marito nupserit mulier quam deliquerit aut officium maritus assumeret, tunc quia primo mulieri quam nobis pro gestione officii mariti bona extiterant obligata, petitionem mulieris audiri volumus et super judicii aditum reserari. Si vero postquam officium maritus assumpserit vel culpabilis extiterit ex delicto, nupserit mulier, tunc quia mariti bona sunt nostre curie primitus obligata, petitionem hujusmodi volumus non admitti. In hys tamen omnibus et singulis supradictis ad sententiam te procedere nolumus ut est

dictum, sed causam instrnctam ad nostram conscientiam destinari, agenti termino prefinito et nobis tuis licteris nunciando quo debeat in nostra curia comparere. Illnd etiam te volumus tenaciter observare ut neminem contra uostram curiam possessorium proponentem audias, sed jura petitorii et proprietatis causam tantummodo plene discutias et ad presentiam nostram referas ut est dictum; ut tamen de castris aut feudis quaternatis occasione predicta te uullatenus intromictas, cum de predictis coram magistro justitiario et judicibus magne curie uostre solummodo litigare velimus.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Similes facte sunt ad Roggerium de Amicis capitaneum et magistrum justitiarium a porta Roseti usque Farum et per totam Siciliam.

Ortae, 3 maii.

Mandata ad Neapolitanum et Brundusinum archiepiscopos ut in conspectu principis ad peremptorium terminum se praesentent, suas rationes super quibusdam terris et ecclesiis ostensuri.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 verso; in edit. Carcan., p. 235.)

De mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit Jacobus de Bantra :

Fridericus, etc., Neapolitano archiepiscopo, etc. [Mandamus] (*a*) quatenus secundo die postquam Capue fuerimus, ibidem uostro te conspectui representes (*b*) portans tecum privilegium ostensum per te magistro G. de Tocco uotario et fideli nostro, quod quondam a dive memorie imperatore Henrico patre nostro asseris fuisse indultum ecclesie tue super terris Montis Grilli, startia maris mortui de Putheolis, portu de Jubinul, decimis reddituum Neapolis et ecclesia Sancti Angeli de Zippio, diem predictum tibi terminum peremptorium prefigentes.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

(*a*) Initium mandati deest.

(*b*) In impresso *reverenter*, male.

Digitized by Google

Similes scripsit idem Brundusino archiepiscopo quod tricesimo post receptionem presentium ad curiam veniat, portans omnes rationes quas habet super ecclesia Sancti Jacobi in Brundusio et omnibus possessionibus adjacentibus.

Item scripsit:

Fridericus, etc., compalatio Neapolis, etc. Cum per licteras nostras quas per te eis mictimus assignandas, citemus Neapolitanum et Brundusinum archiepiscopos ut statutis peremptorie diebus unusquisque sicut lictere continent supradicte, nostro se conspectui representent, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus easdem licteras nostras cuilibet eorum sub testimonio bonorum hominum studeas assignare, rescribens nobis diem assignationis earum et nomina illorum coram quibus eis fuerint ipse per te lictere assignate; sic studiosus, etc.

Datum [*ut supra*].

Litterae ad magistrum procuratorem Terrae Laboris de domibus et vineis curiae reparandis et excolendis, et ad magistrum procuratorem Calabriae de pice Riccardo de Pulcaro destinanda. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 verso; in edit. Carcan., p. 236.)

Item scripsit Jacobus de Bantra licteras responsales:

Fredericus, etc., R. de Polcaro magistro procuratori a Termulis Capitinate usque ad portam Roseti, etc. (1). Solita benignitate recepimus licteras quas tua nobis fidelitas destinavit et diligenter tenorem intelleximus earumdem. Super facto autem quod quedam domus nostre in jurisdictione tua posite, de quibus posset curia nostra singulis annis certam percipere

(1) Notanda est ibi amanuensis oscitantia, quum Riccardus de Polcaro tunc fuerit magister procurator Terrae Laboris, comitatus Molisii et Principatus. Ex altera parte liquet litteras responsales ad *Petrum Castaldum*, hoc eodem die magistrum procuratorem a Termulis usque ad portam Roseti statutum, non fuisse missas.

Digitized by Google

pensionem, reparatione indigent, quedam etiam vinee uostre curie sunt incnlte, firmiter mandamus quatenns omnes domos predictas in jnrisdictione tua positas de quibus curia nostra singulis auuis posset percipere pensionem, facias de pecunia curie uostre que est per manus tuas cougrue reparari et vineas diligenter excoli supradictas, ut uullum amodo, etc.

Datum Orte, III madii, XIII iudictionis.

Item scripsit idem :

Fredericus, etc., Johanni de Zoffo magistro camerario Calabrie, etc. Fidelitati tue precipimus et mandamus quatenus R. de Polcaro magistro procuratori, etc., ad ejus requisitiouem de pice quam pro parte curie nostre emes, quantam pro servitiis uostris sibi commissis viderit oportunam, per uuntios suos quos pro ipsa recipienda miserit studeas destinare, tantumdem recipiens et non amplins ab eodem quotiens pro ipsa recipienda miserit, qnantum te solvisse constiterit pro eadem pro parte cnrie nostre.

Datum [*ut supra*].

Ortae, 3 maii.

Mandatum ad Riccardum de Pulcaro ut duplices quaterniones fieri faciat de omnibus demaniis et juribus curiae per totam jurisdictionem ejus.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 verso; in edit. Carcan., p. 236.)

Item scripsit Jacobus de Bantra :

Fredericns, etc., R. de Polcaro, etc. Fidelitati tue precipimus et mandamus qnatenus de omnibus demaniis, morticiis, excadentiis, redditibus et quibuslibet juribus que curia uostra habet iu singulis civitatibus, castris et locis per totam jurisdictionem tuam positis, omni cautela perhabita et studio adhibito diligenti, duplices quaternioues fieri facias, unum sub sigillo tuo nostre cnrie transmictendum et alium apud te retiuendum, ut

Digitized by Google

ea omnia melius et commodius possis ad honorem nostri culminis procurare.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Mandatum ad Jacobum Capice ut Hugoni Anglico emptori statuto pro expensis imperatricis et familiae ejus, pecuniam paulatim exhibeat. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 verso; in edit. Carcan., p. 236.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit Procopius :

Fredericus, etc., Jacobo Capice senescalco et fideli suo, etc. Licet excellentia nostra tibi dederit in mandatis ut pecuniam a bajulis recipias pro expensis karissime consortis nostre et familie sue juxta tuam prudentiam ut expedit faciendis, quia tamen volumus ut per manus Hugonis Auglici habitatoris Panormi fidelis nostri quem tibi subesse mandavimus, emantur necessaria et supradicte expense fiant, fidelitati tue mandamus quatenus eidem Hugoni emptori sub te statuto ad faciendas expensas easdem pecuniam paulatim exhibeas, prout tua discretio viderit commodius expedire, recipiens ab eo de pecunia quam sibi pro faciendis expensis dederis idoneam rationem.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Mandatum ad Johannem de Cioffo de castris et domibus solatiorum principis quae reparatione indigent reparandis. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 3 verso; in edit. Carcan., p. 236.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit Laurentius :

Digitized by Google

Fredericus, etc., Johanni de Cioffo magistro camerario a porta Roseti usque Pharum, etc. Cum velimus te castra et domos solatiorum nostrorum ac certa opera curie nostre que sunt per jurisdictionem tuam diligenter inquirere, et ne gravius ex improvidentia detrimentum curie nostre contingat, necessaria reparatione occurrere hys que reparari oportet, mandamus quatenus super eorum omnium inquisitione sollicita et reparatione necessaria diligens et studiosus existas, castra et alia opera que consueverunt et debent reparari per alios, per eos qui tenentur faciens reparari, et in aliis que per alios reparari non debent, faciens expensas necessarias de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas, prout nostre curie commodis videris melius expedire, quod dampnum omnino vitetur et de studio commenderis.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Ortae, 3 maii.

Mandata ad Obertum Fallamonachum ut officium magistri doanerii de secretis per totam Siciliam fideliter exerceat, viros probos in portubus statuat, pro solatiis Siciliae et munitione castrorum necessaria exhibeat, et decimas consuetas ecclesiis jurisdictionis suae persolvi faciat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 4 recto; in edit. Carcan., p. 236.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. de Trajecto scripsit P. de Capua :

Fredericus, etc., Oberto Fallamonacho, etc. Notum facimus fidelitati tue quod nos confisi de prudentia et legalitate tua facimus te doanerium de secretis questorum a Faro per totam Ciciliam magistrum, ut officium ipsum et omnia que ad ipsum spectant, ad honorem et fidelitatem nostram ammodo debeas fideliter exercere. Quocirca fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus officium ipsum secretie et omnia que ad

Digitized by Google

ipsum spectant amodo fideliter et cum omni diligentia et sollicitudine exerceas ad honorem et fidelitatem nostram.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Eodem die ad eumdem : Cum velimus quod circa portus nostros cura et sollicitudo diligens habeatur, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus super portubus nostris Panormi, Cephaludi et Licate qui sunt in jurisdictione tua, viros probos, divites statuas et fideles qui cauti et solliciti in nostris servitiis jura curie nostre in portubus ipsis integre recipiant, sicut est per nostram curiam ordinatum, taliter super hoc, etc.

Eodem die ad eumdem : Etsi circa singula servitia nostra te sollicitum esse volumus et actentum, circa illa precipue te diligentiorem curam et sollicitudinem habere volumus, que in partibus ipsis ubique per totam Siciliam in jurisdictione tua nostris solaciis deputata noscuntur. Firmiter fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus tam pro palatio nostro Panormi quam pro aliis solatiis nostris expensas utiles et necessarias de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas exhibere procures, ad requisitionem eorum scilicet qui in locis ipsis per nostram curiam sunt statuti. Recipiens de omnibus, etc.

Eodem die de eodem mandato ad eumdem : Cum pro munitione castrorum nostrorum velimus necessaria ministrari, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem Guerrerii de Franco procuratoris castrorum nostrorum in Sicilia ultra flumen Salsum et Johannis Vulcani de Neapoli provisoris castrorum nostrorum citra flumen Salsum, victualia [et] pecuniam necessariam tam pro solido quam aliis oportunis de pecunia curie nostre que est per manus tuas, exhibere procures. Recepturus ab ipsis, etc.

Eodem die ad eumdem : Significasti celsitudini nostre quod pro necessariis serviciis nostris te oportet expensas facere in nuntiis quos aliquando ad presentiam nostram mictis et alibi pro utilitate curie nostre, et petisti ut expensas ipsas in tuis mandemus ratiociniis computari. Ad quod tibi mictimus responsum. Placet nobis ut expense utiles et neces-

Digitized by Google

sarie et moderate quas facis pro nunciis, ut est dictum, in tuis debeant ratiociniis computari.

Datum, etc.

Eodem die ad eumdem : Cum illius intuitu quo prosequente feliciter vivimus et regnamus, decimas consuetas et debitas sicut temporibus felicium regum predecessorum nostrorum usque ad hec felicia tempora nostra singulis ecclesiis regni nostri integre dari consueverunt et debent; exhiberi velimus eisdem, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus singulis ecclesiis in jurisdictione tua decimas consuetas et debitas, sicut tempore felicium regum predecessorum nostrorum usque ad hec tempora felicia nostra dari consueverunt pacifice, continue et quiete, integre exhibere procures, et ab officialibus tuis facias sicut dictum est sine diminutione persolvi.

Ortae, 3 maii.

Mandatum ad magistrum camerarium Calabriae ut quamdam pecuniae summam quam Obertus Fallamonachus pro servitiis curiae expendit nec a Johanne de Venafro quondam justitiario jam defuncto recipere potuit, eidem Oberto persolvat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 4 recto; in edit. Carcan., p. 237.)

De mandato imperiali facto per magistrum R. [de Trajecto] scripsit Petrus de Capua :

Fredericus, etc., Johanni Cioffo magistro camerario Calabrie, etc. Exposuit culmini nostro Obertus Fallamonachus, etc., quod cum dudum Johanni de Venafro tunc justitiario per nostras licteras dederimus in mandatis ut quadraginta tres uncias auri et tarenos viginti duos et tertiam ad pondus regni generale de pecunia curie nostre sibi dari deberet, quam pecuniam expenderat pro persona sua, H. Abbatis consulis Tunicii, scuterys et equitaturis suis et pro camelis nostris quos duxerat ad nos veniendo de Tunisi ad presentiam nostram, prefatus Johannes prius in fata

concessit quam sibi nostras exinde literas assignaret; quas sigillatas et integras in nostra camera resignavit, et supplicavit nobis idem secretus ut super hoc sibi providere misericorditer dignaremur. Quocirca fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus pecuniam supradictam de proventibus curie nostre qui sunt per manus tuas, nominato Oberto secreto fideli nostro exhibere procures, et recipias, etc., dummodo non prius sibi quam ante accessum suum in Sicilia et antequam lictere predicte assignari potuissent absque negligentia a prefato, dictus Johannes concessisset in fata.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Mandatum ad universos officiales per regnum Siciliae constitutos ut Thomasio de Brundusio, Angelo de Marra et Procopio de Matera ab universis qui a tempore coronationis officium exercuerunt, rationem recepturis, in hoc respondere et intendere debeant. Mandatum aliud ad Petrum Castaldum pro expensis ad requisitionem eorumdem exhibendis. Ortae, 3 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 4 verso; in edit. Carcan., p. 238.)

« *De imperiali mandato scripsit P. de Capua* :

» Fredericus, etc., capitaneo et magistro justitiario, ammirato, justi-
» tiariis, camerariis, procuratoribus, bajulis et universis a Porta Roseti
» usque ad fines regni constitutis, tam presentibus quam futuris, quibus
» presentes lictere ostense fuerint fidelibus suis gratiam suam, etc. Notum
» facimus fidelitati vestre quod nos confidentes de prudentia et fidelitate
» Angeli de Marra et magistri Guillelmi de Tocco notarii nostri, fidelium
» nostrorum, commisimus eis ut ab universis et singulis qui a tempore
» coronationis nostre de officio quod exercuerunt tenentur curie nostre,
» rationem recipiant, et quoscumque curie nostre debitores invenerint, ad
» solutionem residui compellere studeant. Quare fidelitati vestre preci-

Digitized by Google

» piendo mandamus quatenus ad requisitionem ipsorum pro ratione po-
» nenda eis et complenda, de cetero respondere et intendere debeatis.

» Datum, etc.

» Similes facte sunt universis a Porta Roseti usque Farum et per totam » Siciliam constitutis pro Thomasio de Brundusio et magistro Procopio. »

Cassate sunt quia revocato magistro Guillelmo de Tocco pro commisso sibi servitio, propterea scripte sunt secundum subscriptam formam:

De mandato imperiali facto per magistrum Taddeum de Suessa scripsit Johannes Idronti :

Fredericus, etc., ammirato, capitaneis et magistris justitiariis, justitiariis, secreto, camerariis, bajulis, officialibus et universis per regnum Sicilie constitutis tam presentibus quam futuris, quibus presentes lictere ostense fuerint, fidelibus suis, etc. Notum facimus fidelitati vestre quod nos confidentes de prudentia et fidelitate Thomasii de Brundusio, Angeli de Marra et magistri Procopii de Matera notarii nostri, fidelium nostrorum, commisimus eis ut ab universis et singulis qui a tempore coronationis nostre de officio quod exercuerunt tenentur curie nostre, rationem recipiant, et quoscumque curie nostre debitores invenerint, ad solutionem residui studeant cohercere. Quare fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem ipsorum pro ratione ponenda eis et complenda, de cetero respondere et intendere debeatis.

Datum Orte, III madii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Petro Castaldo magistro procuratori in Apulia, etc. Noverit fidelitas tua quod super ratiociniis recipiendis ab universis officialibus regni nostri, statuimus Thomasium de Brundusio, Angelum de Marra et magistrum Procopium de Matera notarium nostrum, fideles nostros. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ad requisitionem eorum de pecunia curie nostre que est per manus tuas, des eis expensas juxta assisam curie unicuique eorum pro sex hominibus et quatuor equis, donec in ipso servitio nostro fuerint. Volumus insuper et mandamus ut duobus notariis quos secum retinuerint pro eodem servitio nostro, solvas de eadem pecunia curie nostre unicuique eorum annis singulis duodecim

uncias auri ad generale pondus pro expensis eorum, et pro salario uncias auri octo, recepturus de hys que dederis ydoneam apodixam. Des etiam eis ad requisitionem eorum expensas pro nunciis ad citandos officiales et ad curiam nostram cum expedierit destinandis.

Datum [*ut supra*].

Mandata ad secretum Siciliae et ad Paulinum de Malta ut Guillelmo Rufino et aliis decem et octo falconeriis usque Maltam euntibus expensas pro mensibus aprili et maio et donec in Malta post mensem maium morati fuerint, exhibeant. Item mandatum ad secretum eumdem de dandis expensis Guillelmo Rufino et Guillelmo de Bisiniano falconeriis pro mense januario et medietate martii quibus fuerunt in curia extra regnum. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 6 recto; in edit. Carcan., p. 238 et 239.)

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto in Sicilia, etc. Cum Guillelmum Rufinum falconerium et fidelem nostrum cum aliis decem et octo falconeriis usque Maltam mictamus pro deferendis inde falconibus ad curiam nostram, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus per manus dicti Guillelmi pro se et decem octo falconeriis ac equis eorum, sicut inferius continetur, expensas pro duobus mensibus, videlicet aprilis et madii presentis, cum a curia nostra non susceperint eas, juxta assisam curie nostre, videlicet ad rationem de granis XIII auri pro homine et equo per diem, debeas exhibere; et quia scribimus Paulino de Malta fideli nostro ut post mensem madii in antea eisdem falconeriis, dum apud Maltam moram fecerint et postmodum donec Messanam redeant, expensas exhibeat, tu postquam in Messanam redierint secundum quod redierint per societates, a tempore quo tibi constiterit per licteras

predicti Paulini expensas non recepisse ab eo, pro uno mense quo ad curiam nostram cum falconibus ipsis se conferant, pro se, equis et falconibus expensas debeas exhibere, daturus eis statim quod tunc ad te pervenerint, vassellum competens quo cito se conferant usque Maltam. Expensas autem debent recipere falconerii ipsi sic : Guillelmus Ruffinus pro se, duobus hominibus et tribus equis, Guillelmus de Bisiniano pro se, uno homine et duobus equis, Gilius pro se, uno homine et duobus equis, Anacletus pro se, uno homine et duobus equis, Perracius pro se, duobus hominibus et tribus equis, Johannes de Pallocta pro se, duobus hominibus et tribus equis, Guillelmus Englisius pro se, uno homine et duobus equis, Gualterius frater ejus pro se, homine uno et duobus equis, Adenulfus de Bulcano pro se, duobus hominibus et tribus equis, Gualterius de Castello pro se, uno homine et duobus equis, Raymundinus pro se, duobus hominibus et tribus equis, Thomasius Paganus pro se, homine uno et duobus equis, Daniel pro se, uno homine et duobus equis, Michael de Aprucio pro se, uno homine et duobus equis, Philippus de Caserta pro se, uno homine et duobus equis, Firmus pro se, uno homine et duobus equis, Jacobus Mustacius pro se, uno homine et duobus equis. Predictas autem expensas eisdem falconeriis ad generale pondus debeas exhibere, sicut dantur in curia nostra omnibus de familia nostra.

Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.

Eodem [die] de ejusdem mandato scripsit idem G. :

Fredericus, etc., Paulino de Malta, etc. Cum Guillelmum Ruffinum falconerium et fidelem nostrum cum aliis XVIII falconeriis mictamus in Maltam pro falconibus ad nostram presentiam deferendis, ecce scribimus Obberto Fallamonacho secreto in Sicilia ut per manus ipsius Guillelmi expensas pro se, falconeriis et equis eorum pro duobus mensibus aprili et madio et vassellum quo se usque Maltam conferant, necnon postquam a Malta redierint a Messana usque ad curiam nostram, pro se, falconeriis, equis et falconibus debeat (*a*) exhibere. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus per manus predicti Guillelmi pro se, equis, falco-

(*a*) In impresso *debeas*, male.

Digitized by Google

neriis et falconibus, donec in Malta post mensem madii moram fecerint et usque Messanam redeundo, expensas debeas exhibere, daturus eis in reditu eorum vassellum competens quo se conferant usque Messanam, et significaturus per licteras tuas predicto secreto fideli nostro pro quanto tempore falconeriis ipsis, postquam a te decesserint, expensas duxeris exhibendas. Predictas autem expensas eisdem exhibeas ad generale pondus juxta assisam curie, sicut dantur in curia nostra omnibus aliis de familia nostra, quas pro tot personis et equis exhibeas pro quot dictus secretus eisdem dederit, secundum numerum quem ei per nostras licteras declaramus.

Datum [*ut supra*].

De mandato imperiali facto per magistrum Albertum scripsit dictus G. de Cusentia :

Fredericus, etc., secreto in Sicilia, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus Guillelmo Ruffino pro se, duobus hominibus et tribus equis et Guillelmo de Bisiniano pro se, uno homine et duobus equis, falconeriis fidelibus nostris, expensas pro mense januarii et medietate martii primo preteritorum quibus fuerunt in curia nostra extra (*a*) regnum nec a curia nostra receperunt expensas, juxta assisam que datur illis de familia nostra extra regnum, videlicet ad rationem de tribus tarenis auri pro homine et equo per diem ad pondus curie, et pro alia medietate martii qua fuerunt nobiscum in regno, expensas juxta assisam curie nostre que datur illis de familia nostra in regno, debeas exhibere.

Datum [*ut supra*].

Mandata ad justitiarios Aprutii et Capitanatae quod quibusdam ibidem nominatis injungant ut se conferant ad Simonem comitem Theatinum cum eo moraturos. Fogiae, 5 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 6 verso; in edit. Carcan., p. 240.)

(*a*) In impresso *intra*, male.

Digitized by Google

Mandante domino imperatore per judicem Thaddeum et magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fredericus, etc., jnsticiario Aprucii, etc. Fidelitati tue mandamus atque precipimus quatenus receptis hys licteris, injungas firmiter judici Johanni Saladino de civitate Teatina, judici Silvestro et Oddoni de Lanzano ut omni mora et occasione remotis, conferant se ad Symonem comitem Teatinum, moraturos cnm eo ut circa eum servitia nostra fideliter exequantur, jnxta quod idem comes sibi duxerit injungendum, nisi sint specialiter nostris servitiis deputati vel nostre curie ratiociniis obligati.

Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.

Item de superiori mandato idem notarius scripsit justitiario Capitinate quod mictat ad Symonem comitem Teatinum Rogerium de Sancta Cruce de Civitate in forma prescripta.

Fogiae, 5 maii. Mandatum ad judicem Thomasium de Bojano ut se conferat ad secretum Siciliae, cum ipso moraturus.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 6 verso; in edit. Carcan., p. 240.)

De imperiali mandato per Panorm. (sic) (*a*) *judicem P. de Vinea scripsit notarius R. de Salerno :*

Fredericus, etc., jndici Thomasio de Bojano, etc. Fidelitati tue mandamus atque precipimus quatenus receptis hys licteris, conferas te ad Obbertum Fallamonachum totins Sicilie doanerium de secretis et questorum magistrnm, moraturum cum ipso, et jndicatus officinm et alia servitia nostra circa eum exerceas que tibi commiserit exercenda, ad honorem et fidelitatem nostram.

Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.

(*a*) Forsitan legendum : *per Panormitanum archiepiscopum et judicem.*

Digitized by Google

Mandatum ad justitiarium Aprutii ut residuum debitorum in justitiariatu suo cum instantia exigat et exigi faciat. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 6 verso; in edit. Carcan., p. 240.)

De imperiali mandato facto per judicem Taddeum de Suessa scripsit notarius Johannes de Sancto Germano :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Quia Silvester de Sancto Paulo fidelis noster statutus dudum per curiam nostram ad recolligendum residuum debitorum curie nostre in justitiariatu Aprucii, ab eodem officio est amotus, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus totum residuum ipsum justitiariatus tui cum instantia exigens et exigi faciens illud ad curiam nostram mictas.

Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.

Mandata ad Hugonem de Lilla quod veniat ad curiam, et ad Riccardum de Fasanella quod se conferat ad Andream de Cicala capitaneum. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 recto; in edit. Carcan., p. 240.)

V madii, XIII indictionis, in Fogia, de mandato imperiali facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit A. de Capua Hugoni de Lilla de Barulo quod veniat.

Similes Petro Caraczulo de Neapoli ut veniat.

Eodem die de eodem mandato scripsit Petrus de Vinea :

Fredericus, etc., R. de Fasanella, etc. Fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus receptis hys licteris conferas te ad Andream de Cicala capitaneum a Porta Roseti usque ad regni confinium, fidelem nostrum, et

quicquid tibi pro servitiis nostris duxerit injungendum, exequi non postponas ut exinde commenderis.

Fogiae, 5 maii. Mandata ad justitiarium Aprutii quod omnia bona judicis Gualterii de Bucclanico captivi capi faciat et quod Moniscum de Vestarimo civem Laudensem sine impedimento transire permittat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 recto; in edit. Carcan., p. 240.)

Item scripsit :

Fredericus, etc., B. Pissono justitiario Aprutii, etc. Fidelitati tue firmiter precipiendo mandamus quatenus omnia bona tam mobilia quam stabilia judicis Gualterii de Buclanico quem captivum in nostra curia detinemus, ad opus curie nostre capi facias et cum diligentia procurari, significaturus nobis per licteras tuas seriatim quid inde duxeris faciendum.

[Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.]

Item scripsit eidem :

Fredericus, etc. Quia Moniscus de Vestarimo civis Laudensis lator presentium fidelis noster, qui noviter nuncius ad nos venit, in Lombardiam revertitur de nostre licentia majestatis, fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus ipsum cum tribus roncinis suis cum quibus ad presentiam nostram accessit, duobus scuteriis et aliis rebus suis sine impedimento transire permictas.

Datum [*ut supra*].

Fogiae, 5 maii. Mandata ad Andream de Cicala et Rogerium de Amicis capitaneos quod formam de officiis judicum, notariorum, medicorum, cirurgicorum et advocatorum nuper statutam publicari faciant.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 recto; in edit. Carcan., p. 240.)

Digitized by Google

De imperiali mandato facto per magistros R. de Trajecto et R. de Camera scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., A. de Cicala capitaneo et magistro citra portam Roseti, etc. Quia statutam nuper in curia nostra formam de judicum, notariorum, medicorum, cirurgicorum, et advocatorum officiis, per regnum nostrum volumus observari, mandamus quatenus per singula loca jurisdictionis tue facias firmiter et publice prohiberi ne aliquis officialium predictorum aliquod officium ex predictis de cetero audeat exercere, nisi prius ad nostram curiam personaliter veniat et obtineat officium in quo per nostram curiam fuerit approbatus.

Datum Fogie, V madii, XIII indictionis.

Similes R. de Amicis capitaneo et magistro justitiario ultra portam Roseti, etc.

Mandata ad secretum Siciliae et ad justitiarium Siciliae de mercatoribus quibusdam quietandis pro pecunia quam curiae fuerunt mutuati, ita quod justitiarius de collecta Siciliae secreto mille uncias et Angelo Frisario duo millia assignet. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 recto; in edit. Carcan., p. 241.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Obberto Fallamonacho secreto in Sicilia, etc. Dudum cum quibusdam mercatoribus fidelibus nostris mutuorum debita contrahentes, mandavimus Majori de Plancatone quondam secreto Messane ut secundum tenorem licterarum patentium quas ipsis de quantitate mutuata nobis singulis fecimus, in terminis contentis in eisdem licteris quietaret predictos mercatores. Verum cum predictus Major amotus sit ab officio secretie et nos mercatores ipsos per (a) te quietari velimus,

(a) In impresso *pro*, minus recte.

Digitized by Google

fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus omnes mercatores predictos quos ad dictum Majorem quondam secretum miseramus solvendos, receptis ab eis licteris nostris patentibus quas habent de quantitate pecunie quam habere debent et clausis etiam quas dicto quondam secreto mictebamus pro facienda solutione mercatoribus ipsis, secundum formam et tenorem earum, licet in eis nomen predicti quondam secreti contineatur, si per eum inveneris integre non solutos, tu de pecunia curie nostre que est per manus tuas mercatores ipsos studeas quietare, sic in eisdem solvendis diligens et studiosus existens ne per moram curia nostra incurrat dispendia usurarum. Tu vero de solutione quam ipsis [feceris], fieri facias competentia scripta ad cautelam curie nostre, et nichilominus licteras nostras quas habent tam patentes quam clausas recipias ab eisdem.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Similes scripsit eidem pro Johanne Carboncello et fratre ejus mercatoribus de solvendis unciis CVII ad generale pondus, pro mutuo quod fecerunt in camera.

Similes pro Petro de Algaruoho et sociis mercatoribus Romanis.

Fol. 7 verso. | *De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit G. de Cusentia :*

Fredericus, etc., Petro de Calabria justitiario totius Sicilie, etc. Cum Obberto Fallamonacho doanerio de secretis, etc., dedimus per nostras licteras in mandatis ut quosdam mercatores qui camere nostre pecuniam mutuarunt, quietare debeat in presenti, et quia quantitas pecunie quam habere debent et solutionis terminus imminet e vicino, in quo si quietati non essent, curia nostra dampnum incurreret usurarum, ad evitanda dampna ipsa providimus quod cum idem secretus de quantitatibus secretie sufficientem pecuniam non habeat in presenti, de pecunia collecte Sicilie usque ad M uncias eidem secreto debeas (*a*) mutuari quibus predictos mercatores expediat; quas uncias idem secretus postmodum de proventibus secretie quam primo receperit tibi debeat resignare pro

(*a*) In impresso *debeat*, male.

expediendis mercatoribus antedictis, quos postmodum de proventibus curie nostre qui sunt per manus ipsius ad opus curie nostre recipias citius quam fieri poterit, ut per manus tuas nostre curie assignentur.

Datum [*ut supra*].

Similes scripsit eidem pro Angelo Frisario, de mutuandis ei duobus millibus unciis de collecta predicta, pro mercatoribus quietandis.

Mandatum ad provisorem castrorum in Sicilia citra flumen Salsum ut castellano Scalectae pro munitione castri hujus solidos et companagia quae non recepit, exhibere debeat. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 verso; in edit. Carcan., p. 241.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Trajecto scripsit G. de Cusentia :

Fredericus, etc., Johanni Vulcano provisori castrorum in Sicilia citra flumen Salsum et per totam Calabriam, etc. Significavit culmini nostro Matheus Salvagius castellanus Scalecte, fidelis noster, quod pro munitione castri nostri Scalecte a preterito mense septembris usque per totum mensem novembris qui sunt menses tres hujus XIII indictionis, solidos et companagia pro personis in eodem castro statutis, sicut habere debuit, non recepit; pro eo quod obeunte quondam Matheo Marchafaba secreto, nondum erat in ipsis partibus aliquis provisor castrorum statutus, et licet postmodum per Jordanum Filangerium quondam capitaneum in partibus ipsis a mense decembris in antea solidos et companagia recepisset, pro tribus tamen predictis mensibus ab eo vel ab aliquo, sicut asserit, non recepit. Quare mandamus quatenus si tibi constiterit predictum castellanum pro jamdictis tribus mensibus, sicut dictum est, solidos et companagia non recepisse ab aliquo, tu secundum quod habere debuit eidem solidos ipsos et companagia debeas exhibere.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Digitized by Google

Fogiae, 6 maii.

Mandatum ad universos a Barulo usque Barum quod judici R. de Sancto Severo favorem praebeant, ad id misso ut idoneam fidejussionem a Majore de Plancatone quondam secreto recipiat et delationi factae contra Philippum Achillonem assistat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 7 verso; in edit. Carcan., p. 241-242.)

De mandato facto per magistrum Petrum de Vinea scripsit G. de Tocco patentes licteras :

Fredericus, etc., universis a Barulo usque Barum, etc. Quia mictimus judicem R. de Sancto Severo fidelem nostrum pro recipienda idonea et sufficienti fidejussione pro parte curie (*a*) a Majore de Plancatone de Baro fideli nostro in quantitate quatuor millium unciarum, de ponenda videlicet ratione curie nostre de amministratione quam dudum gessit in Aprutio et quam nuper gessit in Sicilia et Calabria de officio secretie, et ut assistat delationi facte contra Philippum Achillone fidelem nostrum et probet que in delatione comprehendit, et de solvendis CC unciis curie nostre in quibus sicut alii officiales curie est taxatus, fidelitati vestre precipiendo mandamus quatenus eidem judici R. curetis assistere ad requisitionem ipsius, opere, consilio et favore, qualiter commissum sibi presens servitium studiose et fideliter exequatur.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Eodem die ibidem de eodem mandato scripsit P. de Capua ad universos castellanos justitiariatus Aprutii quod ad requisitionem Criscii Amalfitani camerarii Aprucii dent sibi de servientibus castrorum ipsorum pro serviciis curie faciendis.

(*a*) Ibi additur *qui;* unde sensus omnino turbatur.

Digitized by Google

Litterae responsales Angelo Frisario de frumento emendo et postea melius vendendo ad curiae commodum, de granario curiae statuendo in domo Riccardi de Montenigro apud Augustam, de expensis nuntiorum, de frumento novo ad valorem unciarum auri quingentarum ammirato regni assignando. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 recto; in edit. Carcan., p. 242.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit notarius R. de Salerno :

Fridericus, etc., Angelo Frisario, etc. Significasti celsitudini nostre quod si de pecunia curie nostre que est per manus tuas, emeres de frumento jurisdictionis tue, sive vendendo illud in portubus tibi commissis sive mictendo illud ad vendendum extra regnum, posset commodum nostre curie procurari. Tibi taliter respondemus quod placet nobis quod frumentum de pecunia curie nostre emas in jurisdictione tua, et illud sive in portubus ipsis vendas sive mictas ad vendendum extra regnum, ut tibi melius videbitur ad nostre curie commodum expedire, sicut significasti . . . . g . . . . de quinta parte utilitas curie nostre proveniat. Super eo vero quod significasti granarium curie nostre quod est in Augusta ita devastatum esse quod victualia que ibidem reponuntur, putrescunt et devastantur, unde curia nostra ex eo singulis annis non modicum incurrit detrimentum, propter quod bonum videtur tibi quod victualia ipsa in domo que fuit Riccardi de Montenigro justitiarii Terre Laboris, fidelis nostri, que est in Augusta, reponi debeant ad utilitatem nostre curie procurandam, volumus et mandamus quod si est ita sicut scribis, in domo predicta ad utilitatem curie nostre de cetero victualia reponantur, donec granarium nostrum reparetur de pecunia curie nostre, sicut utilitati fisci nostri expedire reperietur. Super eo vero quod scripsisti te oportere expensas facere tam in notariis et hominibus necessariis

quos statuis iu portubus ipsis pro servitiis nostris quam pro nunciis quos mictis aliquando necessario ad presentiam nostram et alibi pro necessariis et utilibus servitiis nostris, et petisti ut expensas ipsas mandaremus in tuis ratiociniis computari, placet nobis ut moderatas necessarias expensas et utiles quas facis tam pro notariis et hominibus supradictis quam pro nunciis, ut est dictum, in tuis debeant ratiociniis computari. Quod autem scire petis unde debeas dare Nicolao Spinule regni Sicilie ammirato de frumento novo ad valorem unciarum auri quingentarum, vel a quo illud recipere debeas et assignare sibi juxta quod per licteras nostras tibi dedimus in mandatis, fidelitati tue mandamus quatenus veniente tempore quo illud debeas ei dare, de pecunia curie nostre que est per manus tuas emas frumentum novum, et sive de frumento ipso sive de eo quod pervenerit de portubus sive aliunde, prout melius ad opus curie nostre videris expedire, frumentum illud dicto ammirato assignes juxta priorum nostrarum continentiam licterarum.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Fogiae, 6 maii.

Mandatum ad universos collectores praesentis collectae per Principatum et terram Beneventanam pro assignanda pecunia Stephano de Romoaldo.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 recto; in edit. Carcan., p. 242.)

De mandato imperiali facto per magistrum T. de Suessa scripsit A. de Capua:

Fredericus, etc., universis collectoribus presentis collecte per Principatum et terram Beneventanam constitutis, etc. Ecce quod Stephanum de Romaldo latorem presentium, fidelem nostrum, ad partes ipsas duximus destinandum pro recolligenda pecunia presentis collecte et ad cameram nostram cum summa festinancia deferenda. Fidelitati vestre mandamus quatenus totam pecuniam quam recollegistis et habetis de predicta col-

Digitized by Google

lecta vel etiam habituri estis, qnam cum instantia recolligi volumus, eidem S. (a) assignare cnretis, per eum ad nostram cameram deferendam. Et ecce quod Thomasio de Montenigro, justitiario Principatus et terre Beneventane, damus nostris licteris in mandatis nt eidem S. assistat consilio, auxilio et favore qualiter pecunia imposita citissime habeatur, vos (b) si desides invenerit vel remissos cohercione debita compellendo.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Justitiario Principatns facte sunt lictere qnod assistat eidem consilio, anxilio et favore, collectores predictos cohercione debita compellendo.

Mandatum ad Andream de Cicala capitaneum quod statutis super demaniis et revocatis in Principatu, Terra Laboris, Basilicata, Terra Idronti, terra Bari et Capitinata injungat ut incontinenti ad curiam accedant. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 verso; in edit. Carcan., p. 243.)

De imperiali mandato facto per magistrum R. de Camera scripsit Procopius :

Fredericns, etc., A. de Cicala capitaneo et magistro jnstitiario a porta Roseti, etc. Mandamus et precipimns fidelitati tue quatenus statim visis hys licteris injungas firmiter et districte judici Rogerio de Bulzino, judici Matheo de Padul., judici Georgio de Lictera, judici Rogerio. . . . . ., Jacobo judicis Leonis de Cap. . . . . ., Ursoni Guizulo notario, Petro de Sancto Gregorio (c), Constantino Pappacarbone, Thomasio judicis Bernardi et Philippo Bisone, dudum statutis super demaniis et revocatis in Principatu et terra Beneventana; — item judici Johanni de Cap. . . . ., Selvatico de Capua et heredibus Johannis

(a) In impresso hic et infra *sibi*, male; quod e codice Phillippsensi emendamus.

(b) In impresso *eos*, minus recte.

(c) In cod. Phillippsensi *de Sancto Manzo.*

Digitized by Google

Car. . . . . . . et Ugoni. . . . . . , Jacobo Capice, Atthenasio Guactulo, Bartholomeo de Thora, Johanni de Adenulfo et Johanni Peregrino Iadusio (*a*). . . . . .statutis super demaniis et revocatis in Terra Laboris et comitatu Molisii; — item judici Leoni de Juvenatio et judici Petro de Venusio statutis in Basilicata; — item Johanni Pironto et Nicolao Dragoni, statutis in Terra Idronti; — item judici Majori de Juvenatio, judici. . . . . et judici Johanni de Baro de Carofilio, statutis in terra Bari; — item judici Guirrasio Sinocha de Neapoli et Johanni filio Renaldi de Civitate, statutis in Capitinata et monte Sancti Angeli, ut incontinenti omni mora et occasione remotis, ad curiam nostram accedant, deferentes secum omnes rationes curie nostre quas habent de officiis que gesserunt.

Datum Fogie, VI (*b*) madii, XIII indictionis.

Fogiae, 6 maii.

Mandatum ad Angelum Frisarium de duobus portubus, Augusta et Melacio, statutis in jurisdictione ejus, a quibus tantum victualia extrahantur extra regnum.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 verso; in edit. Carcan., p. 243.)

Mandante domino imperatore per magistrum Riccardum scripsit R. de Salerno :

Fredericus, etc., Angelo Frisario, etc. Notum facimus fidelitati tue quod in curia nostra nuper est ordinatum quod in jurisdictione tua duo portus debeant esse, in Augusta videlicet et Melacio, a quibus tantum victualia extrahantur extra regnum, salva quinta parte quam nostre curie applices. Quare tue fidelitati precipiendo mandamus quatenus in eisdem portubus statuas fideles et probos viros qui jura curie nostre ibidem juxta quod statutum est fideliter recipiant ad opus nostrum, et homines qui vic-

(*a*) In cod. Phillipps. *Parisio*.

(*b*) In impresso *V*, sed forsitan omisso unitatis signo.

tualia jurisdictionis portent illuc ad vendendum sive per mare sive per terram, prout commodius videris expedire, cautus existens quod curia nostra per alicujus astutiam nullum ex hys dampnum vel lesionem incurrat.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Responsales ad ammiratum regni quod expensae utiles et necessariae quas pro nunciis fecerit, in ejus ratiociniis computentur. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 verso; in edit. Carcan., p. 243.)

De imperiali mandato scripsit R. de Salerno :

Fredericus, etc., Nicolao Spinule ammirato, etc. Significasti celsitudini nostre quod pro necessariis serviciis nostris te oportet expensas facere in nunciis quos aliquando ad presentiam nostram mictis et alibi pro utilitatibus curie nostre, et petisti ut expensas ipsas in tuis mandaremus ratiociniis computari, ad quod tibi taliter respondemus : placet nobis ut expense utiles et necessarie et moderate quas facis pro nunciis, ut est dictum, in tuis debeant ratiociniis computari.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Mandatum ad magistros siclae Messanae ut omnem pecuniam quam habent de sicla, secreto Siciliae assignent. Fogiae, 6 maii.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 verso; in edit. Carcan., p. 243.)

De imperiali mandato facto per magistrum Albertum scripsit Laurentius :

Fredericus, etc., magistris sicle Messane auri et denariorum, etc. Cum Obberto Fallamonacho fideli nostro per totam Siciliam officium secretie duxerimus commictendum, mandamus quatenus omnem pecuniam quam

Digitized by Google

habetis de sicla nostra, receptis hys licteris assignetis ei ad opus curie nostre, respondentes et intendentes eidem de cetero de sicla et ejus proventibus, ut de ipsis juxta provisionem et ordinationem ipsius de cetero ad nostre curie commodum disponatur.

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Fogiae, 6 maii.

Mandatum ad Majorem de Plancatone quod suorum quaternionum Obberto secreto Siciliae copiam faciat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 8 verso; in edit. Carcan., p. 243.)

Item scripsit R. de Salerno de mandato magistri Petri de Vinea :

Fredericus, etc., Majori de Plancatone, etc. Mandamus quatenus ad requisitionem Obberti, etc., facias ei copiam quaternionum quos habes et continent jura nostra, venditiones et locationes bajulationum et residuorum pecunie nostre in Sicilia citra flumen Salsum, ut habito exemplo de eis, omnia ad opus curie nostre requirere valeat et habere (*a*).

Datum Fogie, VI madii, XIII indictionis.

Fogiae, 10 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro de Calabria justitiario in Sicilia mandat ut cum Guillelmus de Anglono, dudum justitiarius Siciliae citra flumen Salsum, Galvano Lanceae, Hermanno et Caczaguerrae uncias auri superius expressas non exsolverit, pse quantitatem praedictam eisdem exhibere debeat.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 90 verso. Vid. supra, p. 860.)

Datum Fogie, X madii, XIII indictionis.

Eodem die Fridericus scripsit Oberto Fallamonacho secreto per totam

(*a*) In codice Phillippsensi *habeat*.

Siciliam ut necessaria debeat exhibere Jacobo de Lentino, pro munitione castri Carsiliati ejus custodiae commissi. *Ibid.*, fol. 105 recto. *Vid. supra*, p. 938.

Principes imperii tam ecclesiastici quam laici summum pontificem suppliciter monent quod suo cum imperatore dissidio finem imponere velit, dum plurima mala Germaniae et orbi christiano abinde immineant, petuntque ut fratri Conrado ordinis Theutonicorum magistro, quem ad ejus pedes mittunt, fidem adhibeat. 2 aprilis. 11 maii.

(Edit. ap. Pertz, *Monum. Germ. histor.*, t. IV, p. 334-336, ex *Gregor. IX regest.*, t. V, ann. X, fol. 255, 256.)

Sanctissimo in Christo patri ac domino reverendo G. sacrosancte Romane ecclesie summo et universali episcopo, C. Dei gratia sancte Coloniensis ecclesie humilis minister, L. Wormatiensis, L. Monasteriensis et E. (*a*) Osnaburgensis episcopi devota pedum oscula beatorum. Cujus nutrimur ab uberibus sancte matris ecclesie ejus, pater sanctissime, pontificem et pastorem nostris adimus alloquiis confidenter, in sinceritate pure devotionis vobis aperientes, occasione discordie que inter vos et dominum imperatorem suborta est, persuasione humani generis inimici, diversa heresum germina hinc inde per mundi domicilia subcrescere, seditiones plurimas, guerras, bella, homicidia, et ut plura paucis perstringamus, tot mala enormia et inaudita quod nisi paterna vestra pietas caritatis zelo hiis duxerit occurrendum, timemus fidei catholice tam grave periculum imminere a quo vix adjiciet ut resurgat. Eadem quoque discordia, ut de omnibus aliis malis concurrentibus taceamus, est et erit occasio quare Sancte Terre et Crucifixi negotium non geratur. In ea itaque fide qua fidem catholicam amplectimur et Romanam ecclesiam veneramur, si dominus imperator non possit ad concordiam revocari, licet sub rerum periculo et personarum, partem tamen sancte matris ecclesie, prout

(*a*) Scilicet *Conradus*, *Landolfus*, *Ludolfus* et *Engelbertus*.

Digitized by Google

tenemur, sicut filii obedientie, juxta puram conscientiam foveremus; sub ejusdem quoque fidei debito vos certum reddimus quod hec ei unde similiter scripsimus et expresse. Cum ergo scripserit in omnes terras quod stare velit juri, supplicamus sanctitati vestre quatinus matri nostre que per dilatationem et tutelam imperii pacis et salutis recipere debuit incrementa, compatientes misericorditer, vero Dei amatori fratri Courado, venerabili magistro hospitalis Sancte Marie Theutonicorum Ierosolimitani (1), quem pro tranquillitate et pace caritatis dono ditavit Dominus, quem etiam specialiter vestrum et Romane ecclesie sincerum zelatorem novimus, transmisso ad pedes sanctitatis vestre, inspicientes benigne Ecclesiam Dei et tempestates in ea subortas et quomodo in partibus transmarinis Crucifixi negotium retardatur, benignam audientiam concedatis et vera credatis que proposuerit super istis, et ea recipere dignemini cum effectu. Commisimus siquidem ei ut si de voluntate vestra ex principibus aliquem viderit in eodem negotio oportunum, ut et illum confidenter requirat ad occurrendum sibi in salutem nominis christiani.

Datum apud Coloniam, VIII aprilis.

In eumdem modum scripserunt C. Frisingensis, F. Eistadensis et E. Brixinensis episcopi super eodem.

In eumdem modum scripsit B. Argentinensis episcopus super eodem.

In eumdem modum scripsit C. Spirensis episcopus super eodem.

In eumdem modum scripsit H. Erbipolensis episcopus.

Datum apud Herbipolim, VI nonas maii, XIII indictione, anno pontificatus nostri quinto decimo (2).

In eumdem modum scripsit Theodericus Treverensis archiepiscopus super eodem.

In eumdem fere modum scripsit H. lantgravius Thuringie, comes Palatinus Saxonie, *usque* ecclesiam veneramur, si constaret quod per dominum nostrum imperatorem mala hujusmodi succrevissent aut quod nollet

---

(1) Ille Conradus de Thuringia qui Hermanno de Saltz noviter defuncto successerat, paulo post apud Romam in legatione sua circa ultimos mensis julii dies ipse vita functus est.

(2) Scilicet 2 maii 1240.

ad concordiam revocari, quanquam ipsi sicut tenemur in jure suo deesse non possimus aliquo tempore aut velimus, tamen tanquam devoti filii partem matris Ecclesie foveremus, sub ejusdem fidei debito vos certum reddere cupientes quod hec domino nostro imperatori nude similiter scripsimus et expresse. Non lateat etiam sanctitatem vestram imperialis virtus et potestas, propter que leve non est tantum Romanorum principem, plurium regnorum regem in patrimonio habundantem injuriose vexari, dum juris parere desiderat equitati; certe, pater, fides devotorum imperii ut cessent premissa se potenter opponeret et patenter (1); nec credatis aliud assentatori alicui contrarium suggerenti, qui dum privatam causam suam egerit, Ecclesiam et vos deseret, et ejus falsa suggestio et perfidia elucescent. Igitur compatientes matri nostre que per dilatationem et tutelam imperii pacis et salutis recipere debuit incrementa, compatientes etiam domino et imperatori nostro quod tribulationes et mala premissa sunt hiis suis temporibus reservata, de communi consilio principum, baronum et nobilium qui aderant, fratrem nostrum Conradum, magistrum domus Theutonicorum, zelum Dei ut speramus habentem, quem etiam specialiter vestrum et ecclesie Romane sincerum zelatorem novimus, eligentes, ad pedes sanctitatis vestre duximus transmittendum, cum humilitate omnimoda supplicantes quatinus in eo modo quo modus est modum in pacis et concordie adjectionibus non tenore Ecclesiam Dei, etc., *ut supra usque :* Commisimus siquidem ei ut si de voluntate vestra ex nobis viderit aliquem in eodem negotio oportunum, etc., *usque* nominis christiani; sicque erimus expectantes, donec de responso sedis apostolice et domini nostri imperatoris ab eodem fratre nostro dilectissimo plenius instruamur.

Datum Herbipoli, XI maii, XIII indictionis.

In eumdem modum scripserunt H. Brabantie, Matheus Lothoringie, Henricus de Linpurc duces; Otto Gelrensis, Henricus Seinensis, Arnoldus de Los, Willelmus Juliacensis, Henricus de Luzeleuborc comites, et Wale-

(1) Notandum est quod de re eadem acriori stylo Albertus Stadensis ad ann. 1240 exaravit, quum dicat : « Papa Gregorius insolentias imperatoris contra Ecclesiam metuens, principes super electione alterius sollicitavit, sed nihil profecit quia quidam principum ei rescripserunt : « Non esse sui juris imperatorem substituere, sed tantum electum a principibus coronare. »

Digitized by Google

ramus de Linpurc *usque* qui aderant, verum Dei amatorem fratrem Conradum venerabilem magistrum hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum *etc., usque* sicque erimus expectantes, donec de responso sedis apostolice et domini nostri imperatoris ab eodem viro venerabili plenius instruamur.

Datum apud Leodium, II intrantis aprilis.

Sanctissimo in Christo patri ac domino suo Gregorio, sacrosancte Romane ecclesie summo pontifici, S. Dei gratia archiepiscopus Maguntinus debitum plene subjectionis et obedientie famulatum. Occasione discordie, pater sancte, inter vos et dominum imperatorem exorte mala guerrarum per universam terram exurgunt, et disponuntur in dissentiones et discidia nationes tam in partibus transmarinis quam etiam cismarinis; et preter id, quod maximum estimatur, impeditur ex eo negotium Terre Sancte, si tranquillitatem et pacem misericordia Salvatoris non miserit inter partes. Verentur omnibus hiis majora et catholice fidei graviora, nisi medelam quam potestis discordie hujus morbo per sapientiam desuper vobis datam curaveritis adhibere. Ideoque sanctitati vestre humiliter supplicamus et consulimus quantum licet ut et que premissa sunt et que poterunt provenire misericorditer intuentes, eis que concordie sunt et pacis, vestram clementiam acclinetis et super premissis fratrem Conradum venerabilem domus Theutonice transmarine magistrum, virum utique religiosum ac providum et discretum, misericorditer audiatis. Et si ad concordiam reformandam presentia nostra visa fuerit oportuna, pro reverentia matris nostre Romane ecclesie ac populi sui salute parati erimus nos exponere tam laboribus quam expensis.

Datum Gastele, XII kalendas maii, pontificatus nostri anno decimo.

Sanctissimo in Christo patri et domino G., Dei gratia sancte Romane ecclesie summo pontifici, S. Augustensis episcopus cum subjectione debita et famulatu pedum oscula beatorum. Vestre cum pluribus scribere presumo sanctitati quod si turbines bellorum, lamenta pauperum, personarum et rerum ecclesiasticarum oppressio que variis in locis et specia-

Digitized by Google

liter in Alemannia succrescunt plenius vestre paterent magnificentie, per amplius consuetam vestre paternitatis pietatem ad horum moverent curationem. Cum autem ex discordia que inter vos et dominum imperatorem est oborta, talia pullulare videantur et principes Alemannie de vestra confisi clementia pro discordia ipsa sopienda fratrem C. in magistrum domus hospitalis Sancte Marie Theutonicorum electum ad vestram transmiserint presentiam, estimantes eum filium vobis in Christo specialem et tam genere quam religione et morum honestate decoratum, supplico cum ipsis clementie vestre quatinus ipsum gratiose super generali principum et totius Alemanie petitione audiatis, et misericorditer discordiam supradictam sopiri sinatis, petitionem vobis transmissam et omnium fidelium Christi deprecationem èxaudientes. Super quo et domino imperatori cum principibus ceteris litteras transmisi, commonendo et rogando ut ad ipsam discordiam extinguendam digna devotione se curet inclinare.

Sanctissimo patri ac domino suo G. summo Romano pontifici, Dei gratia O. dux de Brunswic paratum semper cum debita reverentia famulatum. Antiqui hostis versutia tantam in se continet pravitatem, sicut vestra sanctitas non ignorat, quod tempore scismatis et discordiarum insidiari temptare pariter et nocere consuevit, eo amplius quo magis faciliorem reperit aditum malignandi. Ecce siquidem ex dissensione et controversia excellentie vestre ex parte una et domini nostri imperatoris ex altera excreverunt jam et pullulant tanta mala quod tota christianitas in continuo merore posita exinde affligitur nimium et turbatur, et vere metuendum est quod nisi divina pietas ad bonum pacis et concordie breviter interposuerit partes suas, duriora preteritis malis mala et pejora debeant prioribus evenire. Inde est quod supplicamus attentius reverentie vestre et in quantum fas est et nos audemus, clementiam vestram habemus propensius exoratam quatinus Deum habentes pre oculis et necessitatem totius orbis salubriter intuentes, venerabili fratri C. magistro hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem in vestra gratia et licentia concedatis internuntium et mediatorem esse de compositione inter vestram sublimitatem et predictum dominum imperatorem amicabiliter

facienda. Aliis enim principibus securus non patet accessus ad vos vel ad ipsum hoc tempore veniendi, et si tandem aliqui eorum secure ad vos possent accedere vel ad ipsum, alteri partium forte redderent se suspectos; et ideo mediator et internuntius magis idoneus quam idem magister domus Theutonicorum non potuit nunc haberi.

Reverentissimo domino suo et patri in Christo karissimo G. sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, A. Dei gratia dux Saxonie cum obsequio fideli orationes et pedum oscula beatorum. Cum ex discordia que inter vos ex una et dominum imperatorem ex parte altera vertitur et habetur, tota sit christianitas perturbata, sanctitati vestre supplicamus humiliter, pater sancte, quatinus consideratis casibus universis qui ex tali possunt discordia provenire, cum ipso domino imperatore tum pro nomine Jesu Christi, tum pro nostri obsequii interventu, accedere dignemini ad concordie unionem, et fratrem Conradum quondam lantgravium mediatorem inter vos existere permittatis; hoc precipue considerato quod sine regno et sacerdotio prevalere non potest religio christiana.

Reverendo domino ac patri suo G. sancte Romane sedis antistiti, J. et O. Dei gratia marchiones et fratres de Brandeborch debitam cum devoto servitio reverentiam in domino Jesu Christo. Cum ex dissensione inter reverentiam vestram ex parte una et dominum nostrum imperatorem ex altera suscitata, diabolo persuadente, tanta jam per totam christianitatem mala emerserint quod major est timor et anxietas de futuris, nisi divina dispositio per angelum pacis et consilii remedium inducat, excellentie vestre devotissime duximus supplicandum quatinus tum pro Deo, tum pro necessitate totius populi christiani cujus salus in vestra et domini imperatoris concordia et tranquillitate videtur consistere, concedere ac licentiare curetis ut frater C. honorabilis magister hospitalis Sancte Marie domus Theutonicorum in Jerusalem laborem et sollicitudinem sumat tanquam internuntius et fidelissimus mediator, tractaturus inter vos et predictum dominum imperatorem de compositione amicabiliter facienda. Alius enim princeps tam propter difficultatem et viarum pericula quam

propter suspicionem que sibi posset ex altera partium generari, nondum esset hoc tempore adeo utilis et idoneus sicut predictus magister in hoc negotio feliciter exequendo. Copiam sigillorum nostrorum non habuimus ista vice, et ideo litteram istam sigillo matris nostre fecimus sigillari.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit regi Castellae gratum sibi fuisse filii ejus Friderici conspectum quem nepotem appellat, seque ipsi magnifice provisurum pollicetur. [Maio circiter.]

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1163, n° XXXIV; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds S.-Germain-Harlay*, 455, pars III, n° XLV.)

Fridericus, etc., regi Castelle, etc. Inter cetera que ad presens grata culmini nostro serenitas regia facere potuit, illud pervenit gratius ad cor nostrum quod Fridericum dilectum filium vestrum carissimum nepotem nostrum presentare nostris aspectibus voluistis (1); in cujus visione facti sumus tanto magis gaudentes quanto in ipso matris sue quondam sororis nostre (2) dulcedinem redolemus et ipsius conjicimus regiam indolem ex ingenuitate morum et gestuum perfectiorem ac cesaree susceptibilem discipline, quem inter ulnas nostras grate recepimus et paterna ipsum dulcedine sumus amplexi. Et sic ad eum favorem, affectum nostrum et gratiam intendimus fundere, Domino prosequente, ut morte matris ejus affinitatis vinculum inter nos dissolutum minime videatur, et quod serenitas regia gaudeat in signum totius dilectionis et affinitatis integre ex latere filium ad avunculum destinasse, et ipse se lacte paterne dulcedinis non reputet abdicatum.

---

(1) « Eodem mense (aprili 1240), filius regis Castellae ad imperatorem apud Fogiam venit. » *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ad annum.

(2) Agitur de Beatrice filia Philippi Suevi Romanorum regis quam Fernandus uxorem habuit, anno 1235 defuncta; consobrina vero erat Friderici secundi, non soror. Vid. supra, t. IV, p. 798 et not. 1.

[Maio circiter.] Fridericus, Romanorum imperator, Panormitanis scribit cum magno fidelitatis praeconio se corporali sospitate gaudentem in regno quiescere.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. epist.*, lib. III, cap. 3, cum hoc titulo : *Panormitanis felicem statum suum et quod de Lombardia rediit in regnum.* — Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, p. 1216, n° XCVII, cum hoc titulo : *Rex universitati Messane.* — Inveges, *Annal. di Palermo*, t. III, p. 619, ex Ms. Normann. D. Antonini de Amico.)

Fridericus, etc., Panormitanis fidelibus suis, etc. Innatum vobis placide devotionis affectum quem vestrarum litterarum series perlecta descripsit ac providi viri vestre voluntatis interpretes coram nobis secretius expresserunt, favorabiliter prosequi fidelitatis auctoritas illa vos allicit quam generalitas antiquitus radicavit in Siculis et specialiter gratifica propagavit in vobis. Et licet non expediret vestre sinceritatis indicia litteris aut nuntio vel voce depromere quam servitiorum et operum rectitudo dilucidat et gratam nostris affectibus actualiter representat, eo tamen libentius ad universitatis vestre commoditatem inducimur quo zelo pie devotionis accensi mandatis nostris semper annuitis et nostre serenitatis avidi de persone nostre successibus exquiritis recreari. Ad hoc igitur nedum vos nostrum timere dominium, sed quod est in subditis virtus eximia, nostram vos affectuosius honorare personam probabiliter experimur, sicque per unum ad vestra nos redditis vota propitios et per alterum tanquam per debitum ad commoda vestra benevolos invocatis. Ecce itaque petitionibus vestris consona votis nostris de statu nostro nova describimus : quod faciente dextera Regis regum, corporali gaudemus beneficio sospitatis et corporis nostri membra dudum in Italicis partibus laboribus belli fatigata regni nostri quiete deliciosa reficimus, et ad nostrorum detrimenta rebellium statumque fidelium pacificum procurandum, continua, quin potius studiosa deliberatione pensamus.

Datum, etc.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, Oberto Fallamonacho secreto Siciliae mandat ut capellam Graecorum apud Messanam ad demanium curiae revocare debeat. Apud Apicem, 16 maii.

(*Regestum*, fol. 106 recto; Cf. supra, p. 943.)

Postmodum enim mutato Majore de Plancatone scriptum est Obberto Fallamonacho secundum eamdem formam :

Fredericus, etc., Fallamonacho secreto Sicilie, etc. Intellexit serenitas nostra quod quedam cappella Grecorum (*ut supra usque ad* revocare, *his additis :*) [et] quicquid inde feceris et inveneris curie nostre studeas intimare.

Datum apud Apicem (1), XVI madii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro de Castaldo, magistro procuratori curiae loco Alexandri filii Henrici statuto, denuo mandat ut Henrico Baumo de Wienna mercatori 4462 ½ salmas frumenti assignari faciat pro quietatione mutui. 17 maii.

(*Regestum*, fol. 54 verso; Cf. supra, p. 677.)

Fredericus, etc., P. de Castaldo magistro procuratori curie, etc. Noveris quod Henricus Baumo de Wienna mercator (*ut supra, verbis competenter mutatis, usque ad* preterquam Venetias) et eidem Alexandro super hys misimus scripta nostra. Qui cum ea non fuerit executus, firmiter mandamus quatenus presenti estate de novo frumento curie nostre pre-

(1) Locus in Principatu tribus leucis Benevento distans.

Digitized by Google

dictas salmas quatuormilia quadrengintas LXII¹/₄ Josepho de Brundusio et Diethmaro presentium latoribus pro parte dicti Henrici in portu aliquo jurisdictionis tue expedite facias exhiberi, extrahenda per eos libere et sine aliquo jure predicto et preterquam Venetias et Jannam deferenda; patentes etiam licteras nostras ab eis et ad curie nostre cautelam scriptum competens recepturus.

Datum............., XVII madii, XIII indictionis.

Neapoli, 26 maii.

Fridericus, Romanorum imperator, bajulis Baroli mandat ut Cataldo Mustattio falconerio suo expensas juxta assisiam curiae dare procurent.

(*Regestum*, fol. 29 recto; Cf. supra, p. 532 et not. 1.)

Datum Neapoli, XXVI madii, XIII indictionis.

Apud Capuam, maio.

Fridericus, Romanorum imperator, in recompensationem fidelitatis Cumanorum, plebem Porleze, vallem Soldi, Tellium et ea quae in districtu Cumano ad ecclesiam Mediolanensem pertinebant, propter hujus ecclesiae proditionem, eis concedit cum tenementis et pertinentiis, salvo mandato et ordinatione imperiali.

(Inedit. ex archivo comm. Cumar., libr. I, *Veter. monum.*, regist. pergam., fol. 66 verso, 67 recto.)

Fredericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Cesareis accedit titulis et honori si fidelium merita providentia principis liberaliter intuetur et eos in bonis rebellium ampliat, presertim quos pro fidelitate sua et imperii quamplura constat persona-

Digitized by Google

rum et rerum dispendia pertulisse. Sic enim colletantur emeriti se favoris imperialis gratiam assecutos et id sibi premio meruisse virtutis quod ad vindictam et jacturam hostium eis acquiritur et accrescit. Hinc est itaque quod presentis scripti serie notum fieri volumus universis tam presentibus quam futuris Cumanos fideles nostros, de sua fide ac servitio confidentes, devotas preces nostro culmini porrexisse quatinus plebem Porleze, vallem Soldi, Tellinm et ea que sunt in districtu Cumano ad ecclesiam Mediolanensem spectantia, que propter communionem hostium et manifeste prodicionis facinus que precipue persone tam publice quam private que sunt et dicuntur ecclesia, ex lese majestatis crimine commisisse noscuntur, ad nostrum et imperii demanium juste susceptionis titulo fuerant devoluta, sibi concedere dignaremur. Nos igitur attendentes dampna et pericula civitatis Cumane que pro fide nostri nominis sustinuerunt ab inimicis Mediolanensibus et sustinent incessanter, personas et omnia bona eorum ad honorem nostri nominis exponentes, predictam plebem, vallem Soldi, Tellinm et ea que sunt in districtu Cumano ad ecclesiam Mediolanensem spectantia, eidem civitati Cumane et universis civibus duximus ex imperiali auctoritate de favore nostri culminis concedenda cum omnibus tenimentis et pertinentiis eorumdem, ut de cetero ipsorum possessione, jurisdictione, rationibus, juribus et ceteris que ad predictam ecclesiam pertinebant, gaudeant et fruantur, salvo in omnibus et per omnia mandato et ordinatione nostra, imperiali justitia et servitio, sicut per eamdem ecclesiam imperio debebantur. Ad hujus autem nostre concessionis memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri jussimus majestatis nostre sigillo munitum.

Hujus rei testes sunt B. Panormitanus, J. Capuanus et ... Tarentinus archiepiscopi; Taurinensis, Ravelensis et Casertanus episcopi; Fridericus filius regis Castelle, T. comes Acerrarum, G. comes de Lomello, Opitio de Canevanova Papiensis, Bertramus de Petra et Guillelmus Georgius ambaxatores comunis Papie, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, mense madii, terciedecime indictionis, imperante domino nostro Frederico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore semper

Digitized by Google

augusto, Ierusalem et Sicilie rege invictissimo, anno imperii ejus vicesimo, regni Ierusalem quintodecimo, regni vero Sicilie quadragesimo tercio, feliciter. Amen.

Data apud Capuam (1), anno, mense et indictione prescriptis.

Capuae, 1° junii. Fridericus, Romanorum imperator, Landulfo de Franco justitiario terrae Bari mandat ut Henricus de Vico Aggere obses Paduae, dudum Nicolao de Cicala commissus, nunc per ipsum Leoni de Bonesio civi Barensi assignetur.

(*Regestum*, fol. 42 verso; Cf. supra, p. 614.)

Datum Capue, primo junii, XIII indictionis.

De mandato eodem die facto Odericus filius Henrici de Vico Aggere obses Paduae commissus est eidem Nicolao de Cicala. Vid. *ibidem*, fol. 43 verso, p. 619.

Capuae, 1° junii. Fridericus, Romanorum imperator, Petro Castaldo magistro procuratori curiae mandatum prius Alexandro filio Henrici directum renovat de necessariis expensis exhibendis Gentili de Castanea pro custodibus jumentorum, stallonum et equorum imperialis curiae.

Regestum, fol. 97 verso; Cf. supra, p. 890.)

Datum Capue, I junii, XIII indictionis.

---

(1) « Mense maii imperator congregato exercitu de Apulia venit Capuam, et ipso mandante Beneventum in exterioribus devastatur. » *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ad annum.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, mandat Guillelmo de Laurentio de Suessa provisori castrorum ut recipiat a Riccardo de Pulcaro octo uncias pro reparatione Roccae Montis Draconis. Capuae, 4 junii.

(*Regestum*, fol. 76 verso; Cf. supra, p. 791.)

Datum Capue, IIII junii, XIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, abbati et conventui Sancti Udalrici apud Augustam, privilegium, ab avo suo Friderico I anno 1182, 7 octobris, indultum, inserendo renovat et confirmat. Capuae, junio.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, tom. XXX, p. 276-277, num. DCCLXV, ex originali unde sigillum valde laesum appendet ex filis sericis flavi coloris. — Diploma vero Friderici primi insertum legitur apud *Monum. Boica*, tom. XXII, p. 193.)

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod venerabiles abbas et conventus Sancti Oudalrici apud Augustam culmini nostro humiliter supplicarunt, ut quoddam privilegium divi augusti imperatoris quondam Friderici avi nostri memorie recolende, liberaliter dudum ipsis indultum, eis innovare, et omnia que continentur in eo confirmare de nostra gratia dignaremur; cujus tenor per omnia talis est :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Rex celi et terre sua benignitate imperii habenas nobis concessit, ac ideo magnopere curare debemus ut in administratione terreni imperii gratiam et misericordiam ipsius nobis conciliemus. Sed quia utilitati reipublice intenti ac diversis negotiis occu-

pati, hanc minus propriis assequi possumus meritis, sanctorum et religiosorum ope et intercessionibus ducimus adjuvari. Eapropter notum esse volumus toti imperio et precipue dilectis filiis nostris et omni nostre posteritati venerabiles fratres nostros de Sancto Ondalrico apud Augustam corde perfecto et anima volente nos in sue fraternitatis suscepisse consortium; ita videlicet ut nobis hac vita decedentibus, uti pro se invicem vel pro abbate suo defuncto vigiliis, jejuniis et orationibus solent desudare, non minus pro redemptione anime nostre eisdem et aliis divinis exhibitionibus intendant laborare. Quod pietatis officium magnipendimus, et quieti eorum quam in Deo habent omnimodis suffragari, et contra perversorum infestationes eis prospicere in futurum decrevimus. Proinde universa bona seu possessiones largitione divorum imperatorum seu episcoporum sive oblatione fidelium eis collata, vel que in posterum juste et legitime auctore Deo poterunt adipisci, imperiali clementia eisdem fratribus et eis successoris confirmamus. Que partim suis nominibus duximus exprimenda. Stabilimus itaque abbati (*a*) et fratribus suis advocatiam in Husteten (*b*), Pontem Lici in arena Lici culta et inculta, decimas ex oppidis in Straza. Item duos mansos in Moringen et si qua habent ex donatione illustris avunculi nostri Welfonis. Item quecumque bona ministeriales prefati avunculi nostri Welfonis et consanguinei nostri Heinrici quondam ducis Bawariorum ex eorum conirentia eis contulerunt, et quod Adilbertus in Phafenhonen et Gerungus in Ofhusen et Berhta de Schiringin in Oberndorf et Heinricus de Buoron in Tagebreshoven ipsis tradiderunt (1), et item predium in Winidisvelt quod Gerdrudis de Triushaim eis per manum nostram et sui advocati Heinrici eis contulit, et quecumque tricenaria prescriptione quiete possederunt vel in futurum consequi juste poterunt, magestatis nostre auctoritate confirmamus et confirmationem ipsam ratam et inconvulsam deinceps permanere decre-

(*a*) Scilicet *Manegoldo*.
(*b*) *Haunstetten* prope Augustam.

(1) Super his traditionibus et locorum nominibus, cf. quid auctores *Monumentorum Boicorum*, sub litteris *c*, *d*, *e*, *f*, *g*, *h*, *i*, annotaverint.

Digitized by Google

vimus. Si quis autem nostros imperiales apices negligens locum Deo et beato Oudalrico ac beate Afre dicatum et ibidem Domino servientes irrationabiliter adtemptaverit, secundo tertiove per hanc nostre confirmationis paginam conmonitus, si non destiterit, reum se noverit magestatis. Et pro pena quinquaginta libras probati auri conponat, quarum una medietas fisco imperiali, altera vero injuriam passis persolvatur.

Hujus nostre confirmationis testes sunt: filius noster illustris rex Heinricus, Hartwigus Auguste episcopus, Otto Eistetensis electus, Ruodolfus imperialis aule protonotarius, Oudalscalchus major prepositus in Augusta, Tiemo decanus, Sigefridus prepositus Sancti Mauricii, Fridericus dux Suevie, Pertholdus marchio Histrie, Heinricus marchio de Ruomesperch, Otto comes de Chirichberch, Diepoldus comes de Lechesgemunde, Teginhart de Hallunstain, Diemo de Gundelningen, Heinricus de Stoufen, Cuonradus urbis prefectus, Sigefridus et Heinricus frater ejus de Tonersperch, Otto camerarius, Sigifridus et Heinricus filius ejus de Algishusen, Diepoldus de Husen et filii ejus Oudalricus et Diepoldus, Oudalricus major villicus, Otto et filius ejus Otto de Bobingin, Luitoldus Castenarius.

Signum domini Friderici Romanorum imperatoris invictissimi. (*Monogramma.*)

Ego Gotefridus imperialis aule cancellarius vice Cristiani Moguntine sedis archiepiscopi et Germanie archicancellarii recognovi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo C LXXXII, indictione I, regnante domino Friderico Romanorum imperatore glorioso, in anno regni ejus XXXI, imperii vero XXVIII (a).

Data Auguste, nonis octobris.

Nos itaque qui certas fidelium nostrorum petitiones non novimus obaudire, attendentes fidem puram et devotionem sinceram predictorum abbatis et conventus Sancti Udalrici apud Augustam fidelium nostrorum, quam ad majestatis nostre personam et sacrum imperium habent, ipsorum quoque supplicationibus benignius inclinati, suprascriptum privi-

(a) Librarii incuria pro anno imperii XXVIII positus est XXVIIII; Cf. Georgisch, *Regesta*, col. 711.

Digitized by Google

legium divi augusti imperatoris quondam Friderici avi nostri memorie recolende, huic nostro privilegio inseri jussimus, et omnia que continentur in eodem imperialis preminentie nostre gratia confirmamus. Statuimus igitur et imperiali sanccimus edicto, firmiter injungentes quatinus nulla persona alta vel humilis, ecclesiastica vel mundana, prefatos abbatem et conventum Sancti Udalrici apud Augustam fideles nostros, contra presentis privilegii nostri tenorem, ausu temerario inquietare, molestare seu perturbare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque innovationis et confirmationis nostre memoriam et robur perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Data Capue, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, mense junio, tertie decime indictionis.

Teani, 7 junii. Fridericus, Romanorum imperator, Petro Castaldo magistro procuratori in locum Alexandri filii Henrici statuto mandatum renovat de expensis exhibendis Nicolao de Calochuro pro avibus quas in domibus suis Salparum et Trium Sanctorum custodit.

(*Regestum*, fol. 16 verso; Cf. supra, p. 477.)

Datum Teani, VII junii, [XIII indictionis].

Apud Sanctum Germanum, 11 junii. Mandata ad castellanum Melfiae et ad electum Melfiensem ut locum in castro Melfiae competentem et domum ecclesiae Melfiensis Thomasio de Brundusio, Angelo de Marra et Procopio de Matera assignent pro servitiis exercendis.

(*Regest. imper. Freder. II*, fol. 5; in edit. Carcan., p. 238, dum nihil in folio 5 verso exaratum inveniatur; Cf. supra, p. 968.)

Digitized by Google

De imperiali mandato scripsit notarius Johannes Idronti :

Fredericus, etc., castellano Melfie, etc. Noverit fidelitas tua quod super ratiociniis recipiendis ab universis officialibus regni nostri, statuimus Thomasium de Brundusio et Angelum de Marra et magistrum Procopium de Matera notarium nostrum, fideles nostros. Quare fidelitati tue precipiendo mandamus quatenus eisdem fidelibus nostris in castro Melfie locum competentem assignes ad quaterniones rationum et pecuniam recipiendam et diligenter conservandam.

Datum apud Sanctum Germanum, XI junii, XIII indictionis.

Item de eodem mandato scripsit idem :

Fredericus, etc., Melfiensi electo, etc. Noverit, etc., *usque* quare mandamus quod eisdem fidelibus nostris pro ratiociniis recipiendis domum et cameram ecclesie Melfiensis assignes, ubi commissum eis servitium comode valeant exercere.

Datum [*ut supra*].

Fridericus, Romanorum imperator, mandat Landulfo de Franco justiciario terrae Bari et terrae Idronti ut Simeonem Mancaspissu obsidem Paduae in aliquo castrorum imperialium faciat cum expensis Johannis Mazuccii et Amuruzi fratris ejus custodiri, deputando duos servientes ad ipsius custodiam cum expensis eorumdem. Apud Sanctum Germanum, 13 junii.

(*Regestum*, fol. 44 recto; Cf. supra, p. 619.)

Que littere facte sunt per manus magistri P. de Capua de mandato judicis Taddei.

Datum apud Sanctum Germanum, XIII junii, XIII indictionis.

Mense junio imperator cum exercitu suo quem de regno collegerat, venit apud Sanctum Germanum, ubi per sex dies moram

Digitized by Google

protrahens, e vestigio per Aquinum transitum faciens, apud insulam pontis Solerati posuit castra sua, Campaniam intrare disponens. Quam non intravit usus consilio saniori, sed per Soram et Marsiam direxit in Anconae marchiam gressus suos. *Ricc. de S. Germ. Chronic.* ad ann.

[Junio circiter.] Fridericus, Romanorum imperator, Papienses fideles suos commendat quod in suis servitiis indefessi ad destructionem Alexandriae una cum Manfredo marchione Lancia prompta voluntate processerint.

(Inedit. ex cod. Bibl. Stuttgart., n° 247, *Histor.*, ubi folia numeris non distinguuntur.)

Fridericus Dei gratia, etc. Elegantiam fidei quam Papia civitas (*a*) ad divos augustos progenitores nostros indefessam signavit, gestorum series veterum recitat et in ordine rerum efficacem nostris aspectibus representat. Hec est columpna fidei que se inalterabilem alterationibus circumspecta retinuit, cujus rectitudinem solidam adversitatum constanciam (*sic*) in arundinem non convertit. Hec in observantia fidei discrimina suscepit intrepida : hec suis meritis exigentibus speciali prerogativa letatur. Vos estis qui diei sustinetis pondus et estus et omnium rebellium imperii quibus superabundat perfidia, sustinetis... (*b*) multis infirmitatibus validi et in tanto turbine non turbati. Nunc autem felicitatis tempore tempus advocat (*c*) non tanquam fessi ex pressura servitia nostra in presentia[rum] assumitis, sed fidei suggerente virtute quasi juvenescitis ad labores et majores vos ostenditis opere quam promissis, quum sicut per Manfredum

(*a*) In cod. *civitatis*.
(*b*) Ibi desunt aliqua.
(*c*) Locus obscurus, sive male transcriptus.

Digitized by Google

Lauciam marchionem, sacri imperii vicarium a Papia superius (1), fidelem nostrum, accepimus, in destructionem Alexandrie que in desperatione demersa in dampnabili proposito (2). . . . . sic prompta voluntate et magnifice processistis quod vos laudis preconiis adtollendos et dignos multorum meritorum premiis exhibetis.

Fridericus, Romanorum imperator, Conrado filio suo et consiliariis ejus scribit se, licet papa ad compositionem se inflectat, ita potenter processurum ut resipiscere cogatur ab offensis; nuntiat insuper Alexandriam, relictis Mediolanensium erroribus, ad fidem imperii rediisse. [Junio circiter.]

(Edidit Höfler, *Kaiser Friedr. II*, p. 420, Docum., n° 56, ex cod. Vindob. *Philol.*, n° 305, fol. 70 verso. Nunc coll. cum variis Bibl. Cesar. Paris. codicibus.)

Fridericus, etc., dilecto filio suo C., etc., suisque consiliariis, etc. Etsi pontifices et Pharisei nequaquam adversus Dominum Christum consilium collegissent, licet concite princeps seditionis contra Romanum principem ore et opere fastuosus insurrexerit et blasphemus, faciente tamen Domino exercituum qui superbis resistit et de sanctuario suo prodeuntem nequitiam corrigendo compescit, humiliatus est fastus principis sacerdotum, et jam posito supercilio ad licita se inflectit, ut ad honorem nostrum et imperii grata et libita forma compositionis pareat et occurrat. Sed nostra sciatis consulta deliberatione firmatum ut sub vexillis nostris et victricibus aquilis cum summa honorificentia nostra nostri culminis emulus inclinetur, quacumque sibi hactenus blanditum fuerit voluntate; ita

(1) Cf. *Chronic. Placent.*, ap. Murator., *Scriptor.*, t. XVI, col. 463.

(2) Deest aliquid. Forte alludebatur ad deditionem Alexandrensium qui statim ut Manfredus Lancia cum Papiensibus et ceteris in mense maio hostiliter territorium ipsorum usque ad Bassignanam ingressus fuerit, se dediderunt eumque in Potestatem suum receperunt, maio exeunte. Cf. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 183.

Digitized by Google

qnod non ipsius plenitudine (*a*) optata preteritorum revocatio subsequatur. Nos enim copiosis opibus de regno nostro assumptis, in manu potenti et brachio extento procedemus hostilem snperbiam edomare, et in hiis que animam ejus tangent eum tangemns acerbius, ita quod resipiscere cogatur acerbius ab offensis et in sacrum imperium et personam nostram os amodo ponere non presumat. Ad hec noveritis quod nniversitas Alexandrinorum, relictis Mediolanensinm proditorum nostrorum erroribns, ad fidem nostram et imperii pronis [et] promptis affectibus redierunt. Vos igitur hec ad omnium fidelium nostrorum notitiam relatione grata deferentes, illos precipue qui pro honore nostri nominis in tanto dissidio permanent inconcnssi, ad nostra servitia propensius animetis, quia noster et communis honor in omni eventu promovebitur jnxta votnm.

[Junio circiter.] Fridericus, Romanorum imperator, cuidam fideli suo de Lombardia significat pacem inter se ipsum et summum pontificem mox esse reformandam; qua confirmata, ad conculcandos Lombardiae rebelles se efficaciter processurum.

(Inedit. ex cod. bibl. Leipzig., 1268, fol. 21 (30) verso, et ex cod. bibl. reg. Berol., 188, fol. 72 verso.)

[Fredericus, etc.] Scimus firmiter quod inter alia que desiderabilia occnrrerunt nostris fidelibus Lombardie, votis versatur precipuis eorumdem et instanter peroptant ut inter nos et Romanam Ecclesiam matrem nostram pacis vinculum indissolubile reformetur, et conversione ejns ad filium reparetur ydemptitas voluntatum, ut snborta dudum inter nos sopita discordia, ad Ytalie prosequenda negotia dirigamus comodius potentiam et aciem mentis nostre. Proinde predictis fidelibus per te volumus esse notnm quod quantnmcumque inimicus pacis et odii ministrator inter nos et Ecclesiam dissentionis materiam induxerit, quanquam semper velut prin-

(*a*) Locus in manuscriptis mutilus; forsitan *votorum ipsius plenitudine non obtenta*.

Digitized by Google

ceps catholicus et filius non ingratus erga ipsam gesserimus cordis amplexibus reverentiam filialem, Deus tamen pacis amator, ad tanti sedationem dissidii pie motus, patri apostolico quem pacis credimus zelatorem nuper salubriter inspiravit quod pacis reformacionem ad invicem peroptemus. Magister enim C. cardinalis (1), in quo siquidem non est dolus, de predicti patris et nostro consensu commissum nuper negotium in se gerens, sumens velut homo missus a Domino que malefacta sunt atque redarguens in utroque, ad reformacionem predictam instanter et indefesse procedit, et speratur firmiter quod processus ejus, Deo desuper gratiam ministrante, optati finis in proximo preconium reportabit. Et quia post tanti confirmationem negotii quod in expedito consistit, plena cordis deliberatione providimus Ytalie negotia potenter prosequi prout decet, ad ea totaliter provisionis nostre titulos et sollicitudinis instantiam convertentes, fidelitati tue mandamus quatinus universas et singulas civitates fidelium Lombardie et Marchie Trevisane submoneas et injungas ut de predicte pacis reformatione, que pro certo jam habetur in januis, et quod a predictorum negociorum prosecutione nullius rei causa vita tamen comite nequaquam revocari poterimus, nullatenus dubitantes, armis decenter se interea studeant preparare, quum in felici et celeri adventu nostro ad partes ipsas ad conculcandos rebelles imperii nostri ipsis assistentibus comitivis, ut optamus et expedit, efficaciter procedamus.

Fridericus, Romanorum imperator, Friderico duci Austriae scribit se nullam adhibere fidem rumoribus falsis unde fama ejus obfuscari potuerit. De pace inter se et Ecclesiam reformanda eum certiorem facit, monens quod stet securus quia ipsum omni favore prosequi intendit. [Junio exeunte.]

(1) Sic in utroque codice; legendum vero videtur *magister C. Theutonicorum*, de quo supra, p. 986 et seqq., quum hujus viri legationi haec epistola se optime accommodet.

Digitized by Google

(Inedit. ex codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds S.-Germain-Harlay*, 455, pars III, n° LXXII, et *anc. fonds latin*, 4042, fol. 126 verso; coll. cum codice Phillipssensi, ap. Medium Montem, n° 8390.)

[Fridericus, etc., duci Anstrie, etc.] Accedentes ad presentiam P. et N. nuncios tuos ylariter recepimus et benigne, et tam ea qne proposuerunt pro parte tua oretenus coram nobis quam que transmisse per eos culmini nostro tuo littere continebant, pleno collegimus intellectu, gratum valde ducentes quod eorum detractorum labia que contra te ut firmiter credimus jamdudum in sugillationem fame tue et honoris dissolverat assertio falsitatis, que nostri honoris ac prosperitatis emulum publice te depinxit, comprimens manifeste, suffragia veritatis ad nos conspicuos viros prudenter destinasti, per quos nobis simul et litteras tuas immense devotionis et sincere fidei constanciam obtulisti, innocentiam tuam super hiis que de te fama mendax diffusius ad tuam infamiam diffundebat, probabilius incorrupte fidei argumentis que animi tui constanciam contra nos mutare non patitur, declarando (1). Tam indissolubiliter quidem tibi quidam fervor dilectionis intime nos conjunxit quod minima de te credulitas nichil possit concipere vel timere quod motus animi tui, quantumque tumultuosus rumor in nostris et aliorum multorum de te auribus insonuerit, contra nos declinaverit in adversum ut quicquid honori nostro qui tanquam nostri principem sanguinis inter principes principaliter honorari te contingit, contrarium molieris. Nam postquam precedenti offensa omnes offensiones alterutri remisimus puro corde, non credimus quod aliquis in corde tuo restet scrupulus odii vel rancoris. Quam sincerum autem animi affectum erga te semper gesserimus et geramus confidentia rei manifeste declarat, et dum post felicis recordationis..... patris tui obitum infelicem, te in filium adoptantes, paterna semper pietate fovemus, nichil eorum erga te sub tuo testimonio obmittentes que honoris et exaltationis tue cedere poterant incrementis, firma nobis de te fiducia

(1) Nostra sententia alluditur ad negotia Alemanniae, ubi Albertus Bohemus principes imperii, ipsumque Austriae ducem ad partes pontificias ottrahere tunc temporis plurimum moliebatur.

Digitized by Google

proponitur quod pro munificentie nostre beneficiis habere te debeamus paterne fidei ac servicii successorem. Cumque motus animi nostri contra te tui peccati transgressio et maligna quorumdam suggestio concitasset, sicut te non credimus ignorare, [et] ad reprimendum juveniles tui animi motus quos etatis in te temeritas ad inconvenientia vehementius impellebat, contra te insurgere deberemus, paterne tamen erga te in offensionis fervore non potuimus clementie oblivisci, in ira misericordie memorantes ne te juxta multorum desideria puniremus; quorum sicut tibi constare non ambigimus, ad hoc apud nos contraria instancia sollicite laborabat ut contra te in perpetuam adjudicationem persone, honoris ac terrarum tuarum per sententiam principum procedere deberemus, quorum conatus gratiosius elidentes te nostris ac imperii serviciis provide reservavimus; nolentes tam famosum principem in dispendium imperii per detruncationem tam nobilis membri ejus, a communione et numero principum segregare. Quod si fides hominis pendet ab opere, voluntas tam fidei nostre quam voluntatis affectus aperte demonstrant quod circa correctionem tuam virgam amoris potius extenderimus quam furoris, ut paterne per nos tam verbis quam verberibus castigatus per assiduam paterne castigationis memoriam mores tuos honestatis disciplina animique prudentia et nativis virtutibus informares. Sane cum adhuc etate in te florente ad annos primum preciose perveneris juventutis in qua maxime delectatur virtus hominis excitari, totis tibi virium conatibus credimus insistendum ut per continuum fidei ac virtutum exercitium dignus laudum preconiis apud remotos et proximos extollaris, ut per assidua tue devotionis obsequia nostri favoris ac gracie plenitudinem circa tui status augmentum et ampliationem honoris consequi merearis. Preterea significamus ad gaudium tibi quod in tractatu pacis inter nos et Ecclesiam jam adeo est processum quod ad desideratum ejus complementum speramus, divina operante clementia, in proximo pervenire. Cumque tuis desideriis deceat in omnibus gratiosius nos favere, quicquid de pacis processu vel ejus impedimento fiat, ob specialem favorem quem erga te specialiter gerimus et negocia tua, [tuis et] multorum regum et principum nunciis licentiam concessimus ad sedem apostolicam accedendi, circa prosecutionem negotiorum

Digitized by Google

tuorum consilium, auxilium et favorem liberaliter impensuri (1). Ad hoc ad notitiam nostram noveris pervenisse tuum non sine causa spiritum continue anxiari quod circa persone tue periculum, honoris ruinam rerumque destructionem intentio nostra sit attenta. Super quo industriam tuam scire volumus ac pro constanti tenere quod, ut de operibus taceamus, talis animum nostrum nunquam subiit cogitatus ut quidquam in persone tue, honoris vel rerum dispendium moliremur. Verumtamen ut omnis tibi suspicionis de nobis materia vel timoris a corde tuo penitus auferatur, mandamus quatenus aliquem de familiaribus tuis de cujus fide non dubitas, ad nostram presentiam dirigere non postponas, per quem de persone tue salute, honoris augmento, rerum indempnitate omnimodis ac perpetuo faciemus (a) ut justi timoris causa non possit animum tuum commovere.

[Junio.] Fridericus, Romanorum imperator, statuit ut in loco qui dicitur Aquila, inter Furconem et Amiternum civitas construatur, et illis qui ad hunc locum habitandum convenerint immunitates variaque privilegia impertitur.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. VI, cap. IX. — Massonio, *Dialogo sull' orig. dell' Aquila*, p. 75-81. — Franchi, *Difesa della città dell' Aquila*, append., p. 1-15. — De Angelis, *Riposta alla scritt. d'un giov. autore*, p. 98.)

[Fridericus, etc.] Regnantibus nobis feliciter et triumphantibus ac victoriose degentibus in hereditario regno nostro Sicilie, illud occurrit precipue provida deliberatione pensandum, qualiter utrumque tempus, pacis videlicet et bellorum, sub ditione nostre potentie salubriter diri–

(a) Locus mutilus; forsitan legendum *te certum ita faciemus ut*, etc.

---

(1) Verisimiliter agitur de proposito quod dux Austriae conceperat super dirimendo matrimonio suo. Uxorem nempe Agnetem nomine, ducis Meraniae filiam, taediosam habebat quam reipsa anno 1243 repudiavit.

Digitized by Google

gatur et quomodo subactis jam uudique rebellionis obstaculis, id quod bellico sudore qnesivimus iu statu pacifico gubernemus : amatoresque pacis sub umbra alarum uostrarum vivere cupientes, foveamus salubriter et nostre potentie dextra protegamus; ac gladius uoster, quem ad vindictam malorum, ad laudem vero bonorum suscepimus, in facinorosos sic seviat quod inuoxios tueatur. Hac itaque consideratione commoniti, confinia regni nostri Sicilie et maxime circa partes Aprucii unde velut per expositum intrantibus ostium, ad pomerii nostri delicias aggressus hostibus sepe jam patuit, et partes intrinsecas manus interdum predonica viulavit, taliter providimus ordinanda, quod in partibus illis, uova plantatione fidelium propagata, proditoribus nostris et rebellibus pro tempore insultantibus ex adverso, malefaciendi aditus precludatur, et aliis quorum vita et salus a celsitudine nostra dependet, quies et pax perpetua preparentur. Voleutes igitur illuc salubribus occursare remediis, unde morbus interdum obrepere consuevit, dum ex preteritis etiam experta conditio magistram se uobis exhibeat futurorum, provida uuper consideratione providimus ut iu loco qui dicitur Aqnila, inter Furcouem et Amiternum (1), de circum adjacentibus castris et etiam terris que velut in membra dispersa, quantacunque fidei claritate vigeutia, uec uostrurum rebellium poterant repugnare conatibus uec iuter se sibi mutuis auxiliis subvenire, uuius corporis civitas construatur, quam ab ipsius loci vocabulo et a victricium signorum nostrorum auspiciis, Aquile nomine decrevimus titulandam. Ex quo illud precipue uobis honoris et commodi credimus proventurum, quod dum proiude sicut unum ex pluribus, sic totum ex partibus componatur, quasi in eis dilectionis nove concordia, per quam et rerum uature primordia et totius mundi elementa concreverunt, liberius poteruut civitatis ejusdem incole violentis insultibus emulorum nostra servitia prosequendo resistere, quibus ipsos hacteuus acquiescere forsan oportebat invitos. Ut igitur tam nobile opus nostrarum manuum speciali munificentie nostre gratia se gaudeat insignitum, civitatem ipsam infrascriptis finibus, videlicet a cornu Putridi

(1) Cf. supra epistolam Gregorii noni, ad ann. 1229, t. III, p. 160 et not. 2.

Digitized by Google

usque per totum Amiternum, statuimus limitandam : pnblicantes ad situm et districtum civitatis ipsius et ad opus nniversitatis ejusdem, colles omnes adjacentes, qui Aquila nuucupantur, et terras omnes circnmquaque jacentes; exceptis terris ... et ... quas N. et N. dilecti fideles nostri habere noscuntur ad presens vel habituri sunt in antea, de stallis et recompensationibus vasallorum suorum quos ibidem hactenus habnerunt; decernentes etiam et pnblicantes ad opus universitatis ipsins sylvas omnes et nemora terrarum omnium existentium infra limites supradictos; ac ad opns omnium qui ad ejusdem civitatis venient incolatnm, liberam potestatem et licentiam concedentes universitati ipsius civitatis nt loca pro casalinis in collibus ipsis infra et extra menia civitatis et terras alias, vendere, locare et gratis concedere quibuscunque personis voluerint libere valeant, pro sne libito voluntatis; que in jus et proprietatem recipientinm cedere volumus et jubemus. Eximimus qnoqne de plenitudine potestatis nostre ac speciali gratia et ex certa scientia nostra nniversos et singulos milites nostros, populares, et omnes infra fines predictos contentos, cujuscunque conditionis vel professionis existant, heredes et successores eorum, cum omnibus bonis suis in perpetnnm ab omni dominio et jurisdictione seu conditione comitum vel aliarnm quarumlibet personarum; penitns liberantes eos ab omnibus personalibus et realibus servitiis ac prestationibus, qnibuscnnque personis generaliter seu specialiter teneantnr, vel sunt de jnre vel de facto seu aliqua consuetudine obligati; et absolventes eos ab omni fidelitate vasallagii seu homagii juramento qnod de mandato predecessorum nostrorum aut nostro, vel sine mandato predictis dominis eorum hactenus prestiterunt, non obstantibns privilegiis predecessornm nostrorum vel nostris indultis dominis eorumdem, que contra hujnsmodi gratie nostre formam vires volumus non habere. Predictos quoque homines, contentos infra fines predictos, cum omnibus bonis eorum, ad dominium et manns nostras recepimns, et tam eos et heredes successoresque snos quam civitatem eandem promittimus in speciali nostro et heredum nostrorum dominio et demanio tanquam specialem cameram retinere; sub dominio predictorum comitum vel aliarum quarumlibet personarum, generaliter vel particulariter, nullo

Digitized by Google

unquam tempore reducendos, castris et edificiis contentis infra fines superius designatos, infra duos menses ab ingressu civitatis ipsius funditus diruendis ac in posterum nullatenus reparandis; illis duntaxat exceptis que pro curia nostra volumus custodiri, et excepto Cassari castro quod G. et ejus (1) heredibus reservamus; statuentes ut civitas ipsa et omnes et singuli habitatores ipsius totaque posteritas eorundem omnibus bonis suis usibus, sicut alie civitates fidelium demanii regni nostri, de cetero gaudeant et utantur. Et ut civitas ipsa bonis habitatoribus de bono semper in melius amplietur, presenti etiam privilegio indulgemus eisdem, ut quicunque de exteris partibus nostrorum fidelium exceptis ..... civitatis ejusdem elegerint incolatum, illuc salubriter veniant et secure morentur cum aliis predicte terre civibus, communi privilegio gavisuri, et abinde per nos vel successores nostros nullo unquam tempore revocandi. Ad decorem etiam et continua incrementa civitatis ipsius, concedimus ut civitas ipsa secundum dispositionem universitatis ejusdem ad sui cautelam murorum ambitu valeat communiri, et interius ex nunc murorum edificiis decorari; que tamen quinque cannarum altitudinem non excedant. In ipsa etiam generales nundine bis fiant in anno, per viginti dies vice qualibet durature, et particulare forum ter in hebdomada libere valeant celebrare; ad quorum commercia universi et singuli de quibuscunque partibus cum mercimoniis et rebus eorum sub protectione nostri nominis et culminis secure veniant et morentur, et ad propria revertantur. Ne igitur ex hac ordinatione nostra salubri, quam pro generali bono et commodo regni nostri nuper edidimus, fideles nostri quondam domini militum et hominum predictorum lesos seu damnificatos se in subtractione suorum jurium merito conqueri possint, de voluntate hominum eorundem inviolabiliter statuimus et mandamus ut in recompensationem eorum que dudum ab ipsis hominibus prefatis do-

(1) In cod. *S.-Germ.-Harlay* 455 : *quod predicto... de... et ejus*, etc.; quasi id ad unum ex nominibus quae superius non exprimuntur, referri deberet. Hanc vero initialem litteram *G.* ad nomen *Gualterii*, scilicet *de Ocra*, tribuit Rossius, dum castrum Cassari idem esse ac Sanctum Martinum de Ocra fuerit arbitratus. Cf. *Memor. di notizie spett. a Gualtieri da Ocre*, p. 32, not. 32, et p. 50, not. 55.

Digitized by Google

minis debebantur, octavam partem tantum bonorum stabilium singuli homines singulis quondam dominis suis in uno loco tantum conferant et assignent; octavis ipsis postmodum taliter inter dominos quos voluerint et ipsos homines permutandis quod de valore octavarum partium, in tribus aut quatuor locis ad plus, in territorio videlicet castri cujuslibet, in locis melioribus et mediocribus, predictis dominis integre satisfiat; ecclesiis et religiosis locis in honore militum habentibus bona sua ab hujusmodi collatione bonorum dominis facienda prorsus exceptis; quos libertatibus et exemptionibus omnibus, que superius exprimuntur, uti volumus et gaudere. De servitiis autem que a predictis ..... hactenus debebantur super hoc, precipimus observari ut in castro quolibet per viros idoneos diligenti inquisitione premissa, tantum singuli singulis dominis pro redemptione bonorum suorum in pecunia vel rebus aliis simul et semel exsolvant, quantum debita et hujusmodi redditus usque ad annos viginti valere constabit. Nos autem qui super hoc privatorum jura illesa servamus, nolentes fisci nostri compendia sub silentio preterire, presenti privilegio declaramus quod in civitate predicta habere volumus castrum unum universitatis ejusdem sumptibus construendum. Si quis vero sanctioni nostre hujusmodi ausu temerario presumpserit contraire, preter indignationem nostri culminis, quam se noverit incursurum, centum libras auri puri fisco nostro componat, medietatem ipsarum curie nostre, reliqua medietate passo injuriam applicanda (1).

[Circa junium.] Gregorius IX papa Gregorio de Montelongo scribit quod moneat Mediolanenses, Placentinos, Bononienses et Brixienses ut

(1) De tempore quo privilegium istud fuerit editum, maxime dissentiunt historici : qui enim de constitutione civitatis Aquilae disseruerunt, Massonius scilicet et Franchius, et de Angelis, sive ad annum 1249 aut 1250, sive etiam ad tempus Conradi regis se referunt. Testante tamen Pandulfo Collenuccio, rerum suevicarum bene perito, mense junio anni 1240, Friderici imperatoris edictum de fundatione hujus novae civitatis prima vice vulgatum fuisse libenter crediderim, licet urbs non ante plures annos elapsos aedificata fuerit.

intra festum Assumptionis beatae Mariae debeant deposuisse XV millia marcarum argenti quae promiserant.

(Edidit Fred. Hahn, *Monum. collect.*, t. I, bull. pontific., p. 142, n° XIX.)

Gregorius episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio G. de Montelongo, subdiacono et notario nostro, apostolice Sedis legato, salutem et apostolicam benedictionem. Mirari possumus et non injuste quod cum Mediolanenses, Placentini, Bononienses et Brixienses nobis per nuntios suos super hoc speciale mandatum habentes quod in festo beati Michaelis XV milia, et in festo Omnium Sanctorum proxime preteritis V milia marcharum argenti, partim apud Januam et partim apud Venetias deponere procurarent, exceptis V milibus marcharum ab ecclesiis deponendis, quarum petitioni ad presens supersedere providimus, prestiterint juramentum, ipsi proprii honoris et utilitatis immemores id efficere, nescimus qua intentione seducti, hactenus neglexerunt; non attendentes quod qui facultatis tempore in proprio inveniuntur negotio auxilio desides, frequenter ad id invitati redduntur temporibus impotentes. Quocirca discretioni tue per apostolica scripta mandamus quatenus dictos Mediolanenses et alios quod predictas marchas in locis predictis intra festum Assumptionis beate Marie proxime futurum deponere non omittant, attencius moneas et inducas; alioquin sibi merito poterunt imputare si eis jacturam aliquam exinde contingerit imminere; mandatum nostrum taliter impleturus quod ex hoc tua possit diligentia commendari.

Fridericus, Romanorum imperator, universos ad nundinas apud Frankenfurth venientes sub sua et imperii protectione recipit. In castris in obsidione Esculi, 11 julii.

(Edider. Lunig, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 557. — Böhmer, *Cod. diplom. Moenofrancof.*, t. I, p. 68.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jeru-

salem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum fieri volumus universis quod nos universos et singulos ad nundinas apud Frankenfurth venientes sub nostra et imperii protectione recipimus speciali; mandantes quatinus nullus sit qui eos in eundo et redeundo ab eisdem nundinis molestare in aliquo vel impedire presumat. Quod qui presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad cujus rei memoriam, presens scriptum inde fieri fecimus et sigillo nostre majestatis jussimus communiri.

Datum in castris in obsidione Esculi, XI julii, XIII indictione.

In castris in obsidione Esculi, 16 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, cuidam principi nuntiat compositionem treugarum inter se et summum pontificem fieri non potuisse, eo quod papa Lombardos rebelles his treugis includi voluerit. Narrat quomodo dum ipse ingressu Campaniae ob Ecclesiae reverentiam abstinuerit, Ferrara civitas a legato papae fuerit obsessa et capta, nulla fide erga Salinguerram servata, qui Venetias captivus ductus est.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. I, cap. XXXVI. — *Hermann Altah.*, ap. Oefele, *Rer. Boic. Script.*, t. I, p. 668. — *Chronic. August.*, ap. Struve, t. I, p. 521. — Canisius, *Lect. antiq.*, edit. prima, t. I, p. 251.)

Fridericus, etc. Emula regum et principum orbis terre ac consortum impatiens, dudum in superbiam seculorum liberaliter adducta Romana sedes, propter illius [impetum] qui princeps dicitur esse sacerdotum, in suum adversus nos preconceptum odium ad universale scandalum sic exarsit, adeo adverso ecclesiastice religionis ordine, preter mandata legis, quorum lator et pater esse debuerat, que pervertit, dum se hostilibus rebus immiscens, dubios bellorum eventus, cedes hominum, obsidiones urbium et universitatum procurat et undique pericula populorum, sponsam Christi Ecclesiam, matrem nostram, cujus authoritate libitum pro licito sequitur,

Digitized by Google

e sanctuario Dei suarum vindictam inimicitiarum exercens, reddit (proh dolor!) mundo notabilem, ut sub tam inconstanti et volubili rerum actore qui presidet, et nomine Ecclesie diversa variat et confingit, experientia facti singulos edocente, non immerito ab Ecclesia, pro ejus preside ac experto patre, mendacii meticulosa suspicio cordibus hominum inseratur. Quapropter devotionem tuam contingentia non patimur ignorare. Nuper enim per quosdam de majoribus fratribus suis et religiosos alios viros aspirantes ad quietum Ecclesie statum et piis zelantes desideriis bonum pacis, adhibita est cura propensior inveniendi modum et habendi tractatum, per quem inter nos, pontificem et phariseum istum, contra nostri honorem nominis prava consilia colligentem, ad certum tempus treugarum compositio fieret, infra quod per te, quem habemus in omni dilectione precipuum, et alios principes orbis terre, ad integre pacis reformationem opportunitas commodior haberetur. Cumque nos iisdem viris inventoribus hujus vie, preter spem et creditum, pro Ecclesie reverentia condescendere dignaremur, Gregorius dictus papa petebat Lombardos rebelles nostros et nostri bannitos imperii treugis ipsis debere muniri. Quibus exclusis treugas ipsas non poterat acceptare, ut evidentiorem daret omnibus intellectum, quod negocium rebellium Lombardorum fovit et fovet in nostrum odium manifestum; illud gerens et reputans velut suum, quanquam hactenus alias palliarat quod non in favorem ipsorum, sed ob transgressiones nostras alias, quas fingebat, contra nos ad excommunicationis sententiam processisset. Quod intolerabile visum est nobis, ut rebellibus nostris diutino guerrarum discrimine fatigatis et in majori parte depressis, treugas concedere deberemus. Ad quorum persecutionem et vindictam accincti, vexilla victricia et prepotentia castra nostra triumphaliter duximus educenda. Et licet nobis in confinio castrametatis Campanie, suggereretur instanter ad ingressum illius provincie, data plena fiducia de obtentu, super quo doloris gladius ad injuriatoris nostri animam pertransiret, nos tamen ad presens ob honorem Dei et reverentiam beatorum apostolorum Petri et Pauli, quibus, utpote qui sacrum imperii diadema de ara beati Petri suscepimus, esse volumus non ingrati, ab ingressu et receptione ipsius terre destitimus : expectantes interim si nostrum inju-

riatorem omissa vexatio revocaret ab offensis. Preterea non patimur te latere qualiter homo iste dictus papa in obsidione Ferrarie civitatis imperii et Salingnerre fidelis nostri, Bononiensibus, Venetis, et aliis convicinis nostris rebellibus convocatis, legatum suum cum Mediolanensibus fecerit convenire, ducem ibidem exercitus et rectorem. Qui adeo cum suis complicibus eundem Salinguerram et Ferrariam in exheredationem imperii coarctavit, quod a suis proditus, receptis tamen promissionibus et pactis de indemnitate persone sue ac rerum suarum et de salubri mora sua in eadem civitate, necnon per eundem legatum, ducem Venetiarum, potestates, rectores, capitaneos exercitus, et generaliter per totum exercitum juramento firmatis, nomine Ecclesie juramentum impendit ac sepe dictam civitatem assignavit Ecclesie specialiter possidendam : commissa fide sua fidei legati Ecclesie, quod prestita et jurata sibi securitas plenarie servaretur. Sed post deditionem civitatis et suam, legatus idem eadem celebritate qua prestiterat juramenta, cum predictis omnibus dejerando, demolitis domibus et bonis ejusdem Salinguerre, ipsum simul deduxere fide mentita Venetias captivatum (1). Ecce qualis invenitur in legato fides, qualis de parte legati mentiendi procedit authoritas, ut fidem reputent fidei vinculum non servare? O quam pestiferum ab Ecclesie rectoribus emanat exemplum! quam evidens omissa veritate deceptio! ut regibus et principibus orbis, quibus propter impatientiam potestatis invident, sit precipue precavendum, ne de facili se prebeant in manus eorumdem, qui semper intercipere conantur incautos, et pium reputant innocentiam condemnare. Nos autem qui omnes et singulos eorum, tum ex vicinitate, tum ab experto, intus et in cute jam novimus, taliter te per indaginem rerum ab eorum fallaciis cautum volumus observari, ut tibi intendamus precavere : sperantes in eo, qui reges et regna constituit, quod juste injuriam propulsantes, violentiam nobis illatam nostrarum virium conamine propellemus, et in gladio justicie, quem authore Domino bajulamus, sacerdotum gladios, quibus abjecta stola, lumbos suos inhoneste precin-

(1) De his cf. *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 183, ubi deditio Ferrariae ad diem sabbati secundum mensis junii indicatur.

gunt, justius retundemns. Dignum insuper duximns ad tuam noticiam perferendum, quod idem papa, sicuti est suis motibus preceps et inconstans in omnibus viis suis, strenuis viris de Francia cruce signatis et pro voti executione ad iter accinctis, prohibuit sub censura ecclesiastica ne transeant in presenti; non attendens necessitatem Christiani exercitus in ultramarinis partibus commorantis : cui in emergentis casns articulo, ne dnm de cruce signatis, sed de noviter cruce signandis deberet in auxilium subvenire. Unde ab operibns ejus, que sno testimonio profitetur autorem, potes agnoscere qnod duplicitas viarum suarnm scandalum generet, et totins universitatis incommodum snbministret.

Datnm in castris in obsidione Escnli (*a*), XVIII julii, indictione XIII.

Fridericus, Romanorum imperator, significat Cremonensibus fidelibus suis processum suum de regno in Romaniolam, et se liberatum ab infirmitate. [Julio exeunte.]

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. III, cap. LXXIV, coll. cum codic. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455; *fonds Notre-Dame*, n° 202; *anc. fonds latin*, n° 2954.)

Fridericus, etc., Cremonensibns, etc. Tantus nos amor et cura Italie sedande sollicitat (*b*), tanta sollicitudo comitatur et prevenit curas nostras de fidelibns nostris a persecutione hostium relevandis, qnod nulle regni

(*a*) Ap. Pertz, *Archiv der Gesellschafft*, t. VII, p. 959, hic legitur: *in castris in depopulatione Esculi.* Nulla vero superest notitia unde discamus utrum hanc civitatem ad ditionem pontificiam spectantem expugnaverit imperator, an vastatis tantummodo exterioribus recesserit. Riccardus de Saneto Germano his utitur verbis quae in secundam potius opinionem vertunt : « Imperator castra sua movens ab Asculo, processit versus civitatem Firmanam. » Ap. Murator., *Scriptor.*, t. VII, p. 1045.

(*b*) In cod. 455 legitur : *Tantus nos amor et cura sollicitant circa pacem et tranquillum statum Germanie procurandum;* unde liquet hanc esse encyclicam, tum ad Italos, tum ad Germanos eodem tempore directam.

Digitized by Google

nostri delitie, nulla quies, nec aliqua poterunt nos solatia detinere, quin expeditis in regno cum constantia et anxietate magnis negociis, que tanto expediendo negocio congruebant, ad egressum regni celeriter properantes, omissa quiete motibus nostris infesta, estivis caloribus et castrensi pulveri nos daremus, persone nostre ac fidelium nostrorum periculis non parcentes; ut inter palustres oras montium orbe circumdatas, depopulationes et cedes hostium agerentur, nobis ad salutem et quietem fidelium dirigentibus deliberato consilio gressus nostros. Accidit igitur inter occupationes et curas publicas, quibus invictus curarum animus non potuit obstitisse, personam nostram pre infirmitate corporis et distemperie aeris incurrisse discrasiam, quam animi virtute sic vicimus ut imperialiter existentibus nobis in castris, die critica terminata, victoriosum processum et felicem victoriam cesaream non presumeret ulterius impedire. Quapropter authore Domino, qui regibus et principibus dat salutem, in pristinam convalescentiam restituti, fortiores facti et timores estivi temporis contemnentes, ceptum iter adductis viribus et undique potentia nostra congregata prosequimur, in Romaniolam procedentes, quocumque rebelles occurrerint, per nostram potentiam sub pedibus nostris oppressuri. Et ut vos omnes et singuli tam de resumpta convalescentia quam de successibus subsecutis confortari velitis plenius et letari, istud vobis significamus ad omnem dubietatem penitus amovendam, quia, Rege regum cum suo misericorditer principe dispensante, optata salus et sperata hostium victoria subsequentur.

Alexandriae, 21 julii.

Manfredus marchio Lancia, sacri imperii [a Papia] superius vicarius generalis, Opizoni de Revello imperiali capitaneo de Aquis et communi civitatis ejusdem mandat ut coram se compareant, Manfredo Boccaccio civi eorum responsuri, et eumdem civem in nullo impedire sive molestare praesumant.

(Edid. Moriondus, *Monum. Aquens.*, t. I, col. 212.)

Digitized by Google

Anno dominice incarnationis M. CC. XL, IX augusti, in Aquis sub ulmo majoris ecclesie, dominus Manfredus Boccaccius obtulit et dedit litteras ex parte domini Manfredi marchionis Lanzeae, sigillatas sigillo ipsius domini Manfredi marchionis, domino Opizoni de Strata militi et vicario domini Opizonis de Revello imperialis capitanei de Aquis; quarum litterarum tenor talis est secundum quod asserit dominus Manfredus Boccaccius. . . qui mihi Henrico infra scripto notario. . . . .

Nobilibus et prudentibus viris domino Opizoni de Revello imperiali capitaneo Aquis carissimo amico suo et consilio (a) et communi civitatis ejusdem, dilectis amicis suis, Manfredus marchio Lancia, sacri imperii . . . . superius vicarius generalis, salutem et amorem sincerum. Cum Manfredus Boccaccius civis vester super pluribus occasionibus. . . . . de vestro communi velit coram nobis questionem movere et suam consequi rationem, vobis ex imperiali auctoritate qua fungimur districte precipiendo mandamus quatenus die VIII post receptionem presentium vel postquam vobis ostense fuerint, coram nobis sub peremptorio compareatis, per idoneum responsorem eidem Manfredo super quibus vocati fueritis de justitia responsuri; et quia Manfredum et. . . . . . . familiam et res suas sub imperii et nostram protectionem et defensionem recipimus, mandamus vobis districtius injungentes quatenus contra eumdem Manfredum vel aliquem seu aliquam de familia sua aut res eorum in aliquo procedere non velitis, nec vos de ipsis aliquatenus impedire seu intromittere debeatis nec eosdem in aliquo molestare, nec etiam ipsum vel aliquem alium pro eis alicubi rationem seu justitiam facere compellatis vel ad justitiam evocetis, nisi coram nobis vel imperiali seu nostra curia speciali.

Datum Alexandrie, XXI julii, indictione XIII.

Ven[erabilis] dominus Manfredus Boccaccius hanc cartam fieri jussit. Interfuerunt D. Bandicio de Murbello, Ubertus magister, Henricus Bocacursus et D. Thebaudus de Campali.

(a) In impresso *consiliario*.

Digitized by Google

Apud Cryptam Ferratam, 9 augusti.

Encyclica Gregorii papae de concilio Romae celebrando ad proximum festum Resurrectionis dominicae.

(Edider. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1240, § LIII, e regesto Gregor. IX, lib. XIV, n° 264-265. — Wurdtwein, *Nova subsid.*, t. IX, p. 28, ad archiepiscopum Maguntinum.)

Gregorins, etc., archiepiscopo Senonensi, etc. Eterna providentia conditoris sanctam et immaculatam Ecclesiam a sue fundationis exordio eo voluit ordine gubernari ut uni pastori potestatis plenitudinem obtinenti ceteri partem sollicitudinis assumentes tanquam membra capiti, communicatis alterutrum emergentibus casibus, unione indissolubili coherereut, per quam eis consensibus mutuis solidatis caput famulantibus membris vigorem assumeret et membrorum conditio de sui principii robore firmaretur. Quia igitur grandes apostolice sedis eventus et causas te ignorare non convenit tanquam necessarium matris Ecclesie munimentum, propter que necessitate urgente tuam et aliorum videmus presentiam plurimum oportunam, fraternitatem tuam rogamus et hortamur attentius per apostolica tibi scripta precipiendo mandantes quatenus usque ad proximum festum Resurrectionis dominice ad nostram presentiam personaliter venire procures, omni occasione cessante, ut habeat ecclesia mater in filio speratum in tua visitatione solatium et gratum providi consilii fulcimentum, proviso ut in personarum et evectionum moderato numero venias ne nimis ecclesie tue onerosus existas. Preterea volumus et mandamus ut suffraganeorum tuorum capitulis, abbatibus et prelatis aliis tue provincie qui specialiter non vocantur auctoritate nostra injungas ut super iis eodem termino ad sedem apostolicam fideles et providos nuntios mittere non postponant.

Datum apud Cryptam Ferratam, V idus augusti, anno XIV.

Sequuntur aliae litterae regi Francorum ceterisque regibus missae de convocatione ejusdem concilii ut ad ipsum nuntios fideles et providos transmittant.

Digitized by Google

Postea ne Friderici minis praelati ecclesiarum cederent, paulo post alias litteras ad confirmandam eorum constantiam dedit Gregorius, Laterani, idibus octobris, anno XIV (*ibid.* §§ LVII, e regest. lib. XIV, n° 276).

Gregorius papa scribit Bononiensibus ut inducere debeant ducem et populum Venetum ad succurrendum illis de Marchia Anconitana, regratians Deo quod nomen dictorum Bononiensium ad exaltationem Ecclesiae et confusionem rebellium tam mirifice dilatavit. [Augusto ineunte.]

(Edid. Fred. Hahn, *Collect. monum. vet. et recent.*, t. I, bull. pontif., p. 140-41, n° XVII.)

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis potestati, consilio et communi Bononiensi salutem et apostolicam benedictionem. Exultamus pro vobis in Domino et ei gratiarum exsolvimus actiones quod vobis per misericordiam suam feliciter astitit et gressus vestros prospere dirigens in salutem, ad sui gloriam nominis, exaltationem Ecclesie et confusionem rebellium nomen vestrum mirifice dilatavit. Commendamus preterea diligentie vestre studium quod et effectus ipse commendat, quum ex eo fructus provenerit exoptatus, pro quo non evitando difficultates innumeras multaque discrimina et pericula, indefesse ac efficaciter laborastis, prosequentes tam commune quam proprium interesse. Sit benedictus Deus qui non amovit temptacionem nostram et misericordiam suam a nobis et sponsam suam Ecclesiam ejus desiderio non fraudavit. Ceterum licet dilecti filii..... dux et populus Venetorum magis sint laboribus et sumptibus fatigati, considerato tamen prout convenit diligenter quantum utilitatis fructibus vestre devotionis accrescat si Marchia Anconitana que a devotione ipsius Ecclesie in devocionem Frederici recesserat, flante leni aura, jam reverti ad ejus gremium sicut accepimus sit parata, universitatem vestram rogamus, monemus et hortamur attente per apostolica vobis scripta mandantes quatenus prefatum ducem ad succurrendum fide-

Digitized by Google

libus nostris de Marchia in forti manu et extento brachio secundum datam vobis a Deo prudentiam inducatis, ita quod sinceritatis vestre zelum possimus in Domino commendare.

Avinione, 12 augusti. Raymundus Tolosanus comes exponit qualiter, comite Berardo civitatem Avinionem regere non valente, potestariam hujus urbis ad profectum imperatoris acceperit, eamque comiti Galterio vicario imperatoris in regno Arelatensi et Viennensi requirenti et ex mandato ejusdem imperatoris supersedere nolenti, resignat et tradit.

(Edit. ap. De Vic et Vaissette, *Hist. génér. de Langued.*, t. VI, preuves, p. 419, 420, edit. du Mége; nunc emendatum ex originali, *Trés. des chart.*, J. 318, n° 36, unde filis sericis rubri coloris bulla plumbea Raymundi pendet.)

Notum sit omnibus quod anno domini M. CC. XL, scilicet III idus augusti, cum comes Galterius vicarius generalis domini imperatoris in regno Arelatensi et Viennensi peteret potestariam Avinionis a domino comite Tolose, dicens quod a domino imperatore receperat in mandatis quod potestariam reciperet supradictam, dominus comes predictus respondit ipsi comiti Galterio quod ipse receperat potestariam Avinionis et eam tenebat ad utilitatem, honorem et proficuum domini imperatoris; et quia comes Berardus nolebat vel nesciebat regere civitatem Avinionis predictam, et ideo magnum scandalum ortum fuit in civitate predicta, unde inimici domini imperatoris in eadem civitate insurgentes contra predictum comitem Berardum armati, proponentes ipsum comitem Berardum expellere a civitate et facere regimen per se, unde tota civitas si ipsi obtinuissent esset contra dominum imperatorem et cum comite Provincie et cum clericis, propter defectum regiminis ipsius comitis Berardi et ideo ad preces ipsius comitis Berardi et ad preces consilii generalis et parlamenti ipsius civitatis Avinionensis, ipse recepit potestariam predictam. Et quia cives Avinionis affectabant habere in potestatem dominum comitem Tolosanum plus quam alium et plus timebant eum quam alium et melius pote-

rat eos regere, deffendere et salvare, ideo dominus comes Tolose requirebat ab ipso comite Galterio qnod ipse desisteret a petitione potestarie predicte vel snpersederet a petitione predicta, donec dominus imperator snper hoc snam mandaret volnntatem, qnia dominns comes Tolose paratus erat potestariam tradere et relinqnere ipsi comiti Galterio, si dominus imperator mandaret; et ideo consulebat ipsi comiti Galterio quod supersederet a petitione potestarie donec dominus imperator snper hoc suam mandaret volnntatem. Et qnia comes Galterius snpersedere noluit, donec veniret nnncins domini imperatoris nec acqniescere snper hoc consilio domini comitis, dicens quod a domino imperatore receperat in mandatis quod potestariam predictam reciperet et teneret, et ideo non esset ausus supersedere, dominus comes Tolose volens obedire in omnibus et per omnia preceptis et mandatis comitis Galterii, vicarii domini imperatoris, concessit ipsi comiti Galterio potestariam Avinionis. Factum fuit hoc apnd Insulam in claustro. Testes interfnerunt dominus B. comes Convenarum, dominus Barralus de Bancio, Willelmus Arnaudus de Tantalo, Willelmus de Barreria, Poncins Astoaudi, Willelmus Augerius. Post hec scilicet die sequenti, predictns dominns comes Tolose tradidit predicto comiti Galterio potestariam Avinionis, in consilio Avinionis generali et in parlamento, illis presentibus de predicto consilio et mnltis aliis dicte civitatis qni erant in parlamento predicto.

Ego vero Petrus Olricus notarins publicus domini comitis omnibus iis presens interfui, qui mandato et autoritate domini comitis Tolose predicti, hanc cartam scripsi, bnllavi, composui et signavi.

Albertus Bohemus Gregorio papae nuntiat quot difficultates pro electione novi regis in Alemannia exsurgant; monens quid agendum sit ut episcoporum Germanorum contumacia tandem infringatur. [Circa medium augustum.]

(Edit. ex *Avent. excerpt. act. Alb. Bohemi*, ap. OEFELE, *Script.*, t. I, p. 787, et ap. HÖFLER, in *Bibl. des liter. Vereins von Stuttgart*, t. XVI, p. 14-15.

Digitized by Google

Papae aperit cum magno dolore et querimonia, cum caterva nobilium inter quos principes multi, Budissin (1) ad fines regni Boemiae convenisset, ad exequendum negotium de quo jampridem papae scripserat et ad quod dominus suus dux Bawariae omni sua et suorum virtute, armis bellicis adornatus, venire festinabat, quod rex Bohemiae vel potius Blasphemiae, inconsultis omnibus suis amicis, baronibus minime requisitis, nuntios Friderici heretici et reguli filii sui receperit, novam inierit cum ipsis amicitiam et conspirationem confirmarit, exclusis consanguineis et amicis. Quod cum dux dominus meus rescivit, quasi morte perterritus, toto suo exercitu et omnibus suis domi relictis ad regem Boemiae properavit ut eum proposito revocaret; frustra tamen. Nam nec minis nec precibus a suo proposito valuit revocari, quanquam major pars baronum Boemiae cum duce id postularet, crebroque sacramentum vobis, pater sanctissime, et Ecclesiae Romanae prestitum inculcarent. Hoc tandem post multos labores atque sudores auxilio baronum, maxime Bohuzlai filii Zlauconis, vix dominus meus dux obtinuit quod tamen illa confoederatio non fuit ad finem perducta et conclusa nec instrumentis vel obsidibus firmata, sed ad hoc apud Cubitum (quod vulgo Elnpogen dicitur) vel alibi alius tractatus perfiniretur quo singuli convenire possent, ut interim papa certior fieret ac res interturbaretur. Dicit hujus conspirationis auctores maxime fuisse landgravium Thuringiae, marchionem Brandeuburgensem, nuntios celebres ducis Brabantiae, comitem Gothardum (*a*) de Arnstein cum fratre suo converso de domo Teutonica et aliis quatuor fratribus nobilioribus domus ejusdem, quorum consilio et quorumdam aliorum imperium nunc gubernatur. Dein commendat et laudat ducem Bavariae dominum suum, eum esse christianissimum et papae simulque Ecclesiae fidelissimum, solum remansisse ut pupillum, desertum solatio omnium consanguineorum principum olim papae fidelium, nec habere unicum principem clericum vel laicum sub cujus umbra interdum valeat respirare. Rex Boemiae ut nomen magnum sibi conquirat sitit socios superbia

(*a*) Verisimiliter *Gaboardum*, cujus supra pluries mentio fuit.

(1) Scilicet *Budissen* sive *Bautzen*.

calcare, quasi ceteri principes qui ob devotionem Romanae Ecclesiae et in odium Friderici sibi adhaeserunt et eum sibi fecerant ducem et capitaneum et magistrum, sine ipso non possint aliquatenus subsistere vel etiam vivere nisi quantum suae sedeat voluntati. Domino meo, inquit, incutit metum, imo ruinam personae et haeredum suorum simulque distractionem omnium bonorum suorum, nisi sibi adhaereat ad omnem promotionem Friderici haeretici. Ait supplicare ducem ac cum lacrymis pedibus accidere sanctissimis, similiter uxorem ejus christianissimam cum suis haeredibus in tanto periculo constitutis misericorditer auxilio et consilio subveniat; utrumque enim principatum eorumdem omni parte ad intrandum et occupandum facile patere hostibus. Ipsa enim (subjungit) domina gloriosa devotissima famula Ecclesiae Romanae posteaquam tantam perfidiam intellexit relatu, statim incidit febres acutas quas et gravissime patitur in praesenti. Ideoque hortatur papam ut maturet si quid faciendum decreverit; nec enim posse ducem tanto impetui adversariorum resistere quem minantur ei hostes. Consulit ipse Albertus igitur papae, regi Boemie ut novit humanissime scribat ac rem omnino quam intendit rex, in proximo conventu impediat principum; scribat praeterea Bohuzlao filio Zlauconis, inde Budislao filio Jarozlai, itidem sorori regis Boemiae quae est conversa ad habitum fratrum minorum, cujus potissimum frater consiliis utitur, ut fratrem a proposito avertat et ad devotionem Romani pontificis reducat. Scribat praeterea baronibus, nisi rex sibi juramento adstrictus ea compleat quae jurarit, se interdicto Boemiam subjicere. Hujusmodi vero rei det monitorem et executorem archiepiscopum Strigoniensem vel episcopum Wratislabiensem qui hujusmodi negotium et non alii perficere poterint. Subjungit et gloriatur jam episcopos incipere ruminare tam circa Rhenum et alibi, formidine sententiarum latarum in ipsos et in ecclesias eorumdem, quasi velint mandatis apostolicis obedire et ad executionem contra Fridericum dirigere vias suas. Inquisitio contra Chunradum Frisingensem episcopum jam fit, et cum fuerit celebrata, sine mora (ait) vestrae gratiae transmittetur.

Archiepiscopus Salzburgensis et episcopus Patavinus conspirationem fecere cum duce Austriae nunc de novo. Interdictum quod ad mandatum

Digitized by Google

vestrum in Austriam tnli relaxarnnt, et nt audio excommunicationem quam in ejus personam tuli, revocarunt. Archiepiscopns Bremensis ut fama est mandatum sibi injnnctum contra Fridericum exequitur intrepide nt leo. In Bawaria nullus adhnc episcoporum obedit, sed omnes attentant perniciose resistere, Salzbnrgensi archiepiscopo persuadente. Argentinensis episcopus nil facit, sed de die in diem mihi promittit quod prius velit alios episcopos sibi sociare et tnnc mandatnm cum ipsis exequi. (In fine ait): Vobis, pater sancte, quoddam magnum secretum declaro. Cnm enim dominum menm ducem magno consilio super statu sacrosanctae Romanae Ecclesiae convenissem et inter cetera conculcarem (*a*) sibi soli quod hac vice jus electionis ipse et sui coelectores amisissent, ex eo quod intra tempus legitimum jus snum non fuissent prosecnti, alinm videlicet regem eligendo, et quod Ecclesia Romana qnae advocato catholico din carere non potest, maxime cum ab hereticis impngnetur, sibi providere poterit de persona alius Gallici vel Lombardi aut alterius in regem vel patricium aut etiam advocatum, Tentonicis incousultis, et per hoc posset imperinm sicut prins ad exteras nationes pervenire, dominns dux leniter et pnre mihi respondit : « O ntinam dominns noster papa hoc ipsum jam fecisset! propter hoc enim vellem utrique voci renuntiare, videlicet Palatii et ducatns, et dare super hoc Ecclesiae pro me et heredibns pnblicnm instrnmentum. »

Porro conqueritnr litteras papae snper ducatu Austriae ab Eberhardo [archi]episcopo Salisburgensi et U. (*b*) Pataviensi pedibns concnlcatas, ac minatos pnblico edicto si posthac quispiam hujusmodi afferat litteras, sive clericus sive laicus, non impnne habeat. Dat consilinm ex consensn partinm papae ad terrorem archiepiscoporum et episcoporum Alemanniae, canonicis injnngatur si eorum episcopi nolint obedire papae mandatis, ipsi tunc ad consilinm executoris sententiarum vestrarum alinm eligant episcopnm. Si tale mandatum in Alemannia insonnerit, sine dubio omnes episcopi incipient obedire. . . . . Praeterea indicat III nonas angusti, in inventione sancti Stephani, decanus et capitulnm Pataviense contra me

(*a*) Sic, pro *inculcarem*.
(*b*) Sic, legendum vero *R*.

publice praedicavit crucem, mnltos cruce signavit in salvationem animarnm; et in die dominico nonis augusti (1) episcopus Ratisponensis pnblice praedicavit papam iniisse concordiam cum heretico Frederico, non ad vestram voluntatem, sed ad omnem utilitatem imperii et honorem. Ita fidi Ecclesiae vulnerati.

Dein VI idus augusti (2) noctu media nuntii reguli cnm nuntiis episcopi Frisingensis, Landshutam venere absente duce qui tunc in Bohemia erat pro negotiis Ecclesiae Romanae, treugas solvere. Reguli nuntii duci et suis minati procacissime; omnes imperiales ad Boiorum terram devastandam intrabunt. Nitenaw vacasse ait; episcopum Ratisponensem excommunicatum concessisse buticulario de Nurnberch potenti imperiali qui cum filio atque dncentis armatis ad possessionem venit. Quod ubi ego intellexi, meos presbyteros et clericos cum trecentis armatis misi obviam ut tam buticularinm quam omnes milites et fautores Friderici excommunicarent; quam sententiam et potins formidine armatorum nostrorum declinans, domum rediit. Ecclesiam Henrico protonotario incliti ducis Bawariae devotissimo Romanae Ecclesiae contulit in spiritualibus et temporalibus gubernandam. Rogat papam ut adprobet.

Fridericus, Romanorum imperator, Ostiensi episcopo conqueritur quod Papa ante tractatam et firmatam pacem concilium ipsi imperatori valde suspectum sub specie pacis convocaverit. [Augusto exeunte.]

(Edit. ap. Baluze, *Miscell.*, t. I, p. 468, cum hoc titulo : *Ad cardinales Romane Ecclesie;* nunc coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455 ; *anc. fonds latin*, n° 8564, et cum codice Phillippsensi, n° 8390, ubi haec rubrica : « *Quibusdam cardinalibus adulatur admirando de convocatione concilii ante reformationem pacis.*)

(1) Scilicet 5 augusti, et supra 3 augusti.
(2) Scilicet 8 augusti.

Digitized by Google

Fridericus, etc., venerabili Ostiensi episcopo, etc. Illam pro firmo gerimus de vestra sinceritate fiduciam, illam in vobis et ceteris fratribus vestris esse constantiam opinamur quod quantumcumque devotionis et reverencie vinculo Romano pontifici sitis adstricti, quantumcumque sui processus impetum contra nos habitum sub generalis ecclesie nomine periculis vestris adscribat, causam propriam redigens ad communem, vos, velut orbis cardines et columpne firmissime, nec ad circumventionem innocentie nostre leviter possitis induci nec ad depressionem nostre justicie leviter commoveri. Et quantumcumque ad evitanda desolationis dispendia ut credimus per scissuram, currenti primum furori cesseritis, libenter tamen vos invenire velle remedia credimus per cautelam, quibus orta per impetum valeant reparari discrimina et excitata mundi dissidia conquiescant. Verum summa videtur circumspectione cavendum, ut sine prejudicio vestre discretionis immense loquamur, nedum per liquoris infusionem extingui credatur incendium, accensus ignis ardentius furiat, cum forsitan oleum jacitur in caminum. Illud etiam non minori diligentia credimus providendum ne materie nimis crude cauterium apponatur et ex quo sequatur vulnus insanabile potius quam vulneris medicina. Nuper enim audivimus, unde justissima ratione movemur, quod nobis excogitati consilii, qualitatis ejus et temporis prorsus ignaris, per summum pontificem adhuc publicum hostem imperii et nostrum capitalissimum inimicum pro pacis negotio, licet hoc vocationis emisse forma non exprimat, concilium convocatur; illo simpliciter annotato quod pro magnis et arduis Ecclesie Romane negotiis cismarinorum prelatorum et principum synodus evocetur. Verum quecumque sit causa vocationis hujusmodi litteris ad publicam famam tacita vel expressa, scitis tamen suspicionis nostre causam perlucide et indicia manifesta quod non pro nobis nec pro pace, sed contra nos et pro discordia potius tale concilium convocatur, dum non a vobis vel saltem communiter electe persone, sed ab inimico nostro et nonnulli nostri culminis inimici vocantur. Prius igitur tractari pax inter nos debuit et tractata firmari quam a tam remotis partibus pacis suffragia quererentur. Nos enim in hoc inimicorum nostrorum qui de primo vel ultimo se offerunt, superbiam

Digitized by Google

non timeremus, si cum eo pacem habebimus quem patrem habere, si datum esset desuper, deberemus in terris.

Fridericus, Romanorum imperator, fidelibus suis notum facit quomodo post brevem obsidionem capta Ravenna civitate, ad destructionem Bononiae intendere proponit, armis prius contra Faventiam sibi obstantem conversis. [25 augusti circiter.]

(Edid. FANTUZZI, *Mon. Ravenn.*, t. III, p. 81, e cod. Vatic. Pal., n° 953, f. 40; coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., 2954, *anc. fonds latin*, et 455, *fonds Saint-Germain-Harlay*; unde variantes lectiones hauriuntur.)

Fredericus, Dei gratia, etc. Dirigente Domino vias nostras et processibus nostris ubique prosperantibus in potentia manus ejus, que votis nostris accedunt cotidie expectationibus vestris honorem nostrum et imperii exaltationem zelantibus duximus ad gaudium reseranda. Noveritis itaque quod venientibus nobis feliciter et potenter ad comprimendam specialiter, sicut jam vobis scripsimus, Bononiensem pravitatem, ne civitatem Ravenne quam olim nobis fidelem maculaverat infidelitas aliquorum (1), nostris et fidelium nostrorum processibus mediam preterire videremur omissam, felicia castra nostra convertimus versus eam et quam propinquius potuit circumquaque eam fecimus obsideri, adeo quod de nulla parte vel ingressus exclusis vel inclusis aliquatenus patebat egressus. Cumque infra dies quatuor (2) siccatis paludibus, derivatis fluminibus que cingebant eam-

---

(1) Paulus Traversarius dominus Ravennae et partis Guelficae in civitate caput, decimo die hujus mensis augusti e vita decessit. Cujus liberi, Guillelmus scilicet et Aicha, post urbem captam ab imperatore in Apuliam relegati sunt. Cf. *Spicileg. Rav. Hist.*, ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. II, p. 578, et FANTUZZI, *Mon. Ravenn.*, *passim*.

(2) Scilicet a decimo quinto die mensis augusti usque ad vicesimum secundum quo reddita est ipsa civitas, obsidio duravit, ut monet *Spicileg. Rav. Hist.*, loc. sup. cit., ubi additur: « Imperator cum recepisset Ravennates ad sua mandata, die dominico sequenti VI eodem mense augusti exeunte (26 aug.) ivit cum Conrado (*lege* Henrico) filio suo et omnibus exercitibus eorum Faventiam et eam obsederunt. »

dem et in quibus potissimum confidebant et factis ubique pontibus, in instanti exercitui nostro jam facillima pateret undique captio civitatis, ita quod quidam paucissimi de exercitu nostro ea parte qua castra nostra suburbium accingebant, aggressum subitum facientes suburbium ipsum in momento ceperunt et submiserunt incendio; et sic cum de instanti civitatis captura nulla penitus dubietas haberetur, statim universitas Ravennatensium ad pedes nostros nuncios suos destinarunt, nostram lacrimabiliter misericordiam implorantes, et dantes universaliter et precise personas, civitatem et sua ad omnia nostra beneplacita et mandata. Nos autem qui de innata nobis clementia parcendo victis vincere gloriamur, tam contritam ipsorum penitentiam attendentes, considerantes etiam quod Ravennates specialis populus esse consueverunt imperii et inviti ac dolentes a nobis recesserant cogente malicia perversorum, ipsos et civitatem sola nobis pietate suggerente recepimus et habemus. Et ecce quod ad destructionem Bononie, sicut firmi propositi nostri est, feliciter et in magna potentia properamus. Nolentes tamen id modicum quod medium est fidelibus nostris oppositum, Faventie civitatem intactam post terga relinquere, in eam primitus victricia signa nostra disponimus convertenda, ubi certissime credimus infra paucos dies nostram peragere voluntatem. Vos autem super hiis omnibus congaudendo circa nostra servitia diligenter more solito insistatis quanto vobis specialiter et cunctis fidelibus nostri imperii ex felici processu nostro, in exaltatione nostri nominis et honoris, commodi proveniet incrementum, rebellibus nostris in virtute nostri brachii sine dubio perituris (*a*).

In castris in obsidione Faventiae, 31 augusti.

Fridericus, Romanorum imperator, Petro de Calabria justitiario

(*a*) Hujus epistolae cauda diverse in codice Mss 455, exhibetur et ita sonat : « *Quare de hiis nostris successibus congaudentes sic ad occurrendum nobis cum omni vestro exfortio, sicut jam pluries mandavimus, preparetis ut ad eas litteras quas misimus subsequenter sine omni mora viriliter veniatis, ad Bononiensium rebellium pertinaciam undique viribus comprimendam.* »

Digitized by Google

in Sicilia iterato mandato jubet ut Galvano Lanceae, Hermanno et Caczaguerrae uncias auri superius expressas, quas nec ipse nec Guillelmus de Anglone quondam justitiarius exsolverunt eisdem, exhibere procuret.

(*Regestum*, fol. 90 verso; cf. supra, p. 860.)

Datnm in castris in obsidione Faventie, ultimo augusti, XIII indictionis (1).

Albertus Bohemus Gregorio papae nuntiat quam pertinaciter episcopi Alemanniae sententias ecclesiasticas in se latas respuerint, suadens ut novum regem in Alemannia creare non omittat; monetque ducem Bavariae cum episcopo Frisingensi non sine praejudicio Ecclesiae composuisse. 6 septembris.

(Edit. ex *Aventin. excerpt. Albert. Boh.*, ap. Œfele, *Scriptor.*, t. I, p. 795, et ap. Höfler, *Bibl. des liter. ver. von Stuttgart*, t. XVI, p. 19.)

Gregorio papae Albertus proponit conspirationes episcoporum et archiepiscopornm contra Romanam Ecclesiam. Se mittere non posse nuntios, omnes vias frenis canalium Salzburgensem et Brixinensem episcopos obstruxisse, positis cnstodiis in arctis locis. Coactus per quamdam vetulam conversam et unnm puerum qui nequaqnam suspecti, litteras mittere. Ait se hoc anno post pascha dnm in Moravia esset, excommunicasse episcopos Moguntinnm, Salzburgensem, Patavienaem, Ratisponensem, Frisingensem, ducem Austriae, principes Misniae ac Thuringiae. Ducem Austriae

(1) « His diebus mense augusti nuper praeterito, Fredericus imperator posueral se cum magno exercitu circa civitatem Faventiam; et obsedil illam magnifice et potenter contioue toto tempore hyemali usque per annum sequentem. » *Rolandin.*, ap. Muratori., *Script.*, t. VIII, p. 237. « Exeunte proximo mense augusti imperator finxil sua castra apud Faventiam et combuxit burgos extrinsecos civitatis, etc. » *Chronic. de reb. in Ital. gestis*, p. 184.

paratum fuisse nuntiat, sed ab archiepiscopo Salispurgensi et episcopis prohibitum et absolutum. Interdictum relaxant, veterem conspirationem renovant datis obsidibus. Dein duci meo Bojorum unanimiter scripserunt ut me dimitteret ac a Bojaria pelleret. Canonici Ratisponenses in praesentia domini mei ducis Bavariae et nuntiorum Friderici jactarunt quod episcopo suo contra hostes imperii et Ecclesiae ad triennium velint dare sexcentos milites de suis prebendis solidatos ad honorem imperii et eorum charissimi domini Friderici. Dicit [quod] habito consilio fidelium Ecclesiae, pronunciavit eorum prebendas vacare, parochiales etiam fructus colligi, necessitatis causa reservari. Hac re territi vicini, et si mensem durasset, omnes episcopi Bojorum ad Romanam Ecclesiam rediissent, coacti precibus canonicorum; sed versutus episcopus Ratisponensis missis de ministris suis et de civibus meliores (*sic*), tres de canonicis, dominum ducem Bojarie Ratisponam ad suam presentiam evocat ac suis dolis circumvenit. Sententiam nostram vestra auctoritate datam retractari procuravit potentia seculari, nec his contentus canonicos, plebanos, alios clericos qui mandatis apostolicis paruerant et quasdam sententias ad mandatum meum fuerant executi, beneficiis ecclesiasticis et aliis bonis contra justitiam spoliavit. Sicut ipsa sententia omnes hostes Ecclesiae terruerat, sic post ejus revocatio omnes Ecclesiae consternavit amicos, imo terruit et confudit. Dicunt enim canonici Bavariae omnesque alii praelati ex quo de suis beneficiis sunt securi, posthac non timebunt tonitrua et fulmina Romanorum, quia non darent pro ipsorum suspensionis et excommunicationis sententiis fabam. Cum igitur jam inde lapsus incliti regis Bohemiae tam priusquam (*sic*) aliorum principum corda fidelium Ecclesiae vulneravit, et nunc ea que per dominum meum ducem Bavariae acta sunt circa praemissa, alios inficiant a secunda parte, sanctitati vestrae in illa puritate qua vobis et sanctae Romanae Ecclesiae coram domino Johanne camerario vestro personaliter tactis sacrosanctis Evangeliis juravi, consulo bona fide ut dominum meum ducem Bavariae super hoc quod vestras praesumpsit sententias infirmare verbo vel facto, vestris litteris plenissime arguatis; et nisi cum maxima solemnitate revocet quod fecit, comminari debetis eidem quod velitis totum ducatum suum ecclesiastico subjicere interdicto; confortetis quo-

Digitized by Google

que eum ut fortiores vires induat ad obsequium ecclesiae Romanae quam fecerit usque modo. Praecipiatis etiam ei districte, imo districtissime, ut me in omnibus negotiis vestris manuteneat et defendat pro suis viribus atque posse, ut me non impediat, sed potius promoveat et impellat ad negotia Ecclesiae promovenda, secundum mandatum mihi a vobis injunctum. Item consulo ut scribatis regi Bohemiae ut negotio similiter melius et fortius sit intentus, et si placet nobili viro Bohuzlao filio Zlanconis et nobili viro domino Budizlao filio Jarozlai, simul universis nobilibus baronibus Boemiae et Moraviae ut in remissionem omnium peccatorum suorum domino regi Bohemiae in negotiis sanctae Romanae Ecclesiae fideliter adsistant et eum ad obsequium Ecclesiae fideliter moneant et inducant. Idipsum si placet scribatis sorori regis Bohemiae conversae. Imo consulo modis omnibus ut E. praepositum, C. decanum, Semannum archidiaconum, canonicos Ratisponenses, cum aliis quatuor de canonicis quorum episcopus regitur consilio et dominus meus dux Bavariae est circumventus, per vestras litteras super his ad vestram praesentiam evocetis, mandantes ut intra duos menses a receptione mandati in propriis expensis et non ecclesiae coram vobis studeant comparere, sub poena, pater sancte, quae vobis expedire videbitur. Similiter consulo ut quinque de capitulo Pataviensi, quinque de Ratisponensi, tres de Frisingensi, quinque de Augustensi, tres de Eistetensi, quinque de Herbipolensi, quinque de Moguntino, quinque de Babenbergensi, quatuor de Brixinensi, quatuor de Constantiensi, quinque de Argentinensi, quatuor de Spirensi, quatuor de Wormatiensi ad vestram similiter provocetis sententiam (a), quod sententias latas vilipendunt. Quod si talis rumor in Alemannia insonuerit, omnes episcopi de Alemannia incipient obedire. Scribat canonicis si episcopi mandatis vestris obedire noluerint, ipsi alium eligant episcopum, consilio tamen executorum vestrorum; omnes episcopi terrebuntur, parebunt tandem. Ut petitiones per C. conversam, H. puerum missas velit exaudire, quod sine ipsis nihil expediri potest. Petit quoniam odiosus sit omnibus episcopis, clericis, laicis, ut ne ordinaria authentica et auctoritate judicum

(a) Sic; verisimiliter legendum *praesentiam*.

Digitized by Google

snbdelegatorum quocumqne tempore obtentornm in me fulminent, qnantocius revocet litteris, et suas latas sententias in Mognntinum, Salzburgensem, Pataviensem, Ratisponensem, Frisingensem [episcopos], qnas ipsi irrident, litteris suis adprobet.

Caeterum, pater sancte, scire cupio sanctitatem vestram (ita tamen, pie pater, ut sepnltum maneat in aeternum) quod electio regis in Alamannia retardatnr quia junior rex Daciae a proposito omnino recessit, patre sno dissnadente et lapsu regis Bohemiae faciente; fit tamen novus tractatns super hoc circa ducem Austriae et filinm sanctae Elizabeth (1), et quid possit apud illos inveniri adhuc ignoramus. Et si secretissimum cordinm principnm Alamanniae spiritualium et secularium scire cupitis et de omnibus ad Ecclesiae honorem informari, quod si et per vos tantum sine electione principum et tantnm de bona volnntate ipsorum novnm cupitis regem creare aut etiam capitaneum facere Lombardiae vel Tusciae, virnm videlicet strenuum, potentem in armis et militibns, ad honorem Ecclesiae Romanae juxta desiderinm cordis vestri, domino Argentinensi episcopo incontinenti sine mora vestris litteris injnngatis nt vobis nobilem virnm Henricum de Neifen transmittere non omittat. Illum enim ad hoc indnxi et ipsum vobis juramento firmavi nt si episcopns Argentinensis ejus principalis amicus, a vobis commonitus, sibi suaserit, statim propriis expensis ad paternitatem vestram iter arriperet festinanter. Is Henricus de Nympha de potentioribus et nobilioribns nnus est; grammaticam novit et gallicum satis bene.

Dominnm suum dncem Bavariae ad plenum composuisse (2) cum episcopo Frisingensi, nec tamen induci potuit ad partem vestram. Ante quadrienninm inter episcopum et dominnm meum ducem super quibusdam articulis quaestio agitata. Postqnam in tota diocesi Frisingensi episcopns Frisingensis interdicti sententias fulminavit, dnx ad sedem apostolicam appellat, episcopus ad majestatem imperii. Sed judex apostolicns auctoritate vestra de causa legitime cognoscens interdicti sententias relaxavit,

(1) Scilicet Hermannus Hassiae landgravins, qui anno 1241, secundo januarii die obiit.

(2) Haec compositio acta fuit octavo et vicesimo die augusti 1240. Cf. Meichelbeck, *Hist. Frising.*, t. II, p. 17.

Digitized by Google

interdictum solvens; fecerunt solemniter celebrari. Una pars mandatum abolevit, alia pars Ecclesiae Romanae multum detrahendo imperiale auxilium invocabat. Tandem gliscente partium pertinacia, biennio jam elapso, post saepius latas sententias excommunicationis et suspensionis fuerunt beneficiis auctoritate apostolica perpetuo destituti, clericisque papalibus data; praelium in Bavaria ex tunc commune ortum. Dux Bavariae cum sua parte papalis, episcopus vero Frisingensis parte altera imperialis. Episcopus autem volens famae nomen magnum apud imperatorem cumulare, noluit componi cum duce, nisi sua pars ut imperialis triumpharet et dux papalem posthac non foveret. Quare provenit contrarium. Ruit pars papalis, praevaluit imperialis, et verum quia omnes clerici partium Ecclesiae ab adversariis spoliantur. Insuper episcopo adjecit dux in eadem compositione pro damnis illatis in argento et possessionibus ad valentiam quatuor millium marcarum argenti, cum episcopus domino meo duci Bavariae decies plura damna intulerit et majora. Haec fecit illa fortissima conspiratio a suis consanguineis et ministris concepta. Supplicat. . . . . ut revocet illam compositionem potentia seculari factam per parentes excommunicatos. . . . . Famam fuisse ait Sinibaldum cardinalem legatum in Ungariam venisse, Germaniam intraturum; hujus adventu fautores Friderici maxime turbatos ait. . . . .

[Datum] nonis septembris.

Gregorii noni papae mandata varia de rebus Germanicis et pro Alberto Bohemo. [Septembri.]

(Inedit. ex codicib. Bibl. Leipzic., n° 1268, fol. 117 verso, et Bibl. reg. Berolin., n° 188, fol. 138 recto, 124 verso, 137 verso.)

I.

Commendat papa Albertum de sollicitudine sua.

[Gregorius, etc., magistro Alberto, etc.] Inspecto litterarum tenore per

Digitized by Google

quas nobis processus per te habitos contra mandatorum sedis apostolice contemptores et ea que in partibus aguntur Alamannie intimasti, diligentiam et sollicitudinem tuam in Domino commendantes, devocionem tuam rogamus et hortamur quatinus in sinceritatis tue proposito hiis semper studiosus intendas que honori Dei et Ecclesie videris profutura, ita quod divine retributionis premium, gratiam apostolice sedis et nostram uberius merearis. Nos enim de consilio fratrum nostrorum principes et prelatos de universis mundi partibus convocantes, ea curabimus ordinare que ad bonum statum et incrementum Ecclesie ad devotionem ipsius, dante Domino, permanebunt.

II.

Recommendans ei Albertum rogat papa quod imperatori non prestet auxilium.

[Gregorius, etc., regi Bohemie (*a*), etc.] Quam graviter persequatur Dei Ecclesiam reprobus Fredericus, quam perfide christianam fidem impugnet ille adversarius Trinitatis, quamque nequiter ipse tyrannus statum libertatis ecclesiastice subvertere moliatur, tua ut credimus prudentia non ignorat, cum id jam pervenisse potuerit ad orbis notitiam universi. Quare cum ipse cum omnibus adjutoribus, consiliatoribus et fautoribus suis excommunicationibus et anathematis vinculo [culpa] exigente sit astrictus, nobilitatem tuam rogamus et hortamur attente ac in remissionem tibi injungimus peccatorum quatinus in fide et devotione sancte Romane Ecclesie matris tue, tanquam catholicus vir et filius benedictionis et gratie, animo constanti persistens, non solum excommunicato predicto non impendas auxilium, consilium et favorem, verum etiam ipsius malignis conatibus pro posse resistens nullos per terram tuam in auxilium ejus ad impugnandos devotos Ecclesie, fidei catholice defensores, venire permittas; dilecto filio magistro Alberto archidiacono Pattavensi in executionibus mandatorum nostrorum assistendo viriliter, ac hiis omnibus que ad honorem Ecclesie et Dei pertinent exhibendo consilium et auxilium oportu-

(*a*) In cod. Berolin. legitur *Regi Francie*, sed male.

Digitized by Google

num, ita quod preter divine retributionis premium gratiam apostolice sedis et nostram exinde uberius merearis.

III.

Recommendat papa magistrum Albertum domino ipsius magistri Alberti.

[Gregorius, etc., duci Bavarie, etc.] Ut magister Albertus archidiaconus Laureacensis (1), quem sue merito probitatis sincere caritatis brachiis amplexamur, tuo favore suffultus ab indebita emulorum suorum sit inquietatione securus et se tibi pro eo quod apud nos fideliter laboravit, magis exhibere valeat fructuosum, nobilitatem tuam rogandam duximus et monendam quatinus sibi adversus injuriatores suos laicos terre tue presidio defensionis assistens, non permittas evidenter super redditibus suis a quocunque laico ejus terre, quantuscumque fuerit, indebite molestari, molestatores hujusmodi taliter compescendo quod devotionem tuam possimus merito commendare.

In castris in obsidione Faventiae, 13 septembris.

Fridericus, Romanorum imperator, narrat regi Angliae seu Franciae calliditates summi Pontificis qui concilium contra ipsum convocare disponens, per episcopum Brixiensem petiit in treugis usque ad festum Paschae contrahendis Lombardos rebelles includi : quas quidem cum Papa inire concedit, Lombardis vero penitus exclusis; sed vocari concilium durante discordia non permittit securitatemque venientibus omnino denegat.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. I, cap. 34. — MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.* ad ann. 1240, p. 367, in edit. 1644, ubi notae chronologicae reperiuntur, sed initium deest usque ad verba : *Qualiter enim ad multam.* — PERTZ, *Monum. Germ. Hist.*, t. IV, p. 337, ex codic. bibl. Vindob., ubi inscribitur :

---

(1) Jam anno 1240 archidiaconatum Pataviensem archidiaconatu Laureacensi (*Lorch* in Austria) cumulaverat Albertus, sicut ex ipsius litteris noscimus. Cf. HÖFLER, loc. supr. cit., p. 25.

Imperator Fridericus mandat duci Saxonie, etc., suppresso quoque epistolae initio. Nunc coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., n° 455, *fonds Saint-Germain-Harlay;* n° 202, *fonds Notre-Dame;* n° 8564, *anc. fonds lat.*)

Imperator regi salutem, etc. Infaillibilis veritatis testes et supreme justicie judicem attestamur quod cum apud vos et alios reges et principes illum transgressionis arguimus cujus verenda tegere filialis reverentie debito coarctamur, rubore multo profundimur nec ad hoc aliter dispendii nostri nos cura sollicitat vel rumor astringit nisi quod totius reipublice christiane, sed omnium maxime secularium dignitatum veremur ex nostra taciturnitate jacturam et proximam ex dissimulatione ruinam. Nam ut exempli perniciem taceamus, que sepe labitur a mundi primatibus et viris publica dignitate conspicuis ad privatos, ecce quod christianorum debet et potest corda compungere, debet et potest ad lacrymas oculos commovere quod iste nostri temporis pontifex, Ecclesie generalis archipater et catholice fidei predicator, Mediolanensium hereticorum maliciam fovere non desinit, immo sic in eorum favore continue per amplius atque perfectius obstinatur ut nec ipsum ab hoc et zelus divine caritatis amoveat nec privata correptio separet nec infamia scandali generalis abducat; sic est in obstinationis hujus soliditate firmatus ut resipiscentiam transgressionis ad vitium et perseverantiam reputet ad virtutem. Qualiter enim ad multam instantiam Lombardorum contra nos inconsulto calore processerit, satis vos publica fama perdocuit, qualiter etiam priusquam contra nos, religionis debito et pontificatus gravitate depositis, hostiliter arma capiens se ducem et principem nostrorum rebellium stabiliret, nos universale concilium et specialiter nunciorum vestrorum presentiam petissemus, serenitatem regiam credimus non latere. Demum notitiam vestram non latuit qualiter ad quorumdam ex fratribus ejus instanciam qui pro reparatione tanti discriminis pacis consilia cogitabant, preter omnem requirentium spem nostra magnificentia condescendit ut Lombardis prorsus exclusis, permitteremus eumdem ab insuetis infestationibus sacerdotum per temporalis treuge subsidium respirare, utpote qui pro sedatione scandali generalis et terre sancte subsidio procurando reperiri modos et vias patiebamur ad pacem. Sed Romane sedis antistes, ut pote pacis

Digitized by Google

emulus et non magis in perfidia fidem quam perfidiam in fide conservans, Lombardos eosdem quibus confederatus fuerat a treugarum ipsarum federe non passus est excludi, totius orbis dissidio Mediolanensium ac ipsorum sequacium suffragia preponendo. Cui cum in participatione tanti sceleris assentire nollemus, ut lese majestatis nostre reos sub predictarum treugarum involucro pateremur involvi, vel ipsos ullo modo pape presidio communiri, tandem postquam vidit eosdem rebelles nostros propria virtute deficere nec ipsis posse remedium temporalis saltem quietis offerre, ad artes alias postmodum se convertit, satagens nos per Walem (a) venerabilem Brixiensem episcopum ad nostram presentiam accedentem inducere ut cum pro reformatione pacis inter nos et Ecclesiam, ut dicebat, vestros et quamplurium regum nuntios ac nonnullos de occidentalibus partibus principes et prelatos ad synodum intenderet evocare, Lombardos predictos excellentie nostre bannitos in treugis cum ipso usque ad proximum festum resurrectionis Dominice contrahendis comprehendere deberemus, causam fingens ut ex particularibus treugis largior occasio ad universales preberetur. Audite mirabilem calliditatis astutiam, considerate signa prorsus a qualibet veritate remota (b), dum ideo pacem nobiscum habere velle se simulat ut Lombardos ad tempus pre treugarum suffragio respirantes contra nos securius postmodum in rebellione confirmet, utque contra nos ad discordiam se medio tempore per venientium prelatorum ad vocationem suam subsidia licentius preparet, spem nobis concordie pollicetur. Et ut evidenter ad oculum videatis quod pro discordia potius concilium advocet quam pro pace, formam hujusmodi convocationis attendite in qua nihil omnino de future pacis tractatu describitur, nisi quod pro magnis et arduis Ecclesie Romane negotiis vocatorum presentiam asserat oportunam. Tempus inspicite dum negatum nobis ante concilium, post rebelles nostros per nos aggressos hostiliter (c), nititur convocare. Considerate personas, dum spretis magnificentie vestre nuntiis per quos sibi tractatum pacis hujusmodi fre-

(a) Ita cod. n° 455, sed cod. n° 202, G^{m}; cod. n° 8564, *Walam*, rectius.

(b) Legitur apud Matt. Paris : *Audite mirabilem circumventionis modum ad depressionem nostre justitie excogitatum, dum pacem*, etc.

(c) Ap. Pertz : *postquam nos est aggressus hostiliter*.

Digitized by Google

quentius obtulistis, nunc. . . Provincie comitem manifestum excellentie nostre rebellem,. . . ducem Venetiarum, marchionem Estensem,. . . comitem sancti Bonifacii, Albericum de Romano, Biackinum et Cingullum (a) de Camino et Paulum Traversarium, cum quibus in necem nostram, data sibi pecunia, prout est publica voce notorium, conjuravit, vocat expressis nominibus ad synodum supradictam. Verum quantumcumque sint clara calliditatis indicia quibus iste Romanus pontifex nostram circumvenire credidit puritatem (b), tamen ob reverentiam summi Regis sic nominato episcopo duximus respondendum quod nos cum sacrosancta Romana Ecclesia matre nostra discordiam non habemus aliquam, sed ab hujusmodi Romani pontificis impetu justitiam imperii nostri defendimus et injuriam propulsamus. Nichilominus tamen cum ipso pacem semper habere optavimus et optamus, per quam generale mundi dispendium evitemus; et ut tractatus pacis a remotioribus partibus non queratur, per eumdem episcopum et alios bonos viros, justicie nostre conscios et communis concordie zelatores, ad presentem tractatum pacis ut mala de medio citius auferantur, obtulimus nos paratos; treugas etiam licet nobis tanquam ad belli presidia munitis infestas, inire concessimus cum eodem, sperantes per eas velut per quamdam salutiferam scalam posse facilius ad alta palatia pacis ascendi. Lombardos tamen excellentie nostre rebelles a nexu treugarum hujusmodi, sicut semper exclusimus, sic et in perpetuum excludemus; nec inter nos et eum durante presenti discordia vocari concilium per eumdem velut hostem publicum imperii permittemus, presertim cum nobis, imperio et terre principibus indecentissimum judicemus causas nostrarum secularium potestatum ecclesiastico foro (c) subjicere vel judicio synodali; sed omnibus ad concilium ipsum convocatis per totam terram nostre juridictioni subjectam in personis et rebus securitatem quamlibet denegamus. Quapropter serenitatem regiam precibus exoramus quatenus per prelatos omnes et singulos regni vestri edicti regii vulgato

(a) Ap. Matt. Par., *Gugsinum*. — Cod. n° 8564, *Beaquinum et Guçulum*, scilicet *Biaquino* et *Guecello de Camino*.

(b) Haec desunt ap. M. Paris. et ap. Pertz.

(c) Ap. Matt. Paris. et ap. Pertz : *honoris nostri causam suspecto foro*.

Digitized by Google

programmate divulgetis nt nullus sub securitatis nostre fiducia ad synodum ipsam accedat. Nos enim, quantumcumque regni vestri fidelibus ob amorem precipuum quem erga vos gerimus libentissime deferamus, presumptuosam tamen temeritatem eorum qui prohibitionis nostre temerarii contemptores ad inimici nostri vocationem accederent, nos non decerel ulterius equanimiter tolerare.

Datum in castris in obsidione Faventie, XIII septembris, XIIII indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, fidelitatem Cumarum erga se et avum suum Fridericum commendat, suadensque ne falsis Mediolanensium promissionibus decipiantur, nuntiat se in obsidione Faventiae castra posuisse, qua capta ad ipsorum partes celerius venire disponit.

In castris in obsidione Faventiae, 25 septembris.

(Inedit. ap. *Arch. comm. Cumar.*, lib. I *veter. monum.* ex regist. pergam., fol. 67 recto, 68 recto. — Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, pars II, n° 35, cui hic titulus inscribitur : *Cumanis animans eos in fide et quod caveant sibi ab inimicis et quod parent se ad recipiendum eum.* In isto vero notae chronologicae desunt.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, potestati et consilio et communi Cumanis fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Immensa fides et devotio singularis quas ad divum Fredericum augustum avum nostrum memorie recolende inviolabiliter observastis, tam alias sui radices transmisit et hereditavit in posteros, tam ferventi zelo in sui et suorum memoria corpora vestra et corda firmavit ut felici tempore nostro inter vires et impetus hostium et infinita pericula, per innumera metus et spei discrimina transeuntes, ad amplexum imperii et recognitionem dominationis antique et nobis et honori nostro personas et animos intrepide traderetis; postponentes hilariter quicquid possit in rebus accidere, quicquid in personis casualiter eveniret, ut solius constancia fidei preponderaret affectui et omnem eventum et sequencium

Digitized by Google

rerum turbidinem superaret fidelis et concors unanimitas voluntatum. Nos autem predicti avi nostri recordationis inclite vestigiis inherentes, qui vos et civitatem vestram privilegiorum, honorum et libertatum beneficiis liberaliter ampliavit, ea omnia vobis duximus alacriter confirmanda, tanto merita vestra continuis prosequi disponentes augmentis quanto per mortes et carceres dominationem nostram avidius assumpsistis. Ergo gens hereditarie fidei, populus inter fideles Ecclesie solus in invidia et nece Mediolanensium positus et plantatus, ab eorum insidiis vobis cavete propensius quod, sicut audivimus, non terrores et minas que in vestram non cadunt audaciam frustra inferunt, non frequentibus intemptant incursibus ut ad eorum perfidiam possint vos (quod avertat Dominus) revocare, nunc promissiones et blanditias offerunt ut seducant, cum revera non fidei parcerent nec rerum copiis indulgerent si vestram constanciam, sicut temptant et ad sui doloris cumulum inveniunt inconcussam, valeant promissionibus vel aliquo federe fictionis ab incommutabili fidei vestre proposito modo quolibet alterare. Confidimus tamen in vobis quod infidis adinventionibus et conatibus perfidorum vos constanter et viriliter juxta solitum opponatis, quia nichil aliud elaborant nisi ut potestatem haberent in vobis [et] ad vindictam quam contra vos sitiunt, de eis justius in vestris manibus reservatam, sicut decepti desipiunt, desevirent. De nobis autem certos vos esse volumus et plenarie confortatos quod necessitatis vestre continuati rumores felicem adventum nostrum ad vestrum subsidium et succursum in Italiam maturarunt; ita quod in Romaniolam venientes et civitate Ravenne subacta, Favenciam in transitum vie positam et nostris serviciis adversantem non vidimus omittendam, quam obsessam arctius circumquaque et bellicis machinis et propugnaculis procul dubio expugnatam proximo bellatorum aggressu intendamus instantius obtinere; et sic in antea via viribus et ferro parata, per rectum iter Lombardie versus partes ipsas disposuimus properare ut resumpta de hostibus ultione qui contra nos acriter debacchantur, statum vestrum in tranquillitate debita reformemus, universos et singulos vestrûm beneficiis et honoribus ampliantes. Vos igitur in fidei consuete robore consistentes ad receptionem nostram devotissime vos paretis, resistentes magnanimiter communibus inimicis,

Digitized by Google

quia celerius quam credatis expectatione celeris adventus nostri jocundos plenarie vos reddemus.

Datum in castris in obsidione Favencie, XXV septembris, XIIII indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, pro gratis et acceptis servitiis Viterbiensium fidelium suorum, imperialem aulam apud Viterbium fieri mandat et ibidem publicae pecuniae siclam cudendam esse jubet. In castris in obsidione Faventiae, septembri.

(Edid. Bussi, *Istoria di Viterbo*, p. 405.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, potestati, consilio, et communi Viterbii fidelibus suis gratiam suam et benevolentiam. Memores immense fidei vestre ad majestatem nostram et imperium inviolabiliter observate, servitiaque vestra multipliciter nobis exhibita pre oculis apponentes, altiori mente revolvimus qualiter statum civitatis et vestrum possemus honoribus et beneficiis ampliare. Ad id igitur recta deliberatio nos favorabiliter inclinavit, ut eandem nobis devotissimam civitatem, caput quodammodo regionis et provincie facientes, imperialem aulam in ea fieri mandavimus, in qua sit habitatio nostra continua, et ibidem ad exaltationem vestram sedem cesaream statuentes, que pacis et juris sunt auctoritate cesarea disponamus. Videmus etiam ad magnificandam urbem Viterbii provida deliberatione competere, ut in ea pro vobis et imperio publice pecunie sicla cudatur, que imaginis nostre subscriptione prefulgeat, et ad honorem nostri nominis ubique per regionem effusa, ad communes expensas omnium expendatur; ita quod denarius parve monete pro parvo Senensi, et denarius grossus pro duodecim denariis parvis recipi debeant et expendi. Ista etiam perpetuo valitura sancimus, et imperiali mandamus edicto firmiter et inviolabiliter observari; fidelitati vestre precipiendo mandantes quatenus, sicut per nos deliberatum extitit et provisum, et per vos unani-

miter acceptatum, devotione solita proseqni studeatis qualiter effectu debito compleantur; cum licet pecunie predicte percussio commoditatibus erarii nostri proficiat, universis et singulis vestrum ac civitati vestre cedat commodo et bonori et nos in vobis, quos ad sedem eligimus in Tuscia specialem, delectatione continua perfruamur.

Datum in castris in obsidione Faventie, anno dominice incarnationis M. CC. XXXX, mense septembri, XIV indictione.

In castris in obsidione Faventiae, septembri.

Fridericus, Romanorum imperator, universales nundinas apud Viterbium singulis annis celebrandas instituit, a festo beati Michaelis per quindecim dies duraturas, omnesque ad has nundinas convenientes sub sua et imperii speciali protectione recipit.

(Edid. Bussi, *Istoria di Viterbo*, p. 405.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, [Jerusalem] et Sicilie rex. Ad hoc in opportunis locis generales nundine sunt invente, ut communis utilitas, quam longe lateque humana procurat industria, alternis commertiis procuretur. Hinc est igitur quod subditorum nostrorum commoditatibus providentes, nihilominus generales curas hominum et labores benigno prospicientes intuitu, locum in Tuscie partibus pro mutuis commodis exercendis utilem et acceptum, videlicet civitatem nostram Viterbii tum pre sui fertilitate, tum pre oportunitatibus vicinorum, ad celebrandas annuatim universales nundinas duximus deputandam; imperialis auctoritate culminis statuentes ut deinceps singulis annis a festo beati Michaelis Archangeli, videlicet secundo die stantis (a) mensis septembris in eadem civitate Viterbii nundine incipiant, per quindecim dies firmiter durature, et ut ibidem sub securitate nostra et imperii tam vicini quam remoti conveniant, Transalpini simul et Italici, cum mercimoniis et rebus suis communia, sicut moris est, commoda faciendo.

(a) Sic pro *exeuntis*.

Digitized by Google

Quare mandamus, precipimus, sollicitamus et hortamur universos et singulos, quos gerendarum usus utilitatum et commoda rerum ubique sollicitant, quatenus statutis loco et tempore, sub nostro et imperii securo ducatu cum rebus, mercimoniis, et ceteris opportunitatibus, que consueverunt ad invicem ad commune commodum procurari, hylariter et prompte conveniant pro prefixis nundinis exercendis. Presentis scripti sanctientes edicto ut omnibus ad easdem nundinas venientibus, morantibus, et abinde redituris secura tranquillitas et tranquilla securitas prebeatur, et quod in personis et rebus undique serventur indempnes, et nullus audeat eos offendere, vel occasione qualibet aliquod ipsis impedimentum inferre, donec ad pretaxatum locum veniatur, et sub eisdem nostra et imperii securitate et indulgentia salubriter ad propria revertantur. Sciturıs omnibus quod quicumque presentis mandati nostri temerarius violator extiterit, indignationi nostre et imperii, ac ultioni debite subjacebit, hiis qui pacem et indempnitatem servabunt mercatoribus et ceteris venturis ad nundinas memoratas nostri favoris gratiam obtenturis. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Datum in castris in obsidione Faventie, anno dominice incarnationis M. CC. XL, mense septembris, XIIII indictione, imperante domino nostro Friderico II, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, imperii ejus anno XX, regni Jerusalem XVI, regni vero Sicilie XLIII, feliciter. Amen.

Fridericus, Romanorum imperator, ad petitionem Henrici lantgravii Thuringiae et palatini Saxoniae, concedit ut Dietricus Boppardiae aurifaber quædam bona quae ab imperio tenet, scilicet mercati bajulatum apud Boppardiam, unam vini carrucatam de imperiali prelo et decem frumenti modios, eidem lantgravio ven- In castris in obsidione Faventiae, septembri.

Digitized by Google

dere possit sub ea conditione quod eadem bona ab imperio in antea teneantur.

(Inedit. ex archivo Dresdensi. Dum originale privilegium fuerit deperditum, versionem Germanicam vetustiori sermone conscriptam exhibemus.)

Friderich von der Gotzs gnaden ein Romis keisser allewege ein merer tzu Iehrusalem vnd tzu Sicilien ein knnig. Vfer diss geienvartig schrift doin wir kund allin Inden die da sint vnd hirnoch kume mogent, das Heinrich ein lantgrav tzu Duringe vnd ein palentzgrav tzn Sachsen ein leif forste vnd vns mag von vnser hoden flelich had geheisen sint Dederich eyn goltsmid von Boparten vnser getrüwe diner etzillich gud zu Boparten die er von vns vnd von dem keissertum helt tzn lehen, besunders daz mart ampt tzu Boparten, eyn carre wins von vnsem kelter vnd tzehin masen froicht denck zu verkaufen, den lantgraue die selüe gud begert zu keufen. Alzo daz er sie von vns vnd dem keissertnm zu lehen halde wy den Helyas vnsen getruwen zu vnser eren vnd deinst vortznbelehen vnd urloss geuinde dem vorgenannten Dederich eym goltsmide die selüen guit zu verkanfen die wir im tzu kaufen von wirdigheid vnser gnaden gelüwen hain hirvmb wir dem vorgenannten lantgrauen der heissnngin genemes sins goninde sin vrloss geinn dem vorgenannten Dederich die vorgenannten gnit zu Boparten, sunderlich daz mart ampt tzu Boparten, eine carre wins von vnsem kelter vnd tzehin maz froichte die he von vns tzu lehen helt tzu vorkaufen dem seluen lantgraven tzu kanfen von vnsern gnaden geluwin han daz die guit der lantgraven von vns vnd dem keissertum zu lehen halde die vor dem benamden Helyas vnd sinen elichin erüen von vnseren eren vnn dinsten wegin liende sin. Ad hnjns, etc.

Datum in castris in obsidione Faventie, anno dominice incarnationis M ducentesimo quadragesimo, mense septembris, quarta decima [indictione].

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Fernando regi Castellae, significans in obsidione Faventiae prosperitatem suam et filii ejus Friderici, ad cujus instructionem et amplificationem votis omnibus aspirat. [Septembri exeunte.]

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1162, n° XXXII. — Coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars III, n° 43, et *anc. fonds lat.*, 4082.)

Fredericus, etc., Fernando illustri regi Castelle et Legionis, dilecto sororio (*a*) suo, salutem et sincere dilectionis affectum. Ut serenitatem vestram communis prosperitatis nova letificent, noveritis quod illo faciente qui dirigit vias regum, plena corporis incolumitate perfruimur et ubique nostrorum rebellium victoria desiderata potimur, aut si que sunt nostrorum hostium reliquie quas fidei nostre pater, sed tamen vitricus noster fovet, in expugnatione Faventie quam sicut zona noster cinxit exercitus, ut jam fere simus de ipsius deditione securi, prorsus ad nichilum deducentur. Ceterum ut de Friderico benedicto (*b*) filio vestro et nepote nostro carissimo paternis affectibus gaudeatis, apud nos sanum eumdem et virtutum indoli regie debitarum susceptibilem esse noscatis; ad cujus instructionem in moribus et amplificationem in rebus, illis votis intendimus et affectibus aspiramus ut effectu pateat quod eum non tam ad avunculum transmisisse vestra serenitas gaudere merito valeat quam ad patrem.

Fridericus, Romanorum imperator, Ottoni duci Bavariae man- In castris in obsidione Faventiae, 4 octobris.

(*a*) In cod. 4042, *socero;* male.

(*b*) Ibidem, *antedicto;* minus recte, dum hujus mentionem in priori epistolae parte non inveniamus.

Digitized by Google

dat ut Albertum Bohemum clericum auctoritate papae in se blasphemantem a finibus Bavariae expellat.

(Edit. ex *Avent. excerpt. actor. Alb. Bohemi*, ap. ŒFELE, *Scriptor.*, t. I, p. 797. — HÖFLER, in *Bibl. des lit. Vereins von Stuttgart*, t. XVI, p. 26.)

Fridericus imperator Ottoni duci comiti palatino Rheni dilecto principi suo. Dicit se ex litteris archiepiscopi [Salzburgensis] et ducis Austriae intellexisse nomen suum auctoritate Gregorii dicti papae blasphemari in conventibus, urbibus, oppidis, vicis, consensu ejusdem, per Albertum Bojemum clericum, cum ipse dux suo beneficio tam altum gradum imperii teneat. Nec decere nec expedire ut patiatur id. Praecipit expellat, aliosque hujusmodi se vituperantes.

In castris in obsidione Faventiae, IV octobris.

(Adest altera hujus mandati versio, quam stylo oratorio exaravit Aventinus, in suis Boicis Annalibus, edit. prima, p. 677. Hanc, licet ab originali forma multum discrepet, vicissim ediderunt TOLNER, *Histor. Palat.*, p. 64. — SCHEID, *Origin. Guelf.*, t. III, praef., p. 27. — HANSIZ., *Germ. sacra*, t. I, p. 379. — HÖFLER, *Alb. Boh. acta*, ap. *Bibl. des liter. ver. von Stuttg.*, t. XVI, p. 43.)

[Fridericus, etc., Ottoni Bavariae duci, etc.] Certior factus sum litteris Eberhardi archiepiscopi Juvavensis atque Friderici ducis Austriae Albertum quemdam sacerdotulum authoritate Gregorii qui dicitur papa in nos convicia jactare, eumque in vicis, oppidis, castellis tuis habitare. Quam id impium sit tute existimare potes. Morte moriatur qui maledicit principi suo. Te atque tuum avum ex infimo loco ego et avus meus ad fastigium summum eveximus; hujuscemodi crimini laesae majestatis obnoxius exigatur.

Data in obsidione Faventiae, quarto nonas octobris.

In obsidione Faventiae, 11 octobris.

Fridericus, Romanorum imperator, B. de Sugio provisori castrorum Aprutii mandat ut ad custodiam castri Pectorani quod est

Digitized by Google

Friderici filii sui, de pecunia curiae si necesse fuerit supplementum faciat.

(*Regestum*, fol. 70 recto; Cf. supra, p. 747.)

Datum in obsidione Faventie, XI octubris, XIV indictione.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Bertholdi de Horburch concedit ut in defectu haeredis masculi, filiae ejusdem Bertholdi in feudis quae ab imperio tenet apud Rumoldesheim et Sorheim et alibi, succedant.

In castris in obsidione Faventiae, octobri.

(Edid. LANG, *Materialien zur OEtingischen Geschichte*, t. II, p. 224, ex originali, unde pendebat sigillum cereum filis sericis flavi et rubri coloris.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Per presens scriptum notum facimus universis tam presentibus quam futuris quod constitutus in presentia nostra Bertholdus de Horburch fidelis noster culmini nostro supplicavit ut cum heredem legitimum masculum non haberet, cui in feudis que a nobis teneret successio deberetur, filiabus ejus fidelibus nostris feuda que a nobis et ab imperio teneret in villis Rumoldesheim et Sorheim et alias sive in hominibus sive in bonis, ut in eis tanquam heredes masculi succederent, concedere de nostra gratia dignaremur. Nos igitur qui favorabiles fidelium nostrorum petitiones clementer amplectimur, supplicationibus prefati Bertholdi pio faventes assensu, filiabus ejus feuda que predictus pater earum in villis Rumoldesheim et Sorheim et alias sive in hominibus sive in bonis a nobis et ab imperio tenet, in manibus Sifridi de Horburch avunculi earum fidelis nostri, ut in eis tanquam filii legitime succedant, de innata clementia liberaliter duximus concedenda. Presentis scripti auctoritate mandantes quatinus nullus sit qui filias Bertoldi predicti in feudis eisdem contra presentis concessionis nostre paginam impediat vel molestet. Quod qui

Digitized by Google

presumpserit, indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus igitur nostre concessionis futuram memoriam et stabilem firmitatem, presens scriptum fieri et majestatis nostre sigillo jussimus communiri.

Datum in castris in obsidione Faventie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, mense octobri, quartedecime indictionis.

[Octobri.] Fridericus, Romanorum imperator, regi Franciae notum facit quod in obsidione Faventiae castra sua non ante captionem hujus civitatis amovenda praefixit, memoratque quibus injuriis a Faventinis fuerit lacessitus.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars II, n° XLI, quem mendis evidentioribus purgavimus.)

[Fridericus, etc., regi Francie, etc.] Succedentes cotidie processibus nostris felices eventus quorum participes vos censemus, ad regalem noticiam ylariter ducimus referendos, quociens occurrit oportunitas nunciorum. Transeunte igitur per nos et ad partes ipsas feliciter veniente Marino juris civilis professore, fideli nostro, de cujus prudentia et fidelitate tam in se quam suis constat nobis per experientiam fida fides, cupientes de vestre incolumitatis noticia certi plene fieri, cui tanquam proprie congaudemus, presentes litteras nostre felicitatis gerulas et salutis per eum libentius destinamus, vestris sinceris affectibus intimantes quod a principio estatis preterite, tempore scilicet quo solent reges ad bella procedere, cum victricibus aquilis imperialia signa ferentibus castra nostra feliciter educentes, depopulationem quacumque transivimus per Anconitanam marchiam procuravimus; ad eorum excidium generale statuto ibidem capitaneo nostro qui una cum fidelibus nostris continuis eorum incursibus institit et insistit. Quia [vero] presentiam nostram in Romaniola ingentia negociorum pro casu et destructione inimicorum nostrorum illarum

Digitized by Google

partinm instantins evocabant, illnc victoriose transivimus, ac obsessa undique et artata Ravenna qne dudnm per proditores nostros a dominio nostro subtracta fnerat, infra VI dies optenta, licet propositnm itineris nostri fnisset pridem snper Bononie obsidione conceptnm, quia tamen interjacebat velut vipera persecutrix Romaniole et nostri honoris et nominis inimica, infida Faventia, de cnjus favore et societate Bononia conatus suos in nostros fideles sepins exprimebat, felicia castra nostra in ejus obsidione vidimus primitus prefigenda; qnam sic arcte, sic potenter obsedimus per infinitam copiam bellatorum et diversis machinis et aliis instrumentis bellicis circumseptam quod vel per insnltum vel deditionem voluntariam aut invitam, si eam in misericordiam nostram recipere volnerimns, proximam esse credimus captioni; nnllatenns abinde recessnri nisi eam anctore Domino, previo nostre justicie ac recto jndice perfidorum, ad nostrum domininm edomemns. Amotis enim castris nostris ex nostre constitutionis edicto [pro] temptoriis domus in ejns circnitu sunt universaliter fabricate nbi rernm necessariarum et victnalinm copia prehabnndat (1). Redeuntibns etiam ad mandatnm nostrum quatuor de civitatibus Marchie, in quibus fuit spes papalibus elusa cum eas intenderent contra imperinm detinere, via enntium et venientinm cum rebns venalibns est penitus reserata, sicque a regno nostro in exercitnm terra mariqne per totam Anconitanam marchiam affluenter necessaria singula defernntur, ut firmata sic et disposita snper excidio Faventie mora nostra, non yems, grando vel pluvia nos movebnnt usqne ad ipsorum nostrorum rebellium confusionem debitam et extremam. Altius enim illate nobis per eos injurie subennt mentem nostram; nam nobis olim prospere venientibus ad imperiale diadema snmendum opposnit se processni nostro contrariam (2), fuitqne post Mediolannm anctrix et seqnela ut tempore procedente et nobis in eisdem partibns cum exercitu nostro transire proponentibus per eamdem, pnblice

(1) « In proximo mense octubris, imperator credens ibi yemare statuit fieri fossata in giro castris et spaldis et berteschis munita et domos in ipsis fieri fecit. » *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 184. Inde discimus quamdam bellicam civitatem jam in obsidione Faventiae ab imperatore fuisse statutam, sicut postea in obsidione Parmae fieri voluit.

(2) Cf. supra, t. I, p. 873, not. 1, et p. 878, not. 2.

Digitized by Google

nostre necis invidias procurarunt; ita quod prestita nobis ex altitudine divina cautela et gressus nostros divertente a civitatis ingressu, dum conceptam non possent occultare maliciam, in multitudine ingressorum personam nostram esse credentes, irruerunt in turbam, perfidia eorum oculos obumbrante; quemdam militem qui videbatur nostram presentiam presentare nomine nostro infidus populus occiderunt, captis et detentis omnibus cum eorum arnesio qui transibant (1), donec se deceptos in patrato scelere cognoscentes conati sunt dissimulare que fecerant, restituentes quos ceperant et ablata. Sed conscientia eorum tam gravis offense non potuit oblivisci quin ad diffidentiam in reprobum sensum dati, ut major esset eorum iniquitas quam veniam mererentur, deteriora cotidie perpetrarent ut usque ad hec tempora a Domino in nostro judicio reservati durius pro meritis puniantur. De quorum casu in proximo credimus vos efficere letiores, cum sit honor et desiderium commune regnantium si per potentiam dominorum protervitas conculcetur (*a*).

Laterani, 13 octobris.

Gregorius papa G. de Romania Apostolicae Sedis legato et Nicolao ordinis Cisterciensis fratri mandat quid agere debeant cum potestate Januensi et fidelibus Ecclesiae apud Januam, de navibus et galeis praeparandis quae praelatos ad concilium venientes deferant.

(*a*) Hii sequuntur in codice versiculi, seu apophthegmata quae nihil ad epistolam praecedentem proficiunt:

Desperata seges numerosa falce secatur
Et sata cum multo fenore reddit ager.
Tanto pluris erit nobis victoria quanto
A paucis partam de pluribus esse liquebit.
Omnia principiis semper inesse solent.

---

(1) Cf. supra, t. II, p. 565, not. 2.

(Inedit. ex *Gregor. IX Regest.*, ann. XIV, in *Collect. La Porte du Theil*, ap. Biblioth. Cesar. Parisiensem.)

Gregorius, etc., G. de Romania subdiacono et cappellano nostro, apostolice sedis legato, etc. Nuper pro diversis et arduis Ecclesie Romane negotiis, ecclesiarum prelatos, regum et principum nuntios ad festum resurrectionis dominice proximo venturum duximus ad nostram presentiam advocandos. Verum quia sicut pro certo intelleximus, Fridericus dictus imperator, adversarius Dei et Ecclesie, vocationem istam quantum potest nititur impedire, precipiendo mandamus quatenus, cum nulla ratione tantam confusionem Ecclesie sustinere possimus, sicut caram habes gratiam apostolice sedis et nostram, cum nobili viro potestate et consilio Januensi quod tantum numerum galearum et navium in quibus prelatos et alios ad ipsum concilium venientes, secure ad sedem apostolicam deferendos et reducendos, in locis quos tecum et cum dictis potestate et consilio dilectus filius..... frater Cisterciensis ordinis lator presentium, quem ob hoc transmittimus, statuet, possint recipere, preparent, necnon de certo naulo pro singulis galeis et navibus sic caute, sic secreto quod id nequaquam antequam firma sint omnia et firmiter roborata, ad dicti Friderici vel suorum fautorum notitiam pervenire valeat, ordinare procures; ab ipsis Januensibus cautiones sic sufficientes nostro et Ecclesie Romane nomine recepturus quod super hoc intentione sua nullo modo frustrari possit Ecclesia et prudentiam tuam possimus exinde multipliciter commendare. Nos enim eidem fratri ordinandi de consilio tuo, venerabilis fratris nostri archiepiscopi et aliquorum prudentum prelatorum, fratrum predicatorum et minorum Januensium ac aliorum quos videris expedire, super securitate nauli et aliis omnibus necessariis exequendis, plenam contulimus potestatem; cui ea que tibi ex parte nostra dixerit credere et efficaciter adimplere procures.

Datum Laterani, III idus octobris, pontificatus nostri anno XIV.

In eumdem modum scriptum est, mutatis mutandis, potestati Januensi, simulque mandatum est episcopo Penestrino et cardinali sancti Nicolai in carcere Tulliano, apostolicae sedis legatis, ut ad concilium veniant et de

Digitized by Google

pecunia quam pro subsidio Ecclesiae receperunt, nuntiis Januensibus et creditoribus Ecclesiae satisfaciant.

Memoriale fratris Nicolai cisterciensis ordinis.

Primo Gregorio de Romania omnes litteras presentabis, et tu ipse una cum Petro de Guarcino secreto cum potestate Januensi, juramento recepto ab ipsa potestate de secreto tenendo quod a vobis ei fuerit proponendum, tractabitis super imminenti negotio quod in nostris litteris est expressum, ea que videritis expedire secundum formam que in litteris apostolicis est expressa, et si expedire videritis, G. de Nigro sub eadem cautela propositum nostrum poteritis revelare, et cum eorumdem consilio aliis devotis Ecclesie sub eadem cautela communicare poteritis negotium supradictum, ita quod horum adjuti consiliis et auxiliis Ecclesie propositum firmiter roboretur. Super naulo navium, galearum et usceriorum pro deducendis et reducendis prelatis et aliis qui ad concilium sunt venturi, caute et prudenter Januenses ad recipiendam moderatam quantitatem pecunie inducendo, et ut pecuniam pro naulo solvendam in regno Francorum recipiant, detis operam efficacem, vel accipiatur mutuum sub cautela et obligatione prelatorum que in litteris nostris exprimitur, quod certo termino et annue persolvatur. Vobis autem districte in virtute obedientie precipiendo mandamus quatenus huic negotio ita detis operam efficacem quod propositum nostrum modis omnibus feliciter consumetur et Romana Ecclesia intentione sua nullatenus defraudetur, maxime cum prelatis mandemus quod per naves, galeas et uscerios Januensium eundo et redeundo transitum securum habebunt; apud quos nos de mendacio argui non oportet. Predictis etiam proponatis quod ad honorem Dei, exaltationem Ecclesie et ipsorum perpetuam libertatem et sue civitatis augmentum hoc quod agitur, actore Domino, pertinebit. Dicatis etiam eis quod cum a pluribus comitibus, baronibus et aliis nobilibus viris et fido dignis speretur quod per terram haberi possit securus transitus prelatorum, tamen quia fiducialius speramus de constantia fidei et devotione Januensium, volumus quod ex hoc ipsi magis consequantur honorem. Preterea noveritis quod legato Francie et aliis apud quos pecunia Ecclesie conservatur, quantitatem quam tu, fili G., duxeris tuis litteris exprimendam, solvi

maudavimus Jauuensibus autedictis. Et licet consueveriut Januenses dare galeam beue armatam pro ducentis libris Januensium per uuum mensem, sicut jam experimeuto didicimus, vos tamen habere pro miuori si poteritis laboretis; naves autem ad portaudam multitudiuem clericorum et aliorum uecessarias reputamus. Provideatis etiam cum Jauueusibus de locis oportunis iu quihus recipi debeant prelati et alii ad coucilium veuieutes.

Gregorius papa Alberico de Romano iterum scribit ut nuntios suos mittat ad concilium Romae habendum contra Fridericum imperatorem. Laterani, 15 octobris.

(Edid. Verci, *Stor. degl. Ecel.*, t. III, p. 283, e libr. arch. comm. Tarvis. signat. N 2.)

Gregorius episcopus servus servorum Dei, dilecto filio uobili viro Albrico de Romauo salutem et apostolicam beuedictiouem. Nuper cousiderantes quod instantis malitia temporis negotiis diversis et arduis nou solum Romanam, sed etiam uuiversalem angit Ecclesiam et cupieutes iu his sub ea prudentia et discretioue procedere quod et ipsa uegotia optatum auctore Deo finem suscipiaut, et exinde houor Ecclesie geueralis et salus populo christiauo cousurgaut, prudeutiam tuam apostolicis sollicitavimus litteris ut usque ad festum proxime veuturum resurrectionis Domiuice, ad quod uuper hoc advocavimus coucilium prelatorum, ad uos tuos nuucios qui uobis vice tua salutare cousilium tribuant destiuares, ut dispositio nostra tauto cuuctis sit gratior qnauto plurimorum fuerit provida et salubri deliberatioue coucepta. Verum sicut pro certo iutelleximus, adversarius et hostis Ecclesie F. dictus imperator qui in diversis articulis matri Ecclesie quihus potest conatihus adversatur, universalis Ecclesie commodum proprium existimaus detrimeutum, ut auctoritatem apostolice sedis auuihilet ac uuitalem sciudat, quod absit, Ecclesie generalis, prefatum consilium uititur impedire diversarum fraudum veneua coficieus, ut couceptum

tam pii desiderii propositum hiis profusa mater Ecclesia pariat abortivum; propter quod ipsius qui calcaneo Ecclesie insidiari non desinit non ignorantes astutias, ne tanta Ecclesie generalis utilitas de facili ejus dolo impedita depereat, super omnibus que ad tantum negotium exequendum impediunt, annuente Domino, curabimus providere. Hinc est quod nobilitatem tuam rogamus attentius et hortamur in Domino Jesu Christo quatenus ad nos super premissis omnibus idoneos et providos nuntios usque ad supradictum festum destinare procures, ita quod ex hoc Deum tibi debitorem et Ecclesiam tuis utilitatibus obligatam constituas ac zelari honorem universalis Ecclesie, salutem propriam et populi christiani tanquam vir catholicus apertius comproberis.

Datum Laterani, idibus octobris, pontificatus nostri anno quartodecimo.

Scriptum est eodem tempore sub verbis eisdem, ad potestatem, consilium et populum Mediolanensem, nisi quod finis epistolae ita sonat : « Ita quod ex hoc comprobemini tanquam viri catholici zelari honorem universalis Ecclesie, salutem propriam et populi christiani. » Ap. HAHN, *Collect. vet. monum.*, t. I, bull. pontif., p. 144, 145.

Laterani, 15 octobris.

Gregorius papa Beneventanos confortat ut viriliter se et suam civitatem defendant, eorum calamitatibus compatiens, sententiamque banni in proditores ad exterminium civitatis intendentes latam auctoritate apostolica confirmat.

(Edid. RAYNALD., *Annal. eccles.*, t. XXI, ad ann. 1240, § XV, e Regest. Gregor., lib. XIV, epist. 167.)

Gregorius, etc., Beneventanis, etc. Utinam affectus nostros optatus sequeretur effectus et non ex operibus justitie que fecimus nos, sed secundum multitudinem miserationum suarum annueret Dominus votis nostris, quia nec vos afflictiones et pressuras pati diutius nec nos vobis super

Digitized by Google

iis compati longius cogeremur. Verumtamen quod nondnm in hoc est nostris et vestris desideriis satisfactum, preter arcanum providentie divine consilium qnod comprehendere mortalium nemo potest, certum est vobis indicinm qnod adhnc vos probare disponat, ut fidei vestre probatio multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem. Vos ergo sicut viri virtutis et gratie, considerato pront convenit diligenter qnam grande quamque solemne apud omnes gentes factnm sit constantie vestre nomen, quantumve virtntis et glorie vestre accreverit civitati, accingimini et estote filii potentes, civitatem ipsam et vos ipsos viriliter defendendo; ac loca tntiora servantes, illa in quibns posset esse pericnlum cantius evitetis, securi qnod in proximo actore Domino reportabitis gloriosum de lugubri calamitate snccessnm. Ceternm cum quidam de civitate predicta, sicnt non absque multa turbatione didicimus, pestilentes spiritu diabolico concitati ad civitatis ejusdem extermininm intendentes, ipsam in manus hostium prodere niterentur, quia proditione Domino faciente detecta fuge presidium de manibns vestris eripuit proditores, vos commnnicato consilio statuistis ut proditorum ipsorum bonis omnibus confiscatis, tam ipsi quam eorum heredes nnnqnam ad regressnm civitatis jamdicte in perpetnnm admittantur, nos proditionem et proditores sicut convenit detestantes, statutum hujusmodi provide factum auctoritate apostolica confirmamus et presentis scripti pagina communimns.

Datum Laterani, idibus octobris, anno XIV.

Mense novembre fratres praedicatores et minores omnes de regno exeunt imperatore mandante, duobus tantum relictis qui sint de regno nativi in singulis quibusque illorum domibus, ad custodiam earumdem. *Ricc. de S. Germ. Chronic.* ad ann. — Venetici in Apuliam intraverunt civitates et loca juxta mare sitas depraedantes, et etiam duas naves imperatoris in quibus multi Novembri.

Digitized by Google

homines erant cum maximo thesauro comburentes. Unde imperator valde indignatus mense novembris mandavit in Apuliam et fecit suspendere comitem Petrum Tepulum filium ducis Venetiae quem detinebat carceratum. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 184.

[Novembri exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, justitiariis regni mittit litteras quas universis scripsit pro collecta, cum cedula interclusa, mandans ut idem subsidium quod non tantum a demaniis, sed etiam ab ecclesiis, clericis et feudatariis exigitur, discrete ac fideliter imponant.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. XXXVIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame,* 202, et cum cod. Bibl. Guelferbit., Aug. 13, 4).

Fridericus, etc., justitiario Aprucii, etc. In infrascripta forma fidelibus in regno scripsimus pro collecta :

Ad compassionis nostre precordia velut quedam acuta venabula transeunt universitatis vestre gravamina, que pro nobis tanta fidei puritate suscipitis, tanta devotionis integritate portatis; nec solummodo vobis ex illa causa compatimur, quod et nos ipsi dolemus, sed quia videmus regni nostri filios extra regnum vexari, laboribus et dispendiis affici; quin oppressiones hujusmodi nobis et vobis ex inopinato proveniunt, ut dum portum nostre navigationis attingere credimus, exuberante malicia temporis, ad remotiora multotiens reducamur. Dudum etenim cum ex deditione multarum urbium et locorum ad nos confugientium seu spectantium, que Mediolanensis nequitia confovebat, tum ex campestri victoria per quam tam strage quam carcere plurimorum, ipsorum superbiam (exercituum Deo favente) magnificentia nostra calcavit, tum ex universalis vastationis gladio, qui nullum nostrorum rebellium penitus dimisit intactum, in tantum eosdem ad extrema deduximus quod continue ver-

bum deditionis ab eis nostra serenitas expectabat, et necessario hoc dixissent utcunque, nisi quod nequitie pontificalis elatio contra nos, veteris odii exagitata stimulis et innate superbie ventis inflata, vite quodammodo spiritum mortuis insufflavit, processibus nostris quantumcunque potuit, licet parum potuerit, se nequiter opponendo. Sed huic etiam morbo nuperrime reperisse credidimus medicinam, dum ad multorum ex fratribus suis multam instantiam, verbum pacis ab eo cum suavitate recepimus, [et] propter treugas a majestate nostra promissas eisdem a vastatione Campanie divertentes (1), versus Italiam non tam ad expugnandos quam ad recipiendos ad gratiam excellentie nostre rebelles recto diametro direximus gressus nostros. Sed adversus sui veneni nequitiam theriaca nostra non valuit, nec medicina profecit, quin per digressum nostrum securitate recepta, tractate pacis oblitus, ad discordiam se convertens, contra nos pejora prioribus moliretur; in rebellionem nostram Faventinorum nequitiam, qui de captando favore nostro nobiscum jam tractare ceperant, per angelos suos malos, fratres Minores et Predicatores scilicet, quibuscunque presidiis potuit confovendo, et Venetos ad destructionem maritime regni nostri venenosis armando consiliis, ut nos ab instanti victoria revocaret. Nos autem ad expugnandam Faventie civitatem, tanquam ad dissolvendum totius obligationis nodum, et unicum obstaculum removendum per quod totius victorie nostre rota convertitur et velocitas prepeditur, instantissime vidimus et finaliter insistendum; qua favente Domino, cum se verni temporis opportunitas dederit, indubitabiliter expugnata, cum de obtentu Bononie postmodum nullatenus dubitetur, sic ad exterminium nostrorum rebellium continuatis excellentie nostre viribus, velut propterea residuo Ducatus et Marchie nostris titulis accedente, via nostris processibus aperietur ut postmodum presentis guerre victoria necessario presentia persone nostre non egeat, et effusionem tantorum operum et labores tot hominum non requirat. Ad obtinendum igitur de tam memorabili pugna triumphali triumphum, que jam ad vesperum declinavit, devotionis vestre subsidia

(1) Cf. supra, p. 1002 et 1015.

Digitized by Google

secure requirimus, que sic prompta nobis affutura credidimus, ut pro victorie desiderate leticia, vos non attenuatos opibus nec laboribus fatigatos, sed recentes ad subventionis nostre suffragia reperire credamus. Nec tamen volumus in tantum ad indefessam promptitudinem fidei vestre respicere, quin velimus eandem providentie nostre modestia moderari, ac prius nobis ipsis in parte deficere et necessitates insolitas sustinere, quam vos gravis et inconsueti gravaminis onere pregravare; utpote qui ad istud etiam exigendum, teste nobis Altissimo, provocamur inviti, et a quo libentissime nostra serenitas abstineret, si sine confusione perpetua nostri nominis et honoris, quam fidei vestre perfectio nullo modo pateretur, abstinere possemus.

Tu igitur inter eos providentiam et modestiam nostram, quam respectu preteritarum exactionum habemus in eis, favorabiliter studeas et cum omni diligentia publicare, cum multo minorem quantitatem subventionis ab universis exigi mandemus ad presens, ecclesiarum et clericorum nec non feudorum nostrorum et de cameris feudatariorum in ipsa collecta subsidiis computatis, prout cedula continet interclusa, quam a demaniis nostris tantum serenitas nostra exigere consuevit. Expositurus ipsis nihilominus votum nostrum, quod ex hoc modico libenter nihilum exigeremus, si post obtentam victoriam nostrorum negociorum expeditio pateretur. In taxatione preterea determinati subsidii, quod jurisdictionis tibi decrete mandamus hominibus imponendum, contra solitam impositorum et collectorum nequitiam sic agas fideliter, sic discrete, sicut unquam gratiam nostram diligis et indignationem perpetuam desideras evitare, nullius personam ex amore vel odio prospecturus, ut negocium istud quod providentie tue cum summa fiducia committi decrevimus, ad honorem culminis nostri et alleviationem providam nostrorum tam celeriter quam fideliter compleatur (1).

---

(1) Haec eadem est collecta cujus mentionem facit Riccardus de Sancto Germano ad mensem januarium 1241, his verbis : « Mense januario per totum regnum generalis collecta exigitur. »

Januae, 6 et 9 decembris.

Gregorius de Romania, Apostolicae Sedis legatus, Gregorio papae nuntiat quid apud Januam egerit de apparatu galearum et taridarum ad portandos praelatos; pro quibus armandis tria millia quingentas et quinquaginta libras Januensibus solvit; mittitque pacta et conventiones quae inter se et Januense consilium super hoc negotio intervenerint.

(Inedit. ex *Regest. Gregor. XI*, anno XIV, in *Coll. La Porte du Theil*, ap. Bibl. Cesar. Paris.)

I.

Sanctissimo in Christo patri et domino, domino Gregorio, Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, G. de Romania devotus vester se ipsum ad pedes. Veniens Januam frater Nicolaus proposuit quod omnino volebatis quod galeas, usceria et alia vasa pro portandis et reportandis prelatis et aliis ad concilium venientibus, a communitate Januensi conducere procurarem pro servandis promissis, a communitate predicta sufficienti cautione recepta. Quod cum quanto labore et angustia peregerim cum consilio omnium illorum quos in vestris litteris expressistis, verbis brevibus non posset aliquatenus explicari, cum multi vellent negocium impedire sine quorum consilio illud non poterat consummari. Super iis omnibus nihil operari poteram nisi primo solverem communi Janue mille marcas pro apparatu galearum et taridarum quas computant in conventione et solutione, de quibus mille marcis habui tria millia quingentarum et quinquaginta libras Januenses quas solvi eis, et ducentas libras Januenses dedi mercatoribus qui mutuarunt dictas marcas pro expensis; pro quibus marcis prelati Januenses possessiones suas ipsis mercatoribus obligarunt. Et scripsi domino episcopo Penestrino apostolice sedis legato ut solvat quinque milia marcarum argenti et quinquaginta septem, quas

Digitized by Google

quinquaginta septem promisi mercatoribus pro salario eorum, computatis istis mille marcis quas recepi; et mercatores tenentur dare Janue nuntiis vestris infra mensem post receptionem in Francia duo milia marcarum et ad alium mensem alia duo milia marcarum; et si ista pecunia ad istud negotium non erit tota necessaria, de residuo fiet quod placuerit vobis. Pacta facta super negotio supradicto sanctitati vestre mitto presentibus interclusa. Ad hoc pro munere totius servitii quod vobis et Ecclesie Romane feci, instanter peto et obnixe deposco ut mihi nolenti apud Januam ulterius commorari, redeundi licentiam tribuas. Habeatis recommendatum magistrum Petrum de Guarcino super ecclesia Sancti Sixti Januensis, pro quo vobis alia vice supplicavi.

Datum Janue, V idus decembris.

Sequuntur litterae testimoniales archiepiscopi Januensis, abbatis Sancti Stephani Januensis, praepositi Sanctae Mariae de Vineis, fratris Algisii fratrum praedicatorum super apparatu navigii.

II.

In Christi nomine amen. Cum dominus Gregorius de Romania apostolice sedis legatus pro domino papa, ex speciali mandato domini pape, petiisset a communitate Januensi quatenus eidem pro domino papa seu aliis nuntiis domini pape expensis ejusdem concederet galeas et taridas armatas pro conducendis et reducendis prelatis ecclesiarum et aliis personis ad generale concilium per ipsum summum pontificem faciendum, dictus dominus legatus nomine et vice ipsius summi pontificis ex una parte et Henricus filius quondam Guillelmi Judicis, sindicus communis Januensis, ad hoc specialiter constitutus per potestatem et consiliarios Januenses vocatos et congregatos ad ipsum consilium per cornu et campanam more solito, necnon et ipsi consiliarii ex alia, inter se super predictis galeis et taridis et armamentis earum concedendis ipsi domino pape vel ejus nuntiis seu nuntio taliter convenerunt: videlicet quia dictus sindicus pro ipso communi promisit ipsi legato recipienti nomine summi pontificis concedere et prestare ipsi domino pape seu ejus nun-

tiis galeas decem armatas pro portandis prelatis et aliis ad concilium et reducendis hoc modo, videlicet quod in qualibet galea erunt nauclerii et superiores centum octo et subtani viginti sex et supersalientes quadraginta, computatis in iis supersalientibus naucleriis quatuor et comito uno, petentario uno et balistariis decem, quorum balistariorum quilibet habeat duas balistas, unam de cornu et aliam de ligno, et in qualibet galea sit balista una de turno et munitiones triginta ferre (*sic*); et predicta concedet et prestabit commune Januense pro mercede seu pretio (*a*) supradicto communi Januensi pro duobus mensibus et hoc ante per mensem quam ipse galee armarentur : hoc salvo quod si dominus legatus vellet diminuere de supersalientibus vel subtanis qui esse debebunt in ipsis galeis predictis, debeat diminui de ipsa mercede et pretio hoc modo, scilicet pro quolibet supersaliente solidi XXXV jannenses et pro quolibet subtano solidi XVIII per mensem, et si forte supersalientes vel subtanos in dictis galeis vel aliqua earum vellet addere, solvat et solvere teneatur idem legatus ultra supradictam mercedem et pretium solidos XXXV pro quolibet supersaliente addito per mensem et pro quolibet subtano addito solidos XVIII per mensem, computatis scilicet et vianda (*b*). Item promisit et convenit dictus sindicus pro ipso communi dicto legato concedere et prestare eidem domino pape taridas decem que erunt guarnite hoc modo, quia in qualibet erunt homines viginti quinque muniti ad ferrum qui habebunt servitores duos et inter ipsos erunt nauclerii duo, dicto domino papa seu ejus nuntiis aut domino legato pro eo solvente dicto communi pro mercede seu naulo uniuscujusque taride libras LXXXVI per mensem, ita quod de duobus mensibus fiat primo solutio communi Januensi ante per mensem unum quam armentur. Item solvere debet dominus papa seu ejus nuntius pro eo dicto communi pro magisterio et apertura uniuscujusque taride libras XXVI jannenses semel tantum, salvo quod si dominus legatus seu nuntii domini pape vellet addere volgerios in dictis taridis vel aliqua earum, debeat dominus legatus seu dominus papa addere pro unoquoque solidos triginta Jannenses per mensem, et commune dare

(*a*) Quaedam ibi videntur omissa, scilicet pretium nauli uniuscujusque galeae.

(*b*) Hic locus quoque mutilus.

Digitized by Google

teneatur et debeat quot vellet addere ad eamdem rationem. Item dictus sindicus promisit pro ipso communi ipsi legato nomine summi pontificis recipienti dimittere ipsas galeas et taridas ipsi seu nuntiis domini pape ultra duos menses ad voluntatem domini pape pro consimili pretio et mercede, prout superius dictum est, que galee et taride ipsi legato seu nuntiis domini pape tradi debent et conduci usque Romam si placuerit illis qui portabuntur, et recipientur apud Niciam vel in aliis locis in quibus secure prelati et alii vocati ad concilium venire possint. Item dictus sindicus promisit nomine communis Januensis domino legato recipienti nomine domini pape quod commune Januensium parabit galeas sex et taridas sex ultra predictas galeas decem, taridas decem, pro quibus dominus papa seu Romana Ecclesia nihil solvere debet nisi voluerit eas accipere et habere, preterquam pro apertura uniuscujusque taride libras XXVI, acto specialiter quod quando dominus papa sive ejus nuntii solvent mercedem et pretium aliarum galearum decem et taridarum decem, si dixerit quod nolit habere vel accipere has galeas sex et taridas sex, commune Januensium pro istis sex galeis et sex taridis nihil facere debeat, sed sit absolutum a prestatione earumdem; et si dixerit quod velit eas habere, debet solvere communi Januensi pro eis et qualibet earum scilicet quod de aliis decem galeis et decem taridis superius dictum est. Item dictus sindicus nomine communis Januensis confitetur se recepisse a dicto legato pro solutione dicti logerii, mercedis seu pretii et pro areis (*a*) et magisterio dictarum galearum decem et taridarum sexdecim (*sic*) libras tria milia quingentas quinquaginta Januensium, de quibus se bene quietum et solutum nomine communis Januensis vocat a dicto legato, renuntiando exceptioni non numerate pecunie et omni juri, computatis ipsis III milia quingentis libris MM marcis (1) argenti, salvo quod si minus valent dicte libre MMMD[L], promisit legatus supplere communi. Item convenit et promisit supradictus sindicus nomine communis Januensis ipsi domino legato

(*a*) Sic; forsitan pro *arris*.

(1) Legendum vero simpliciter *M marcis*, quum una marca pro tribus libris et dimidia computari debeat.

Digitized by Google

recipienti nomine domini pape eligere duos viros, quibus et in quorum potestate tradet pecuniam supradictam et aliam que solvetur usque ad concurrentem quantitatem ipse dominus legatus vel nuntii domini pape, pro ea expendenda in dictis galeis et taridis et apparatibus earumdem et non in aliis negotiis, nisi esset de voluntate dicti domini pape vel nuntiorum ejus ad hoc constitutorum vel ipsius legati. Supradictam vero mercedem et pretium dictarum galearum et taridarum secundum quod superius dictum est, ultra dictas libras MMMCCCL (*a*) que debent computari in ipsa mercede et pretio, debet habere commune Januense ante per mensem unum quam ipse galee et taride armentur, prout superius dictum est. Item actum est inter ipsas partes quod si supradicte galee et taride non essent necessarie pro supradictis prelatis et aliis ducendis et reducendis, quod dicte libre MMMCCCL et alia pecunia et in illa (*b*) que debet dari a domino papa pro navibus, galeis et usceriis intrandis in regnum, illo salvo quod libre XXVI que expenderentur in preparatione, hoc est in apertura uniuscujusque taridarum, non debeant computari in pecunia que dari debet pro galeis, navibus et usceriis intrandis in regnum. Item actum est inter ipsas partes quod si naves, galee et usserii non essent necessarie pro invasione regni, debet cedere pecunia que soluta esset communi Januensi et ejusdem communis esse. Predicta omnia et singula supradictus sindicus nomine communis Januensis promisit ipsi domino legato recipienti nomine summi pontificis attendere, complere et observare et in nullo contravenire, sub pena marcarum quinque milium argenti stipulata et promissa, pro qua pena et sic observandis omnia bona communis ejusdem pignori obligavit. Insuper juravit idem sindicus in animam potestatis et consiliariorum Januensium omnia et singula attendere et observare et complere et quod potestas sequenti successori suo dimittet per speciale sacramentum et tensamentum (?) quod omnia supradicta et singula debeat et teneatur. Versa vice dictus dominus legatus auctoritate et licentia sibi concessa a domino papa, cujus licentie tenor est inferius descriptus :

(*a*) In hac denuo computatione subtrahuntur ducentae librae quas mercatores pro mutui expensis quasi prælibabant.

(*b*) Locus ut videtur mutilus, dum sensus integer non exprimatur.

Digitized by Google

« Gregorius episcopus, etc., » nomine et vice summi pontificis et promisit et convenit dicto sindico nomine communis Januensis attendere, complere et observare omnia et singula quecumque superius scripta sunt, et ipsum dominum papam vel ejus nuntios facere debere sub pena marcarum X milia argenti stipulata et promissa a dicto legato nomine summi pontificis, pro qua pecunia et ad id sic observandum universa bona Ecclesie Romane pignori obligavit dicto communi. Ad que omnia et singula supradicta dictus Henricus creatus fuit sindicus in consilio facto, recepta potestate a dictis potestate et consiliariis jurandi in animam ipsorum, ut superius dictum est.

Acta sunt hec Janue in palatio Furnariorum ubi curia tenetur. Testes Obertus Ruxius judex, Guillelmus de Quinto judex, Henricus Maruxellus, Fredericus de Predis, Janonus de Porta scriba, magister Petrus de Guarcino domini pape scriptor, Gufredus de Tanasis de Mediolano, frater N. (*a*), etc., die jovis VIII idus decembris.

Que omnia vobis non potui mittere publicata propter festinantiam; tamen de omnibus fecimus fieri publica instrumenta.

In obsidione Faventine, 7 decembris.

Rogerius de Amicis, capitaneus et magister justiciarius a porta Roseti usque Pharum et per totam Siciliam, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, jubet ut ecclesia Sancti Georgii de Bubalino cum omnibus possessionibus et appenditiis suis, in excambium tenimenti Mutari, abbati et conventui Sancti Stephani de Bosco assignetur.

(Edidit Capialbi, *Memor. della chiesa Militese*, append., p. 155.)

In nomine Dei eterni et Salvatoris nostri Domini Jesu Christi, anno ab incarnatione ejusdem M. CC. XLI, die martis IX mensis julii; XIII (*b*) indictionis, imperii autem domini nostri Friderici, Dei gratia illustris-

(*a*) Verisimiliter *Nicolaus*.
(*b*) Legendum *XIIII*.

Digitized by Google

simi Romanorum imperatoris semper augusti, Ierusalem et Sicilie regis anno XXI, regni Ierusalem anno XVI et regni Sicilie anno XLIII (*a*) feliciter, Amen. Per presentis scripti paginam notum esse volumus universis quod nos Petrus de Mele et Johannes de Domino Plutino per fratrem Petrum de Cusentia monachum ecclesie Sancti Stephani de Bosco pro parte abbatis et conventus ipsius ecclesie, litteras egregii viri domini Rogerii de Amicis, imperialis capitanei et magistri justitiarii a porta Roseti usque Pharum et per totam Siciliam, recepimus hanc seriem continentes :

Rogerius de Amicis, imperialis capitaneus et magister justiciarius a porta Roseti usque Pharum et per totam Siciliam, prudentibus viris domino Petro de Mele et domino Johanni Plutino, et cetera. Notum vobis facimus quod sacratissimas imperiales responsivas literas recepimus in hac forma :

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator, et cetera, Rogerio de Amicis capitaneo, et cetera. Scire volumus fidelitatem tuam quod nos ecclesiam Sancti Georgii de Bubalino cum hominibus, possessionibus et omnibus ratiociniis et pertinentiis suis quam pro tenimento Mutari quod de mandato nostro captum fuerat ad opus curie nostre (*b*), recepto mandato nostro de excambio sibi dando eis dari provideas et assignare valeas pro parte nostra, juxta quod tue litere quas nobis super hoc misisti et instrumentum etiam quod eis exinde feceras continebant, abbati et conventui Sancti Stephani de Bosco et eorum successoribus pro parte ipsius monasterii in ratificatione predicte commutationis concedendam duximus et perpetuo confirmandam, prout in scripto quod exinde ipsis fieri fecimus continetur; salvis omnibus exeniis, redditibus, serviciis operis et quibuscumque juribus que tam ab abbatibus ejusdem ecclesie quam ab hominibus supradictis curia nostra tempore felicium regum predecessorum nostrorum habere consuevit, preter jus patronatus quod in eadem noscebamus habere et eisdem duximus remictendum. Quare

(*a*) Legendum *XLIIII*.

(*b*) Locus mutilus, dum plura in impresso desiderentur quae ad sensum elucidandum valerent.

fidelitati tue mandamus quatenus tenore predicti scripti et instrumento nostro diligenter inspecto, juxta tenorem ipsius dictam ecclesiam cum omnibus supradictis pro parte nostra eisdem abbati et conventui facias assignari et responderi ab hominibus ipsis de omnibus que tenentur, prefatis exeniis, redditibus, serviciis operis et aliis juribus nobis debitis et que deberi inveniri poterunt, preter jus patronatus, ad opus curie nostre reservatis.

Data in obsidione Faventie, septimo decembris, indictionis quartedecime.

Volentes igitur presens imperiale mandatum principaliter et efficaciter adimplere, vicem nostram, cum ad presens tempus aliis imperialibus serviciis occupati non possumus esse presentes, vobis duximus commictendam. Mandantes vobis ex parte imperiali et auctoritate qua fungimur firmiter injungentes quatenus supradictam ecclesiam Sancti Georgii cum omnibus possessionibus et omnibus rationibus et pertinentiis suis, salvis omnibus exeniis, redditibus, operis serviciis et quibuscumque juribus que tam ab abbatibus ejusdem ecclesie quam ab hominibus supradictis imperialis curia tempore felicium regum habere consuevit, juxta formam suprascriptarum imperialium litterarum et tenorem instrumenti per imperialem curiam inde facti, prefato abbati et conventui Sancti Stephani de Bosco consignare debeatis, immittentes ipsos in corporalem possessionem tam ecclesie quam hominum predictorum.

Data Messane, XVIII aprilis, indictionis XIV.

Nos autem qui supra Petrus de Mele et Johannes de Domino Plutino volentes mandatum suprascriptarum literarum ejusdem domini capitanei plenius diligenter et efficaciter debite executioni mandare, viso et inspecto rescripto et privilegio imperiali, juxta tenorem et formam ipsius imperialis privilegii ac ipsius mandati domini capitanei supradicti, ecclesiam Sancti Georgii de Bubalino cum hominibus, molendinis, nemoribus et omnibus possessionibus, rationibus et juribus suis eisdem abbati et conventui ecclesie Sancti Stephani de Bosco pro parte ipsius ecclesie, auctoritate nobis commissa per supra scriptas litteras domini capitanei, in presentia domini Torgisii de Sabuco, domini Roberti Luciferi impe-

Digitized by Google

rialis castellani Bubalini, judicis Sylvestri de Croço, domini Bartholomei de Neapoli, magistri Perroni de Lugduni, notarii Peregrini Emglanti et aliorum subscriptornm proborum hominum ad hoc vocatorum, assignavimus et induximns in corporalem possessionem eisdem de omnibus supradictis, injungentes singulis hominibus ejusdem ecclesie Sancti Georgii respondere sibi pro parte ipsius ecclesie de omnibus que tenentur, salvis in omnibus et per omnia jnribus imperialis curie debitis et consuetis. Ad hujus autem rei memoriam et ipsius abbatis et conventus ecclesie Sancti Stefani cautelam, presens scriptum fieri fecimus nostra et supradictorum testium snbscriptionibus communitum. Actum in ecclesia Sancti Georgii de Bnbalino, anno, mense et indictione predictis.

Peregrinus (*sic*) de Mele qui supra, subscripsi.

(Adest graeca snbscriptio nexibus ligata exprimens *Johannes de Plutino.*)

Torgisins de Sabuco interfui predictis et testor.

Ego Robertus Lucifer castellanus Bubalini predictis interfni et testis snm.

Ego judex Sylvester de Croço, qui supra, predictis interfui, snbscripsi et testor.

Ego Bartolus de Neapoli predictis interfui et testor.

(Adest alia graeca subscriptio nexibns ligata qnae non bene legitur.)

Ego magister Perronus de Lugduni, qni supra, predictis interfui, subscripsi et testor.

Ego notarius Peregrinus de Emglanti predictis interfni et testis sum.

Ego Rambertus de Alemari interfui et testor.

Fridericus, Romanorum imperator, Cumanis fidelibus suis respondet quomodo intendit castrum suum Sessae custodiri, receptis per Masnerium de Burgo obsidibus quos Cremonam mitti mandat; notificat simul quid sit agendum super custodia Montis Cineris, castri et burgi Bilizonae et circumstantium, nec non de

In obsidione Faventiae, 21 decembris.

militibus Teutonicis ad defensionem Cumarum servandis; denique de Cumanis militibus quos obtenta Faventia secum ad partes ipsas reducere proponit.

(Inedit. ap. Archiv. comm. Cumar., ex lib. I veter. monum., regest. pergam., fol. 68 recto-verso.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, conscilio et communi civitatis Cumarum fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Rogerium de Casanore nuncium vestrum, fidelem nostrum, ad majestatis nostre presentiam destinatum solita benignitate recepimus et ea que coram nobis ex parte vestra proposuit satis audivimus diligenter; atque vobis taliter respondemus ut castrum nostrum Sesse, quod ad honorem et fidelitatem nostram et imperii nostri et statum vestrum pacificum et in proditorum confusione nostrorum diligenter volumus custodiri, per Masnerium de Burgo potestatem vestrum fidelem nostrum ydoneis [receptis] obsidibus a capitaneis Sesse qui castrum illud actenus tenuerunt, ut ipsum ad requisitionem nostram vel ordinatorum nostrorum curie nostre sine qualibet contradictione resignent, damus (*a*) eis illud tenendum et custodiendum ad fidelitatem nostram et imperii; quos obsides receptos ydoneos Cremonam mitti mandamus, Raynaldo de Aquaviva (1) sacri imperii a Papia inferius usque Mutinam vicario generali et potestati Cremone fideli nostro salubriter assignandos, cui de recipiendis et custodiendis eis nostrum beneplacitum per speciales litteras destinamus. Super expensis vero faciendis in antea super custodia Montis Cineris, castri et burgi Bilizone et circumstantium partium, volumus ut universitates et communia Belligrii et Leventine vobiscum pro equalibus portionibus conferant ad hoc, ut vos qui fidelitatis speciali prerogativa gaudetis et qui terrarum ipsarum custodiam pro honore nostro et imperii tolerastis, levamen competens in

(*a*) Legitur potius in regesto *dictis*; quod sensu caret.

(1) De viro illo, cf. quid moneat Riccardus de Sancto Germano ad ann. 1231, p. 1028.

Digitized by Google

eisdem expensis et laboribus senciatis, quam collationem ad requisitionem et ordinationem predicti Masnerii fidelis nostri volumus fieri, cui super hoc mandatum nostrum dirigimus per nostras litteras speciales. Milites autem et balistarios qui morari debent in Cumis pro custodia civitatis et nostrorum rebellium nocumento, Teutonicos esse volumus, de quorum experta militia specialiter confidentiam gerimus et habemus, qui expensas et omnia necessaria habebunt continue et sine defectu quolibet, prout mandavimus Conrado karissimo filio nostro in Romanorum regem electo et regni Ierosolymitani heredi et officialibus nostris, quod mandatum nostrum sine defectu quolibet exsequentur, ut per rerum necessarium defectum vobis non desit custodia diligens, et proditores nostri quos persequi desideramus instantius, ab ipsorum continuis afflictionibus non respirent. De facto Leuci et ejusdem Rive Beligne (a) et Leventine, ecce scribimus Johanni de Audito capitaneo et ipsarum terrarum rectoribus quid pro earum salubri custodia sint facturi; quibus ad requisitionem eorum prestabitis auxilium, consilium et favorem, qualiter mandatum nostri culminis exequantur. De possessionibus, juribus et creditis ecclesiarum, hominum et universitatum Mediolani que sunt in civitate Cumana et jurisdictione sua et dari vobis pro subsidio civitatis ejusdem a nostra munificentia peciistis, vobis taliter respondemus quod jam mandavimus predicto Masnerio fideli nostro ut omnium bonorum predictorum proventus percipiat, in civitatis Cumarum custodiis et commoditatibus expendendos : exequtioni autem privilegiorum nostrorum indultorum specialibus personis civitatis ipsius, quorum revocationem a nostra magnificentia postulastis, ad petitionem vestram decrevimus supersedendum ad presens nec alicui concedemus. De eo vero quod plebem Mandeli ad commune vestrorum pleno jure pertinere dixistis, et licet vobis ad presens non obediant ut tenentur, a persecutione juris vestri ob honorem nostrum et imperii abstinetis, petendo vobis a majestate nostra concedi ut taciturnitas ipsa non officiat juri vestro, placet nobis ut nullum in antea super hoc prejudicium vobis taciturnitas inroget, nec propterea

(a) Locus forsan idem qui supra *Belligrii*.

Digitized by Google

vestris prejudiciis (*sic*) et juribus derogetur. De militibus autem vestris qui nobiscum in exercitu commorantur, quos remitti ad propria postulastis, noveritis quod cum disponat serenitas nostra visitare magnifice partes ipsas, obtenta victoria Faventie quam obtenturi procul dubio sumus in brevi, tunc revertentur ad propria sub felici nostri culminis commitiva.

Datum in obsidione Faventie, XXI decembris, XIIII indictione.

Ego Rovolus notarius filius quondam Brugnoli, etc., jussu domini Masnerii de Burgo potestatis Cumarum, etc.

In obsidione Faventiae, decembri.

Fridericus, Romanorum imperator, universos homines vallis in Suitz qui se ad ipsum convertentes sponte imperii dominium elegerunt, sub sua et imperii protectione recipit.

(Edit. ap. TSCHUDI, *Chronic. Helvet.*, t. I, p. 134. Adsunt aliae protectionis litterae tenoris fere ejusdem pro vallis Uraniae hominibus, ap. SCHMID, *Gesch. von Uri*, t. I, p. 212, et pro hominibus Subsylvaniensibus ap. BUSINGER, *Gesch. von Unterwald.*, t. I, p. 436.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, universis hominibus vallis in Suitz, fidelibus suis, gratiam suam et omne bonum. Literis et nuntiis ex parte vestra receptis, et vestra ad nos conversione et devotione assumpta expositis et cognitis per eosdem, vestre pure voluntati affectu favorabili concurrimus et benigne, devotionem et fidem vestram commendantes non modicum de eo quod zelum, quem semper ad nos et imperium habuistis, per effectum operis ostendistis, sub alas nostras et imperii (sicut tenebamini) confugiendo, tamquam homines liberi, qui solum ad nos et imperium respectum debeatis habere. Ex quo igitur sponte nostrum et imperii dominium elegistis, fidem vestram patulis brachiis amplexamur, favoris et benevolentie puritatem vestris sinceris affectibus exhibemus; recipientes vos sub nostram specialem et imperii protectionem, ita quod nullo tem-

pore vos a nostris et imperii dominio et manibus alienari vel extrahi permittemus, dantes vobis certitudinem gratie et favoris, quam benignus dominus effundere debet ad snbditos et fideles, et vos gaudeatis in omnibus assecutos, dummodo in nostra fidelitate et servitiis maneatis.

Datum in obsidione Faventie, anno Domini MCCXL, mense decembri, XIV indictione.

In obsidione Faventiae, [decembri?]

Henricus de Morra magnae imperialis curiae magister justiciarius, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, post inquisitionem a justiciario Principatus et terrae Beneventanae factam, Jacobum de Tricarico ab impetitione hominum quondam patris sui, casalis scilicet Solofrae, liberum declarat super possessione casalis ejusdem.

(Edid. Carlo Pecchia, *Stor. civ. e politic. del regn. di Napoli*, lib. II, p. 319, ex originali in archivo reg. Neapolitano, ubi partem scripturae circa oram dextram omnino laesam et deletam punctis additis supplemus.)

In nomine Domini Dei eterni et Salvatoris nostri Jhesu Christi, anno ab incarnatione ejus millesimo. . . . . indictionis, imperante domino nostro Friderico, Dei gratia invictissimo Romanorum imperatore semper augusto. . . . . regni vero Sicilie quadragesimo tertio, feliciter, amen. Dum nos Henricus de Morra magne imperialis. . . . . ejusdem magne curie judice a domino nostro serenissimo imperatore recepimus licteras in hac forma: Fr. Dei g. . . . . fideli suo gratiam suam et bonam voluntatem. Accedens ad presentiam nostram Jacobus de Tricarico lator presentium fidelis. . . . .

humiliter supplicavit ut ipsum ab hominibus quondam patris sui, casalis scilicet Solofre, quod juste tenere et possidere se dicit, assecurare. . . . . nobis quod prefatus Jordanus privilegium inde a majestate nostra non habuit et quod illud non debebat tenere nisi in vita sua. . . . . quondam Jordanus et ipse Jacobus fideles nostri fuerint, et quod in servitiis nostris se fideliter gesserint et specialiter in preterita discor. . . . . nec non etiam si privilegium inde a nobis habuit et si terram ipsam post mortem dicti Jordani heredes sui debebant, diligenter. . . . . redacta ad curiam nostram sub sigillo tuo destinare procures; super hoc taliter studiosus existens ut devotionem tuam. . . . . Thome de Montenigro quondam justiciario Principatus et terre Beneventane de ipso casali Solofre in. . . . . per eum facta sub sigillo suo recepta, ipsam ad imperialem excellentiam sub sigillo nostro transmisimus. Deinde domino imperatore . . . . et curiam ipsam regentibus de mandato ipsius, ubi nobis predictus Henricus de Tocco et Guillelmus de Vinea magne imperialis curie. . . . . onis ipsius discussimus diligenter et ea que per inquisitionem ipsam probata reperimus domino imperatori retulimus seriatim. . . . . remur. Nos vero qui supra magister justiciarius et judices visis et diligenter inspectis omnibus probatis inquisitionis ipsius, quia. timus ipsius comitis et quod ipse comes fidelis fuit et fideliter servierit et etiam tempore discordie et quod de mandato imperiali. . . . . quod comes Rogerius de Tricarico et comes Guillelmus de Caserta fratres diviserunt inter se ad usum Longobardorum. . . . . Striganum pervenit ex ipsa divisione ad comitem Guillelmum Casertanum et alia medietas Montorii, Sirinum et casale. . . . . Rogerius quam comes Jacobus tenuerunt ea per triginta annos et amplius, ipsum Jacobum ab impetitione notarii p. . . . . et perpetuam firmitatem presens scriptum inde per manus Petri de Caserta magne imperialis

Digitized by Google

curie. . . . . ne
Faventie, anno, mense et indictione prescriptis.

Henricus (a) de Morra magne imperialis curie magister justitiarius.

† Ego Henricus de Tocco magne imperialis curie judex.

† Ego Guillelmus de Vinea magne imperialis curie [jude]x.

Fridericus, Romanorum imperator, Petri naviculam regentium negligentiam incusans, scribit regi Franciae quibus causis concilium contra se convocatum convenire prohibeat, et licet papa in favorem Mediolanensium pacis consilia multocies respuerit, se tamen paratum semper ad concordiam testatur. [Anno exeunte.]

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1138-1139, n° IV. — Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, pars 1.)

Fridericus, etc., Regi Francie, etc. Petri navicula per gubernantium culpam et nautarum quorumdam incuriam merente naufragium, satis digna videtur ad Jesum vox illa clamantium : « Salva nos, Domine; perimus; » nec imputari debet hoc pelagi fluctibus vel flatibus aquilonis cum casum culpa precesserit et negligentia tempestatem. Dum enim Ecclesie puppis in altum plenis velis et aura prospera veheretur, nec pro vero dormivit nec dormire visus est Dominus, sed ductorem navis et nonnullos ex nautis secunde fortune dulcedine ebrios peccatis exigentibus populi dormire permisit, et adhuc, utinam non dormirent! Sed procul dubio dormiunt et ex somnio loquuntur, dum per guerrarum dissidia quibus Romanum imperium fatigatur, cujus presidio fides nostra evangelizata

(a) In autographo signo hoc ita disponitur nomen:

h		e
n		r
i		c°

protegitur, ex impunitate crescente quorumlibet etiam crescente licentia scelerum, juri prefertur injuria, perfidia fidei et mendacium veritati. Pullulat heresis dum hereticorum nidus Mediolanensium mansio, viciorum sentina notissima, confovetur; istis omnibus pregravata Petri navicula mergitur, retia franguntur, gladius hebetatur, nec ad exonerationem ejus clamante multociens Domino « Symon dormis », nec Petri successor evigilat nec qui dormierant naute consurgunt; immo quod est solo dictu mirabile, manus ipsorum naufragium stupefacta deliquit et velut a somnolentis a longe suffragia convocantur. Que cum suspecta quibuslibet debeat esse vocatio, nobis potissime dispendiosa censetur, qui priusquam ille specialis noster et generalis christianorum omnium pater se difficultatibus istis ingereret, ad exaltandam fidem catholicam et eradicandam hereticam pravitatem sibi post oblata totius potêncie nostre presidia, personam nostram obtulimus et Conradum carissimum filium nostrum Romanorum in regem electum et regni Ierosolymitani heredem futurum obsidem dare promisimus, ut inter nos et ipsum de prima discordia non discerneretur scintilla nec umbra dissidii videretur : qui utique, sicut postea pro certo comperimus, annuisset, nisi quod Mediolanensibus et eorum sequacibus imperii nostri rebellibus promissione contraria tenebatur. Hoc etiam in presenti, licet verbo non asserat, confirmat effectu, dum porrectam ejus naufragii et auxilii manum, contradicentibus sibi nonnullis ex nautis, accipere renuit vel fortę veretur ne periclitantem Mediolanensium scafam temere suis oneribus alligatam non solum in prejudicium nostrum, sed in dedecus omnium secularium dignitatum salvare velimus. Serenitas igitur regia non miretur si nos vocatis ad vocationem ejusmodi transitum terra marique paratis obstaculis prohibemus, cum pro certo sciamus quod non tam ad vocationis solatia quam ad salutis nostre dispendia convocantur. Quod circumspectio vestra manifeste potest perpendere, dum nobis in sinu vestro secure promentibus causam nostram, sibi per vos oblata multocies pacis ab eo sint vilipensa consilia, ut repente nos perdere cogitaret et eo impetu nostrum et nostri generis nomen perpetuo crederet abolere. Synodum etiam expectatam per nos ad ostendendas innocentie nostre causas convocari prohibuit. Igitur non est mirum si nos convenire voca-

Digitized by Google

tum ab ipso concilium pro nostra lesione non patimur, per quod omissis omnibus adherentibus nobis, rebelles imperii et nostros capitalissimos inimicos, sicut premisse nostre vos docuerunt littere, convocavit; presertim cum pro evitando mundi generali dissidio necnon et Terre Sancte presidio ad nostram presentiam expeditius procurando, nos ad omnem tractatum concordie, nostro et imperii jure ac honore servatis, nostrorum rebellium junctione seclusa, per quoslibet pacis providos zelatores paratos nos semper obtulimus hactenus et protinus offerimus.

Quidam Galliae vel Angliae clericus suadet praelatis ne ad concilium Romam accedant, fuse describens tum pericula maris et terrae, tum insidias potentissimi et crudelis principis, monetque ut cum papa causam suam, non vero universalis Ecclesiae agere velit, ipsi in hoc ab obedientiae vinculo se subtrahant. [Anno exeunte.]

(Edid. BALUZE, *Miscell.*, t. I, p. 458-468, coll. cum codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars I, *anc. fonds latin*, 8564, fo. 21 verso et seq., 8567, fol. 27, ubi legitur rubrica : *Fredericus imperator per Petrum de Vineis;* inepte vero, dum hanc epistolam si quis perlegerit, ex mandato vel ex connivenlia etiam Friderici eam fuisse scriptam minime crediderit.)

Universis papali vocatione vocatis scribens in ambiguo mandato mandantis, sic habere providentie spiritum et intelligentie complementum quod per improvidentie lubricum in preparatos laqueos non labantur et inter plicas inexplicabiles non plicentur. Ad cognoscendum quid in vocatione vocatis expediat fieri, consideranda sunt universa per que via tutior possit eligi et habendum super hoc a vobis consilium tam prudenter quam utiliter terminari. Nam prius, ut arbitror, debet attendi forma rescripti, videri motus scribentis, considerari causa mandati, pensari si possit intentio mandatoris, et tam eminentium quam latentium periculorum inevitabilis multitudo provida circumspectione notari. Que qui

plene cognosceret, de facili scire posset quid in hoc vocantis ambiguo facere expediret. Ut autem de gravioribus discutio primo fiat, primo periculorum concurrentium universitas in statera prudentis examinis singulariter appendantur. Sunt enim tot et tanta pericula in terra, in aere et in mari que humana providentia non poterunt evitari, que si quis inopinato casu forsan evaserit, Urbis tamen inurbana pericula non evadet. Sed quum per terram patet violentia moriendi quum possibilitas transeundi de terris periculis pretermisso (a), plurium aliorum concurrentium aliunde sevitiam primitus attendatis quam eis improvide ingeratis, quia tutius est ante discrimina resilire quam se discriminibus implicabiliter implicare, cautiusque videtur morborum principia prudenti remedio prevenire quam post invalescentiam egritudinum infructuosa medicamina mendicare. Sunt autem hec in mari pericula : panis indigestibilis et biscoctus, vinum continua maris turbatione turbatum, aqua sui corruptione vermium generatione fecunda, infectione sua totum inficiens cui miscetur, que non nisi clausis oculis et dentibus tantum cum abhominatione pessima potest bibi. Est etiam in mari ventorum rabies inevitabilis, improvisa, que dum Romam applicare creditis, repente vos in barbaras projiciet nationes ubi est lingue vestre ignorantia, legis perversitas, amissio libertatis et captivitatis perpetue desolamen. Insurgit insuper in momento quedam in mari sevitia tempestatis que subito montes fluctuosos et fluctus parturit montuosos, quorum concussione quandoque navis in celum impulsa creditur ascendere et versa velociter descendere videbitur in profundum. Est etiam inter maris periculum ruina navis in caute vel ex concussione fluctuum ejus confractio vel submersio in profundum, et ejus confractione vel submersione impossibilitas evadendi, acciditque plerumque quod in extensa carbasa turbinis impetus sic irrumpit quod statim ea rumpit, destruit remigem, malum frangit, sicque navis destituta debitis munimentis tempestatibus et ventis exposita fluctuat in fluctibus peritura. Sunt preter hec in mari pericula piratarum qui si vobis occurrerint, in vos taliter irruent quod preter alia flagitia inferenda, cum rebus personas ca-

(a) Locus obscurus neque in codicibus bene conceptus.

Digitized by Google

pient vel snbmergent. Cum navigatur in portu frequenter evenit qnod concnssione navis in terram vel petram pereunt navigantes vel subita ventorum impulsio veniens ex adverso sic eos a portn repellit qnod consnmptis cibariis, eos in mari latitndine periculorum sevitia quam jam evasisse credebant, impetit et impellit nbi nisi periculis pereant, saltem siti vel fame peribunt. Preter hec est in mari qnedam intolerabilis periculorum abhominatio qnam tolerare vel evadere nullus potest: quare cnm repentinas mntationes natura non sustineat, per immutationem aeris et ciborum ac motum violentum et continunm continue stomachus ibi provocatur ad vomitnm, qui cum abhominabile recepit evomit cum dolore, fitque freqnenter ibi secnndum diversas naturas diversimode in diversis tanta ventris constipatio quod ventris virtus naturaliter expulsiva motum omnino cogitnr amittere natnralem; quandoque vero tanta est dissolutio quod vix remanere videntur intrinsecus intestina. Cnmque navis, licet parva, sit receptacnlnm multorum, fit indistinctio locorum secundum multitudinem contentorum, et pressura premente nnus jnxta alium morborum diversitate torquetnr, motumque ventris tam violenter qnam natnraliter expulsivum snperius et inferins patientes infirmi, qnidam subtus, quidam supra, non in loco talibus deputato, sed pnblice inter omnis ventris putredinem cognntnr emittere defectnm virtutis proprie et nature; sicque juxta peregrinum nltimo modo moritur peregrinus et in mari projicitnr semivivus, et abhominationes intolerabiles extraneus ab extraneo cogitur tolerare, quas neqnicquam in terra de patre vel filio sustineret. Et si potentes propter potencias hnjusmodi pressuras evaserunt, fumum tamen aera corrumpentem ex mortuorum et infirmorum corruptionibus ascendentem non poterunt evitare. Cumqne sit ibi infirmorum mixtio et sanornm, velut ignis ardentis inflammatio in domos contiguas, morborum contagiosa diversitas ab uno in alinm transvolat et prorumpit, sicque de mille vix nnus evadit, nisi mortuus vel infirmns. Quod si forsan aliquis remansit semivivus, in terra maris et morbi concepto contagio morietur, vel si mortem evaserit, morbum tamen incnrabilem non evadet nt perpetno langore detentns non possit propria vita frni, sed continua morte mori; mnltique aeris corruptione infectis spiritibus de mari redeunt sic corrupti quod

Digitized by Google

sepulcri vel inferni facies afferre videntur et possunt potius monstra quam homines judicari. Sed quum metalla quelibet in mari naturali colore innaturaliter destituta maris violentia colorem cogantur induere peregrinum, quid mirum si quolibet momento mutabilis humana natura nequeat sustinere quod metallorum non potest insensibilitas tolerare? Facies de mari venientium forma propria destitute, quia in mari formis propriis destituti formas nolitis recipere sic deformes. Verum ut inenarrabilis maris periculorum prolixitas sub brevi locutionis oraculo concludatur, in mari semper imminet omnis timor, nulla securitas, motus continuus, nulla requies, semper adversitas, nunquam prosperitas, nunquam bonum, sed generaliter omne malum. Sane cum sint maris pericula tot et tanta quod in mentem hominis eorum non possit cadere multitudo, pretermisso de generali, ad specialia discutienda de singulis descendatur, primoque de primis occurrentibus providus sit tractatus. Venit quidem a tyranno sevissimo, in terra potentissimo et in mari, certe prohibitionis edictum ut si quis viam quam velitis incedere presumat ingredi, de personis vel rebus aliquatenus non confidat. Quis igitur ejus insidiis se exponet? quis illius laqueis se involvet qui dominatur in terra, principatur in mari et imperat in utroque, qui prodigus est in pena, parcus misericordia, furore repletus, pietate deficiens, verbo falsus, opere imperfectus, viciis deditus, Domino indevotus, crudelitate secundus Herodes, impietatibus alter Nero; qui cum a mari usque ad mare preter Januam possideat omnes portus potensque sit in navigio et in armis, de Pisis, Corneto, Neapoli et Gaieta ac aliis regionibus tantam ad insidiandum vobis congregabit copiam galearum cum tanta multitudine piratarum et habundantia armatorum quod transire nequibitis quin in preparatas insidias incidatis. Quod si per maris latitudinem aliquantulum insidiantium vitetis cursum, tandem tamen ad portum quo tenditis accedere vos oportet, in quo est ipsius potestas cui nullius repugnantia repugnetur, et in ipso portu cum veneritis vos capiet vel subjuget vel in terra ejus aura forte contraria vos impellet, vel cum sit vir sagacitatis et versutie imminentis, jam nautas forsitan sic corrumpet quod ventum contrarium mendaciter perpendentes ejus insidiis vos exponent, ut sic idem habeat quod intendit et vobis eveniat quod timetis.

Digitized by Google

In quibus casibus forsan esset festinate mortis supplicium minus grave quam in manus incidere tam crudeles, quia quomodo vobis parcet qui tenens minores et filium proprium carceris custodia mancipatos, ipsorum dedignatur miserando misericordia misereri. Qualiter supra vos pietate movebitur qui super captivum filium paternis compassionibus non movetur? Quod si forsitan inopinato casu vel impossibili Romam veniretis, tot miranda pericula mirabiliter evadentes, Rome secure qualiter eritis, cum pro diversis adversariis omnibus civibus in diversa diversis sit ibi conflictus continuus inter cives et divisio inter fratres? Quod si securitas vobis esse potuerit, generalis tamen afflictio non latebit, quia cum sub estivi caloris dominio vos servos oporteat ibi esse, sic dicitur ibi perseverans et intolerabilis caloris ebullitio, aquarum putrefactio, ciborum grossities, aer palpabilis, muscarum habundantia et copia scorpionum, gens immunda, gens abhominabilis, gens pessima, gens furoris, fitque ibi civitas infra totam circumferentiam cavernosa caverneque plene reptilibus venenosis ex quibus fumus infectus et inficiens evaporat, sic omnes ibi tunc morantes generaliter moriuntur quod de millibus decem vix evadere possunt. Sic ergo quos indignatio maris evomuerit, vorax Roma venenosa voragine devorabit; et qui Scillam evasisse crediderit, incidet in Caribdim. Verum si miraculo vel fortuna tot pressuras evaserint, quis eis de securo reditu providebit, quia cum hosti insidianti magnates urbis plurimum voluntarie famulent, non est regressus aliquis nisi velit, vel si regressus forte non potuerint impedire, saltem eidem patefacient motus vestros ut statim cum ingressi mare fueritis, vos expectans manus suscipiat et torqueat inimici, vel saltem in prenominata pericula incidetis. Sicque maris gulositas insatiabilis in vos quos vomuit, tanquam canis ad vomitum, revertetur, quia mare tempestatis et venti pro vobis naturales potentias non amittet. Non estis dii vel sancti ut in potestate vestra sue resideant potestates. Porro si vobis de ductu et reductu securitas permittatur, videte que de vita tuenda et morte cavenda cautio dari possit. Contra quem enim de morte post mortem de mortis possessionibus habebitis actionem, cum omnes morte quoad mortuos pereant actiones, pactiones tollantur et promissiones quelibet viribus vacuentur, nec canonici juris beneficio vel

civilis, aut appellationis vel provisionis alicujus remedio post mortem vita redeat jam amissa? Si vero legati subtilitas ad acceptationem itineris diversis suasionibus vos inducat, cogitate quod cogitur non redire; est enim sua mansio et non vestra. Via sibi patet unica, vobis duplex imminet, sibi tantum pericula transitus, vobis autem transitus et regressus. Insuper attendatis si mandator in mandato tam aspero circa vos motu rationabili moveatur, utrum mansuetudine repleatur et caritatis igniculo accendatur, qui cum insidias principis non timeat adversantis, sed in tuto maneat et quieto, vos voragini tam communi periculorum exponere non formidat; esset quidem tolerabilius sustinendum si vobiscum communicatis periculis in loco congruo conveniret. O si rationis judicio fungeretur contentusque finibus equitatis motus providentie non exiret, nunquam inter flores Ecclesie rosas electas exponeret tantis periculis perituras! Si vero pro generalis Ecclesie statu quem ab appellantis hostis impulsibus contrahi conqueritur, vos vocaverit, ex tali vocatione videtur quod eam de casu velit in casum cadere graviorem, quum si contingat ut patet aperte sponsis excellentibus Ecclesiam viduari, quis lapsus asperior, que confusio gravior, que desolatio durior quam sponsam inclytam summi regis tam aspera incommoda sustinere? Quis enim tanti lapsus gravedinem reparabit? Quis tante desolationis remedia procurabit? Quis tante confusionis remedia ministrabit? Preter hec etiam attendatur causa mandati et notetur quid ex mandato hujusmodi possit sequi. Continet quidem tenor prioris rescripti quod grandes apostolice sedis eventus et casus vos ignorare non convenit ut habeat separatum in vestra visitatione solatium et gratum providi consilii fulcimentum, cum post receptionem talis rescripti crudelitas adversantis tyrampni tantum honestatis habuit quod vos de preparatis insidiis premunivit; sed rescripti conditor circumstantium periculorum flagitia, salva sanctitatis reverentia, non attendens et in subversione vestra subversionem status generalis Ecclesie non advertens, sub obedientie virtute mandavit quod tam sanctum propositum, utilitatem respiciens singulorum, humanis non debeat versutiis retardari, Deum homini et meritum obedientie explosis difficultatibus omnibus preponendo. Ut autem rescriptionis hujusmodi seriatim series disseratur, quas habet

apostolica sedes causas, que negocia, nisi contra rebellem principem quem majorem vel minimi non ignorant? Quod si causas vel questiones alias habeat sive negotia latentia vel obscura, non nunquam necessitatem subventionis pro libito vobis et subditis vestris per legatum imposuit; nunc per ipsum legatum vel litteras revelare potuit quod intendit, ut ex certa mandati forma certum consilium formaretur et vitanda pericula notarentur. Qualiter inferre presumetur sanctitatis propositum, qualiter que creditur utilitatem respicere singulorum, quum in armario secretorum sic silentio tegitur quod nec in aures publicas nec in consiliarias promulgatur? Si vero causam quam vobis inconsultis contra crudelem principem et potentem incepit, consilio vestro diffinire disposuit, numquid sicut sine vobis ab initio vilipensis procedere incepit, processum suum sine vobis poterit terminare; vel si consilio vestro finaliter uti velit qui primordialiter non curavit, numquid tutius fuit consilium per litteras vel legatum a vobis requirere quam vocatos inter tanta pericula vos perire, ut conceptum ab ipso negotium generaliter Ecclesiam tangeret generalem? Quare consilium vestrum ab initio non quesivit, quia cum finis eventum juxta qualitatem principii sortiatur, fuit consultius de principio consilium querere quam de fine. Verum ut de causa mandati et mandatoris veritas fateatur, satis potest ex forma rescripti elici vel presumi. Cum autem contra tyrannum potentissimum incipiendo quid per se incepit videat imperfectum, tendit ut gravetur rigor sententie contra ipsum, vel depositionis sententia promulgetur aliusque pro suo libito preficiatur imperio, vobis si deceat vel non deceat juxta libitum suum prestantibus consilium et assensum, ut sitis organa sonantia juxta deductionem et libitum organiste. Cumque nec iste dejici nec ille prefici item nec defendi possit sine gravibus oneribus expensarum, statuet et disponet ut qui communi consilio statuetur expensis communibus defendatur, ut sic, prout ejus rescriptum obscuro continet, in vestra visitatione pro libito consilium expectatum habeat in processu et speratum solatium in expensis. Satis enim videbitur contrarium rationi ut qui de processus principio consiliarii non fuistis, finis onera expectetis sitque deceptio pro negotiis universis Ecclesie, et licet initio consensus ejus vel consilium contempnatur, tributoria statuetur et perpetue servitutis patibulo suspendetur.

Sed propositum intentionis proprie tacuisse videtur, quum ad hoc vos presentes inducat facilius quam absentes, nisi prudenter caveritis ne suo tali involucro vos involvat. Cumque virtus obedientie que vos vocat ad subeundum inevitabilia rerum, personarum et Ecclesie pericula, vos non cogit, cum ex causa necessaria non cavetur, si vos in tantis specialitatis et generalitatis periculis non cogente necessitate reperit ita debiles, ita molles, in obediendo per vos meritum demerebitur, homo Deo, non Deus homini preponetur; vosque de certo reputans arundinem flexibilem omni vento, perpetuis ut incepit libertatis federe violato vos ligabit vinculis servitutis, sicque gravati de gravi in gravius, de graviori in gravissimum incidetis ut vobis grave gravius gravissimum vel gravissime vel generalissime comparetur (*a*). Vel si forsan vos fortes in hiis invenerit, plus in aliis vos offendere timebit, quia mutata sententia veritatis plus humiliatus plus teritur, plus erigitur plus repugnans. Consideratis igitur universorum periculorum circumstantiis universis, quis erit adeo prodigus vite sue, quis adeo contemptor consortii libertatis, quis adeo rerum negligens conservator, quis adeo pene vilipensor, quis adeo felicitatis continue non amator, qui felicitatem pro infelicio, patriam pro exilio, res pro defectu, libertatem propriam et communem pro servitute propria et communi, et tandem vitam pro morte velit vel audeat infelici commercio commutare? Timeo tamen ut quosdam vestrum ambitio ad majora, quosdam desiderabilis amicorum promotio, quosdam afflictionis et exactionis exterminium in minores, quosdam timor corrigendorum excessuum (*b*), quosdam favor curie acquirendus et ex acquisitionis favore inexauditiones clamantium oppressorum, ad subjiciendum vos et universalem Ecclesiam periculis importabilibus vos impellant, sicque diversis cogitationibus agitati eritis, sicut quidam qui ne perdant que non habent nec habituri sunt, se ipsos perdere non verentur. Ego tamen quantum sufficio, pensans et ponderans universa, in premissis eligendis arbitror non parere potius quam perire, nisi causa manifesta et necessaria primitus expri-

(*a*) Locus obscurus, nisi interpolatum suspicemur.

(*b*) Haec a voce *exterminium* desunt in Baluze et in cod 8564.

Digitized by Google

matur, ex qua causatum debeat obedientie vinculum inviolabiliter observari.

Datum, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, mortem Nicolai Spinulae regni Siciliae ammirati in servitiis suis vita defuncti, Lanfranco Spinulae fratri ejus et consanguineis significat, suadens ut dolori modum faciant quia in ipsos gratiam suam refundere disponit. [Anno exeunte.]

(Edider. Martene et Durand, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1177-1178, n° LIX. — Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars IV, n° 15.)

Fredericus, etc., Lanfranco Spinule fratri quondam Nicolai Spinule imperialis stolii et in regno Sicilie ammirati, totique domui et universis consanguineis ejus, etc. Dum expectaremus a predicto quondam ammirato nostro certificari de apparatu negociorum nostrorum, que industrie sue commissa quoad vixit laudabiliter exercebat, gravem nuntium et molestum de ipsius obitu recepisse dolemus, qui nos valde turbavit omnino quod tam expertum fidelem nostrum exposuit a nostris servitiis defecisse; cujus presentia sic se nostro conspectui verbo reddiderat et opere comprobata ut nedum grave dispendium in ejus transitu perferamus, quin potius vobis omnibus favorabili condoleamus affectu. Sed cum ipse vobis et nobis soluto nature debito irrevocabiliter sit amissus et nos confidentiam quam posueramus in eo, in vobis quos ad honorem et servitium nostrum eadem fides in germanitate firmabat, firmiter geramus, ad vos in ejus memoria contristamur, cum superstitibus vobis [ipsum] nobis vivere ac superesse confidimus, gratiam quam apud nos meruit in vos plenarie diffundentes, ut nostris servitiis nequaquam defuisse credamus in quo talis fratrum et consanguineorum experta fides et grata vicissitudo concurrant. Licet igitur recordatio tam boni fratris et consanguinei fidelissimi nostri a vobis sine merore transire non possit nec liceat jus-

tum inhibere dolorem, ex favore tamen gratie quam ad eum habuimus et ad vos duximus reducendam, secundum emergentis dampni vehementiam, modum vobis favorabiliter suademus, quatenus considerato humanitatis debito quod cum ingenti honore persolvit, et quia ex vocatione nature prefixum sibi terminum non est permissum in rebus humanis uberius prorogare, post effusas lacrymas et dolore pre modestia temperato, in plenitudine gratie nostre consolatione suscepta respirare curetis, quia quod illi debebamus ad meritum, vestris reservamus profectibus et honori.

[Anno exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, Roberto comiti Atrebatensi grates agit quod circa honoris augusti fastigium quae amici sunt et affinis laudabiliter egerit.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. II, cap. XXXIII, ubi epistola quasi duci Venetiarum scripta, sed inepte, exaratur. Apud codices Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, et *fonds Notre-Dame*, 202, legitur : *Comiti Tolosano affini suo ut sit ei fidelis;* cui titulo non majorem fidem adhibendam esse ducimus. Lectionem vero ex codice bibliothecae ejusdem, *anc. fonds latin*, 8567, depromptam, scilicet : *Fridericus... comiti Atrebatensi,* multo potiorem arbitramur, dum ibi de nepte quadam, filia scilicet Philippi Suevi, certissima mentio fiat.)

Fridericus, etc., comiti Atrebatensi, etc. Habet de merito nostre benignitatis humanitas unde tibi gratiarum rependat exenia, unde favoris multiplicis gratiam repromittat, dum sicut de tue strenuitatis actibus ad nostre majestatis auditum gratifica semper nova proveniunt, dum sicut jam sepe operum experimento probavimus, circa honoris augusti fastigium et que amici sunt amicabiliter promoves, et que affinis, naturalis suasionis inductione disponis. Nec mirum si talem exhibere te satagis, cum dilectio te nobis pura conjungat : nec mirum si te tanta virtute conspicuum presentium negociorum et temporis habitudo concedat, cum dilectionis iudicia, quam ad te, tanquam amoris integritate precipuum, hactenus immacu-

Digitized by Google

latam habuimus et habemus, sic de charissima cousorte tua, nepte uostra (1), iutercedeute pridem affiuitate concreveriut; sic caruis identitas, que primitus iu voluutatis gratitudiue fuerat, uecessitatis quodammodo uexibus auuodarit, ut versa jam gratia voluutatis iu debitum, et velit et debeat tui houoris auspicia nostra sereuitas laudabiliter promovere. Studeat igitur tue circumspectionis industria quam securis profecto verbis alloquimur, nobilitatis imaginem circa nostra uegocia laudabilium actuum operatioue depromere (2) : studeat ut amicitia prima florigera in affiuitatis uostre provectu fructificet : studeat ut sic te nobis transcursus temporis affinem exhibeat quod de uobis tauquam affiuis stabili meute coufidere videaris; cum preter uostre plenitudinem gratie quam tibi favorabiliter pollicemur, te pre ceteris iutimum tenere velimus amicum, et colere velut charissimum desideremus affiuem.

---

(1) Agitur de Mathildi de Brabantia quam anno 1237 mense junio Robertus Atrebatensis desponsaverat. Filia erat Mariae filiae Philippi Suevi, quondam regis Romanorum. Unde eam neptim appellat Fridericus secundus, sicut filium Beatricis, Fredericum de Castilia, nepotem quoque suum intitulabat.

(2) Inde conjicimus epistolam fuisse scriptam eo tempore quo legatus Apostolicae Sedis apud regem Francorum agebat ut electioni Roberti fratris sui procurandae consentiret. Cf. MATT. PARIS., *Hist. maj. Anglor.*, p. 350, ad ann. 1239, et *Alber. Triumfont. Chronic.*, ad ann. 1241, de quorum testimonio fusius in *Introductione* nostra, p. CCC, disseruimus. Testatur quoque Albertus Bohemus tunc agitatam fuisse quaestionem de aliquo Gallico vel Lombardo ad regnum Romanorum advocando. Vid. supra, p. 1026 et 1034.

Digitized by Google

ANNO 1241. — INDICTIONE 14.

Laterani, 28 januarii.

Gregorius papa Gregorio de Montelongo Apostolicae Sedis legato mandat ut personaliter accedens Venetias vel Torcellas, patriarchae Aquilegensi excommunicato munus absolutionis impendat, si tamen idem patriarcha ad Sedem Apostolicam iter arripuerit.

(Edit. ap. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1241, § XLIV, e regest. Gregor., lib. XIV, epist. 212.)

Gregorius, etc., Gregorio de Montelongo subdiacono et notario nostro, Apostolice Sedis legato, etc. Cum patriarcha Aquilegensis pro eo quod Friderico dicto imperatore Dei et Ecclesie inimico, juste a nobis multis ex causis culpis suis exigentibus vinculo excommunicationis astricto, communicare presumpsit tam in divinis officiis quam in osculo et in mensa, et quia eumdem excommunicare publice pretermisit, prout a nobis receperat in mandatis, quanquam hoc coram pluribus duxerit exequendum, ad nostram etiam presentiam sicut sibi ex parte nostra mandatum fuerat protinus non accedens, auctoritate nostra fuerit excommunicationis sententia innodatus; quia personas charissimorum filiorum nostrorum Bele Ungarie ac Colomani Ruthenorum regum illustrium, nepotum ipsius patriarche, supplicantium pro eodem, speciali quadam prerogativa dilectionis et gratie amplexamur, eorum supplicationibus annuentes, mandamus quatenus postpositis omnibus personaliter accedens Venetias vel Torcellas, eidem patriarche postquam ad presentiam nostram iter arripuerit veniendi, auctoritate nostra juxta formam Ecclesie munus absolutionis impendas humiliter postulanti.

Datum Laterani, V kalendas februarii, anno XIV.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, universis imperii fidelibus injungit ut omnibus praelatis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus caeterisque cujuscunque ordinis ad concilium euntibus, iter et transitum terra marive intercludant, eosque capiant et spolient bonis omnibus ad proprios capientium usus deputandis. [Februario ineunte.]

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1146-1147, n° XIII, coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars I, et cum cod. Bibl. Mediomont. Phillips., n° 8390.)

Fridericus, etc., universis imperii fidelibus, etc. Hoc est fidelitatis debitum quo subjecti tenentur ad dominos, hec est singularis devotio que debetur ut in hiis que sunt noxia sibi caveant et ad ea que sunt profutura diligenter intendant. Cum igitur nedum proximis et remotis, sed sit notorium toti orbi terrarum quanta dissentio per Romanum pontificem generaliter sit suborta et generale nedum in ruinam cleri, sed totius discrimen populi christiani scandalum augeatur et signa que ab ipsis prodeunt et precepta in continuam adeant corruptelam, necessarium videmus et utile malignis eorum adinventionibus et conatibus obviandum, qui mentientes spiritum (*a*) honestatis contendunt universali periculo subjicere totum orbem, convocantes prelatos, archiepiscopos, episcopos, abbates atque priores ad synodum generalem ut liceat eis ibidem conceptum virus evomere in regum et principum et totius orbis periculum et jacturam. Volentes igitur non minus odio quo premissis offensis de benivolentia nostra diffidunt, quam generali totius christianitatis dispendio et zizanie precavere, licet vos tanquam fideles nostros ad dignitatis et honoris nostri cautelam non minus quam scandali universaliter emergentis fore sollicitos presciamus, verbum fidei fidelibus adjicimus, exhortationis mandata describimus et ex imperiali parte mandamus, sub pena gratie nostre et perpetuo

(*a*) In cod. Phillips. *speciem*.

Digitized by Google

banno imperii firmiter injungentes quatinus omnes prelatos, archiepiscopos, episcopos, abbates atque priores et cujuslibet ordinis prepositos aut ministros per vos ituros ad Romanam curiam transeuntes, seu mari vel terra privatim vel publice transire voluerint, in personis et rebus impedire, disturbare et detinere modis omnibus procuretis, passagium tam per mare quam terram eis penitus denegantes; mandatum nostrum taliter impleturi ut fidelitatem vestram ad nos et imperium habitam per obedientiam debitam et efficaciam operis ostendatis et in dictam penam vos incurrere non contingat, cum offendi in aliquo gravius non possemus quam si predictis prelatis concederetur aditus publice vel privatim, et nullum gratius obsequium meditemur quam si fideles nostri honori nostro et statui suo provideant ad futura. Verum si tanta foret temeritas prelatorum quod adversus mandatum nostrum et prohibitionem nostram per mare vel per terram privatim vel publice iter ad Romanam curiam veniendi tentarent, eorum malignitatibus occurrentes manifestum impedimentum itineris opponatis. Concedimus enim vobis plenariam potestatem capiendi eos in personis et rebus, et omnia que capietis de rebus, equis et quibuscumque rebus eorum, vestris usibus et proprietatibus applicamus, videlicet tam universis generaliter quam singulis specialiter qui ad impedimentum et captionem eorum et rerum suarum juxta mandatum nostrum processeritis fideliter et devote, preter condignam remunerationem quam vestris meritis reservamus. Super quibus omnibus tam laudabile sollicitudinis vestre perbibeatis coram nobis testimonium et effectum, ut vestro bono statui et publicis honoribus majorem beneficiorum munificentiam debeamus.

[Februario ineunte.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit magistris portulanis de armandis vasellis in regno contra Januenses et piratas, quae per maritimam ad securitatem fidelium continue discurrant.

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. XXXVI; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Notre-Dame*, n° 202.)

Digitized by Google

Fredericus, etc. Crebre nostrorum fidelium, quorum indemnitatem omni cautela possibili nostra procurat humanitas, querele nostrum auditorium circumstrepunt, qualiter Januensium aliorumque rebellium nostrorum piratarum sepe leduntur incursibus, et ab eis in rebus damna quam plurima et in personis subire coguntur injurias, quibus deberent, rebus ordinarie procedentibus, irrogare jacturas. Fideles igitur nostros sic reddere volentes indemnes ut offendant etiam et damnificent infideles, benigna quadam compassione providimus ut in terris maritime, qua parte potius eorumdem rebellium laborat infirmitas, per homines videlicet quorum magis agitur interesse, si foret hoc possibile, vel per eos in quorum favorem hoc tam utile redundare potest negocium, adjunctis auxiliis, ad que ipsos verbis pertrahi volumus inductivis, et si suasioni forte non crederent, prout expedire videbitur, ad ea precipimus compellendos, sine nostris expensis armari vasella competentia faciatis. Que, ut servitia ipsi commodius exequi valeant, eis de vasellis nostris volumus exhiberi, ad predictorum rebellium temerariis ausibus resistendum : ut dum marinis vacantes excursibus fideles nostros offendere satagunt, unde forte sibi compendium captasse crediderint, inde sibi sentiant damnum imminere. Vestre igitur fidelitati precipiendo mandamus quatenus diligenti consideratione prehabita, in terris vestre jurisdictionis vicinis maritime, per mercatores videlicet quorum magis videritis interesse, ac alios quibus ex hoc importabile pondus ingrueret, duas aut tres galeas et tot barkettas, (prout habito cum fidelibus nostris diligenti consilio videritis expedire), quas etiam de vasellis nostris decenter recalcatis et communitis eis assignare vos volumus, sine nostris expensis faciatis bene et decenter armari (1). Ad quod ipsos verbis competentibus inducere studeatis; et si forte inductioni resisterent, cohertione debita compulsuri. Potius enim eos ad id ex quo eorum indemnitas sequitur, volumus compelli, si id

(1) « Mense februarii imperatore mandante, per totam regni maritimam juxta numerum galeae armantur. Mense martii milites et pedites ad defensam et custodiam maritimae ubique per regnum ire jubentur. Eodem mense galeae praedictae versus Pisas vadunt. » *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ad ann. 1241.

expedit, quam ut sic tepescentes iidem suis nostrisque commoditatibus subtrahantur, non sine nostri nominis aliquo imaginario detrimento, depauperante fortuna. Ne igitur predictum negocium, ad quod efficaciter procurandum intendere diligenter et studiose volumus, ex aliquorum necessariorum defectu, inopia forte hominum prestante materiam, dispendia dilationis incurrat, de rebus nostre curie que sunt per manus vestras, et quas eorundem fidelium nostrorum subsidio ad id videritis opportunas, de munificentie nostre gratia per vos precipimus aliquid largiendum. Cautelam tamen debitam super iis adhibere vos volumus, ut vos ad eos quos super hoc statueritis diligentem habeatis respectum, ne odio vel pretio, vel amore, aut extrinsecus aliis forte flectentibus, in hoc magis collaterales aut minus exhibeant, vel in ascribendo minori pondere seu majori ex importabili debito actionis nimis rationabiliter possint queri; scituri quod si clamor justus aliquis ad audientiam nostram propterea deferatur, id siquidem in caput vestrum nostra juberet serenitas retorquendum. Cum iis vero, quos super hoc vasellis ipsis duxeritis statuendos, ordinare euretis ut, si aliquos de infidelibus ipsis capi cum vasellis eisdem fortuna favente contigerit, ad opus curie nostre debeant conservari : ordinaturi nihilominus ut vasella que propter hoc sic armata fuerint, ut mandamus, nullam moram aut residentiam in portubus faciant, sed ad securitatem nostrorum fidelium et rebellium piratarum offensam frequenter continueque discurrant.

[Februario ineunte.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit communitati Florentiae se in obsidione Faventiae hiemantem nec ante captionem hujus discessurum, mittere ad partes illas Henricum filium suum, ad cujus ordinationem venire debeant in castra cum tota quam potuerint militia kalendis futuris aprilis.

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. collect.*, t. II, col. 1148-1149, n° XV. — Correctius vero ex codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, p. II, n° 36, et *anc. fonds latin*, 4042.)

Digitized by Google

Fridericus, etc., potestati et communitati Florentie, etc. Circa obsidionem infide Faventie postqnam prefiximns victricia castra nostra, nobis et aliis fidelibus nostris nna nobiscum ibidem moram pro tempore continuantibus et laborem, quia civitatem ipsam invenimus in rebellione sua pertinaciter obstinatam ut non converteretnr et parceromus eidem, votum tenax et incommntabile velle firmavimus nedum ad coarctationem et captionem ipsius personaliter hiemari, sed, quia diu nostris differtur prosterni mandatis, personam nostram et fideles nostros exponere, opes effnndere copiosas, longe lateque ab universis imperii partibus vires augere, victoriosum exercitum renovare, tempora sicut expedit continuare temporibus, aggressn et insultibns bellatornm, adveniente temporis proxima jam expectata temperie, cum predicta civitas tam in personis quam in necessariis langueat et deficiat tota, sic triumphaliter expngnare, donec luat et lugeat sui status interitum et infidelinm incolarum. Absit enim ut glorientur insidiis, quia victorem mundi Romanorum imperium nnlla necessitas a suorum rebellium obsidione removeat nisi captis hostibns et devictis. Absit ab opinione fidelinm nt velint domi quietem ducere, vitare labores, sub cena dormire, thoro se sternere delicato, ubi persona nostra que dispensatione divina preest imperio et deliciis palatinis est educata, sub gelu et glacie in lorica desudat. Absit igitur ut fideles nostri quos optata manet ex victoria nostra tranquillitas, quibns ex nostrorum participatione successuum congaudemns et nobis consentiunt in omni onere et honore, contendant unquam oportuno tempore oportuna subsidia prorogare. Qnapropter volentes in presenti necessitate que ad optatum finem deducta communem omnium quietem respicit et profectum, nostrorum fidelium experiri constantiam, affectus exquirere, devotionem agnoscere et ipsorum presentiam obtinere, qnod in persona propria faceremus (*a*), nisi quod castris usqne ad captionem civitatis ejnsdem disposuimns non abesse, dilectum filium nostrum H. regem Sardinie, etc., personam patris et imaginem presentantem, ad snbmotionem et adventnm nostrorum fidelium ipsarum partium specialiter destinamus, mandantes,

(*a*) Ap. Martene *faciemus*; in codic. *fecimus, fecissemus*.

Digitized by Google

monentes et hortantes attente quatenus predicto rege in persona patris reverenter accepto, juxta requisitionem et ordinationem suam paretis vos in militibus, balistariis et toto conamine virium quod per commune potestis, ad felicem expeditionem nostram Faventie potenter et feliciter advenire in kalendis proxime venturis mensis aprilis, ut vos cum omni jocunditate recipere debeamus, et sicut conatus vestrarum virium se laudabiliter exposuerit coram nobis, teneamur vestri status et nominis titulos ampliare.

---

11 februarii. Otto, dux Bavariae, Gregorium papam monet ne exaudiat litteras quas ipse et rex Bohemiae pro concordia cum Friderico ineunda scripsere, et una cum Alberto Bohemo conqueritur quod contra episcopos Bavariae non fuerit processum.

(Edit. ex *Aventin. excerpt.*, ap. Œfele, *Scriptor.*, p. 792, et ap. Höfler, in *Bibl. des liter. Vereins von Stuttgart*, t. XVI, p. 26.)

Otto dux [Bavariae] Gregorio papae, etc. In negotio quod pauci gerimus vobiscum, si aliter dictum ipsi, non debet commoveri, aut si aliqui inconstantes principes, testatur in proposito perpetuo mansurum usque ad finem negotii. Rex Boemiae consanguineus suus si ulciscitur injuriam et ignominiam illatam a duce Austriae et marchione Misniae, [non agit] contra negotium, sed pro eo. Nec moveant eum litterae quas ipse et rex misere pro Friderico sub suis sigillis, petentes pro concordia et pace ipsius. Licet enim ipsi litteras dederimus, non tamen utilitatis nostrae fuit ut illas exaudiretis aliqualiter. Mittere se ait Bertholdum capellanum suum. Hortatur si quae litteris mitterentur nomine suo, non credat nisi signum suum adsit cera rubricata. Nuntios misisse ait et mandatum; sed..... si contra episcopos processum fuisset, negotium finem haberet; quia tamen consilia nostra apud vos locum non habent, negotium protelatur non sine magno dispendio et jactura.

Digitized by Google

Albertus eidem conqueritur quod ipse ad Ratisponensem benigne fratrem venerabilem appellando eique res quasdam committendo scripserit; quem tamen excommunicaverit, et licet ab ipso alienati fuerint dux et barones. Stultum me dicunt quod ego [tuli] contra episcopos sententiam, vos eos appellatis fratres venerabiles.

[Datum] III idus februarii M. CC. XLI.

Gregorius papa Joanni de Civitella subdiacono suo mandat ut vota crucesignatorum a subsidio Terrae Sanctae in defensionem Ecclesiae contra Fridericum commutare valeat, dummodo expensas quas in peregrinatione facturi essent, in defensionem hujusmodi transmittant. Laterani, 12 februarii.

(Edidit HÖFLER, *Kais. Friedr. II,* append., n° 28, e regest. Gregor., anno XIV, n° 217.)

Gregorius, etc., Joanni de Civitella subdiacono et capellano nostro, etc. Cum tibi duxerimus injungendum ut contra Fridericum in Ungarie regno verbum crucis proponeres et nonnulli in dicto regno in Terre Sancte subsidium susceperint signum crucis, ex quo impedimentum non modicum tuo proposito generatur, nos devotioni tue ut vota crucesignatorum ipsorum in defensionem Ecclesie contra Fridericum eumdem, si eorum ad id consensus accesserit, commutare valeas, ac ipsis et reliquis redimentibus vota sua, dummodo expensas quas facturi essent eundo in Terram Sanctam, morando inibi et exinde redeundo, in manibus tuis et dilecti filii abbatis de Pelis Cisterciencis ordinis et Benedicti canonici Strigoniensis assignent in defensionem hujusmodi transmittendas, illam possis indulgere veniam peccatorum que predicte terre succurrentibus in generali concilio est concessa, liberam auctoritate presentium concedimus facultatem.

Datum Laterani, II idus februarii, anno XIV.

In obsidione Faventiae, 15 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, Masnerio de Burgo potestati et communi Cumarum mandat se mittere ad partes ipsas Henricum regem Turrium et Galluri filium suum, quem ipse devicta Faventia subsequi proponit, eisque concedit subsidia ecclesiarum districtus Cumani usque ad adventum suum, cum proventibus vallium Bellinianae et Leventinae. Monet simul se Masnerium eumdem capitaneum Cumarum et circumadjacentium terrarum ordinasse, sicut Bertholdus marchio de Hohenburch ibidem ordinatus extitit.

(Inedit. ex archiv. comm. Cumar. libr. I, *Veter. monum.* regist. perg., fol. 70 recto et verso.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, Masuerio de Burgo potestati et capitaneo, concilio et comuni Cumarum fidelibus suis, gratiam suam et bonam voluntatem. Capitula que per nuncios et ambaxatores vestros latores presentium nostro culmini transmisistis benigne inspeximus et intelleximus diligenter, et ecce vobis ad singula respondemus. Primo videlicet de adventu nostro ad partes ipsas in estate futura proxima vel missione dilecti filii nostri Henrici regis Turrium et Galluri, noveritis quod quantumcumque dormiant alii vel dormiteut, cor nostrum tamen circa nostros subditos et fideles, vos precipue qui inter omnes alios pro fide et devotione imperii exposuistis hactenus et exponitis cottidie viriliter vos et vestra, prout frequens relatio Bertholdi marchionis de Fohenburch dilecti consanguinei nostri et fidelis, dudum capitanei et potestatis Cumarum, disseruit et effectus subsequens operum dilucide demonstravit, vigilat incessanter. Volentes namque, sicut firmi nostri propositi est, condescendere votis vestris, ecce eumdem filium nostrum ad partes ipsas cum copioso exercitu duximus premittendum ut propterea nobis in omnibus via preparata, nos postmodum devicta civi-

Digitized by Google

tate Faventie que laborat amodo continue in extremis, sine mora qualibet ad extremam desolationem Mediolanensium et nostrorum aliorum rebellium una cum eodem rege filio nostro tam finaliter quam imperialiter subsequamur. Quod autem in custodiis castrorum et aliis expensis et oneribus estis multipliciter aggravati, petentes super hiis vobis de imperiali clementia provideri, nostra provisio sic providit ut omnia bona bannitorum et subsidia ecclesiarum districtus Cumani usque ad felicem adventum nostrum in ipsis partibus qui erit citius quam credatur, ut tunc plena provisio vobis fiat, in recompensationem expensarum et predictorum onerum vobis cedant. De vallibus quoque Belliniana et Lebentina quas concedi vobis suppliciter postulastis, quum usque ad adventum nostrum ipsas in manibus nostris disponimus retinere, excellentie nostre placet ut omnes proventus illarum ad manus prefati Masnerii de Burgo capitanei et potestatis Cumarum, fidelis nostri, deveniant pro speciali custodia Bellinzone. De privilegiis et concessionibus concessis singulariter et universaliter revocandis, donec illuc veniamus omnem effectum propter (?) executionem ipsorum duximus suspendendum, in antea qualiter de his fieri debeat plenius provisuri. De provisione vero Riverie et de Leuco, noveritis quod nos de prudentia et fidelitate Smaliada (*sic*) de Bellotis de Cremona fidelis nostri confisi, ipsum illuc loco nostri duximus destinandum, de cujus persona credimus et tenemus quod predictis terris tam provide quam utiliter sit provisum. Quod autem ultimo petivistis ut videlicet predictum Masnerium de Burgo fidelem nostrum, potestatem vestrum, capitaneum Cumarum et circumadjacentium terrarum, sicut prefatus Bertholdus marchio de Fohenburch fuerat a nostra majestate statutus, ordinare et statuere dignaremur, nos vestris supplicationibus inclinati eumdem Masnerium de Burgo capitaneum Cumarum et terrarum circumadjacentium, sicut idem marchio a nostra majestate ordinatus extitit, duximus statuendum, mandantes ut capitaneatus officium amodo ad honorem et fidelitatem nostram, salutem vestram et exterminium rebellium nostrorum, donec ad mandatum nostrum, debeat fideliter et efficaciter exercere.

Datum in obsidione Faventie, XV februarii, XIIII indictione.

Ego Rovolus notarius, etc., jussu domini Masnerii de Burgo, etc.

Digitized by Google

In obsidione Faventiae. 27 februarii.

Fridericus, Romanorum imperator, magistris ordinis Praedicatorum apud Parisios in capitulo constitutis exponit damna et offensas quas a summo pontifice acceperit, monetque ne permittant aliquos fratres ordinis ejusdem cum litteris et legationibus contra se et imperium per orbem discurrere, cum non deceat sacrum eorum ministerium litigiis personarum immisceri.

(Edid. BZOVIUS, *Annal. eccles.*, contin. Baron., t. XIII, p. 554-555, ad ann. 1246, § VIII; nunc collatum cum codice Vaticano, n° 4957, fol. 18.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, etc., venerabilibus magistris sacri ordinis fratrum Predicatorum apud Parisios coustitutis, suis in Christo dilectis, in vero salutari salutis augmentum et gratie. Gratanter accepimus quod e diversis muudi partibus concurrentes sitis iu urbe Parisius uuanimiter cougregati, celebraturi solemue auuuo more collegium ad robur catholice fidei et apostolici dogmatis firmamentum. Quod summo zelo collegimus, emulantes emulatioue diviua si natura specialiter iudulgeret quod persona nostra imperialis reipublice negotiis occupata nostram inter vos presentiam commodaret, in conspectu tam saucte multitudiuis cujus cultu vegetatur et regitur celi religio, viva voce proponeret quauta nos augat aborta Romano presule suggereute disseusio, quales et quot vias paraverimus preveuire secuture disseusiouis origiuem, ut concepta desisterent priusquam illicite geueratiouis transducta materia abortum passa fuerit, et in geuerale muudi scaudalum liceutiosa prodiret. Accederet etiam votis uostris et id coram vobis ab ore nostro voce veridica resouaret quod sepe nimis institimus tanti mali principiis processibus obviare, nisi nostrorum zelus infidelium qui plus equo, plus licito mentem exagitant nostri principis sacerdotum, propositum et intentionem ipsius iu incepto et jam invalente dissidio confirmasset. Quod justius revocare debuerat generalis mundi ruina que sequitur, quin potius chris-

tiane tuitio fidei que sub tanti mole discriminis impeditur. Sane ut innocentia nostra generaliter pateat et longanimitas patientie nostre in adversis evidentius comprobetur, circa subjugandos nobis et imperio nostro rebelles Hesperie populos effusis opimis copiis et fidelium viribus congregatis diuturna nos guerra detinuit; quibus pro majori parte subactis, ad favendum et relevandum obscuras eorum reliquias Romani presulis astutia se convertit, disseminans hinc inde longe lateque zizanias tum per calumniosas objectiones blasphemie, tum ex diversis operum nocumentis; legatum cum vexillo suo super hostium defensione constituens et a finibus regni nostri et de corpore imperii per civitates et loca imperii que in hereditatem sibi vindicare captabat, nova nobis prelia, nova fidelibus nostris publici transitus inferens nocumenta, nisi ad removendum de finibus regni nostri et de corpore imperii futurum quod minabatur dispendium, felicem accessum nostrum ad partes illas post previsa et premissa consilii nostri remedia dextera Domini convertisset; que sic vias et semitas nostras justitia previa preparavit ut jura nostra et imperii nobis ibidem quotidie reformentur. Dumque nobis regredientibus per partes Emilie, super obsidione Faventie civitatis Deo et nobis infidelissime noster victoriosus exercitus consedisset, et ibi felicia castra nostra deliberata per estum et hiemem mora firmaverit, ut abinde nisi capta civitate ipsa, cum captioni sit proxima et digna pro meritis reportare, nullatenus recedere proponamus, novum nocendi genus invenit ille Romanus pontifex sub velamento concilii rebelles et hostes nostros undique convocando, ut si eos presentes habere poterit, in rebellione confirmet et viam scandalis reseret ampliorem. Cujus ad inventionem, sicut in jure nostro confidimus, divine justitie manus occurret ut in suis conatibus elidatur. Quia igitur in sacra congregatione vestra presentialiter esse non possumus, presentem paginam velut omnium gerulam predictorum vobis duximus destinandam; que tamen absentiam nostram suppleat et assignet presentiam per affatus, per quam tot sanctorum virorum sacris ordinibus nos et sacrum imperium commendantes, exposcimus ut apud regnorum omnium conditorem qui Romanum imperium ad predicationem Evangelii preparavit, nos in eo quod possibilitas nostra non obtinet multiplicatis intercessionibus

Digitized by Google

adjuvetis, ut prostratis hostibus et mundo a scandalis serenato, sicut ex divina provisione digniorem arcem conscendimus et imperii solio Deo presidemus auctore, sic ad tuitionem fidei et sancte matris Ecclesie libertatem divine virtutis potentia gloriemur. Ceterum quia totius mundi conscientia in vestre religionis honestate firmatur et vagos discursus hominum evangelizando salutis et gratie documenta dirigitis, novam mundo conscientiam de vobis fieri non velitis quod aliqui fratrum vestrorum cum literis et legationibus contra nos et imperium per orbem discurrere sugillentur, dicentes quod se Deo in salutem animarum suarum obsequium prestare confidant si nobis et imperio nostro se molestos et injuriosos opponant. Super quo sacra congregatio vestra taliter in presenti sacro concilio deliberet et disponat, quod hujusmodi verborum levitas, discursus et opera generaliter a fratribus evitentur, et unde possunt assequi gratiam apud omnes et Deo et hominibus gratis obsequiis juxta solitum complacere, intendant, quod sacrum vestrum ordinem non deceat litigiis personarum et odiis immisceri, ut ministerium vestrum in omnibus comprobetur. Nos enim ordini sacro vestro potenter astare ac efficaciter adesse disponimus verbo et opere, vestre religionis cultui et commoditatibus provisuri quantum cum honore imperii fieri poterit, prout vestra universalis affectio intentionis nostre propositum ferventius erga se suorum operum indiciis invitabit.

Data in obsidione Faventie, vigesimo septimo februarii, decima quarta indictione.

In obsidione Faventiae, februario.

Fridericus, Romanorum imperator, civibus Beneventanis qui ad fidelitatem suam devotis et concordibus votis et animis devenerunt, immunitatem quorumdam vectigalium concedit de bonis quae in regno Siciliae possidebant.

(Memorat. ap. Borgia, *Memor. istor. di Benevento,* t. III, p. 217, ex arch. Benev.)

Datum in obsidione Faventie, anno dominice incarnationis M. CC. XL, mense februarii (1), quartadecima indictione, ... imperii anno XXI.

Claromonte. 11 martii.

Raimundus, Tolosanus comes, comiti Fuxensi, vicecomiti Altivillaris, consulibus Tolosae, Agenni, Montisalbani et Moissiaci mandat ut jurent se operam daturos quod de caetero idem comes adjuvabit Ecclesiam Romanam contra Fridericum dictum imperatorem, juxta conventiones factas cum Prenestinensi episcopo Apostolicae Sedis legato.

(Edit. ap. De Vic et Vaissète, *Hist. génér. de Langued.*, t. VI, *Preuves*, p. 423-424, édit. du Mége, ex arch. dom. comm. civil. Moissiaci.)

R[aimundus], Dei gratia comes Tolosanus marchio Provincie, dilectis et fidelibus suis R[ogerio] B[ernardo] comiti Fuxi, A[rnaldo] O[thoni] vicecomiti Altivillaris, consulibus Tolosanis, Agennensibus, Montis Albani, Moisiaci, salutem et dilectionem. Noverit discretio vestra nos cum domino Prenestinensi episcopo Apostolice Sedis legato tractatum habuisse et cum eo super nostris negotiis convenisse. Inter cetera autem promisimus eidem quod vos et consiliarii predictarum universitatum debeatis jurare sub hac forma:

Nos vobis, domine Jacobe Prenestinensis episcope, Apostolice Sedis legate, recipientibus nomine vestro et vice et nomine domini pape Gregorii et successorum ejus et ratione Ecclesie, promittimus et juramus

(1) Ista chronologica nota cum rebus historicis male convenit, dum mense februario adhuc duraret obsidio Beneventi, cujus deditionem non ante mensem aprilem hujus anni memorat Riccardus de Sancto Germano, auctor, ut noscitur, summae fidei. Unde suspicamur privilegium his Beneventanis civibus qui ad partem imperialem se inclinaverant (vid. supra, p. 1056), non omnibus vero fuisse indultum, ea tamen intentione ut caeteri ad simile obsequium flecterentur.

Digitized by Google

quod bona fide laborabimus et operam dabimus efficacem quod de cetero dominus noster Raimundus Dei gratia Tolosanus comes, marchio Provincie, per omnia obediet mandatis domini pape et Ecclesie Romane ac legati et adjuvabit Ecclesiam Romanam fideliter et potenter, specialiter contra Fredericum dictum imperatorem et successores ejus qui in vitium succederent et fautores et valitores ipsorum. Si autem, quod Deus avertat! unquam contra superius dicta prefatus comes veniret, nisi amonitus a domino papa vel legato ejus infra mensem emendaverit, adjuvabimus dominum papam, Ecclesiam Romanam et ejus legatum contra eum et heredes et valitores ipsius, nonobstantibus juramento, pacto, conventione a nobis sibi vel heredibus suis factis vel faciendis seu aliis quibuscumque de mandato ipsius comitis, presertim cum in juramento suo super hoc prestito legato et Ecclesie ratione si contraveniret absolutos (*sic*).

Hoc igitur sacramentum volumus et mandamus quod vos predicti consules et vestri consiliarii pro se et de mandato communitatum predictarum pro ipsis communitatibus faciatis. Unde mandamus vobis universis et singulis quatinus cum requisiti fueritis a venerabili patre domino episcopo Agennensi, in forma predicta juretis, tradentes eidem litteras patentes cum sigillo pendenti, vos comes Fuxensis per vos et vos vicecomes per vos et quelibet universitatum predictarum per se, et hoc nullo modo mutetis.

Datum Claromonte, kalendis martii, anno domini M. CC. XL (1).

In obsidione Faventiae, martio.

Fridericus, Romanorum imperator, privilegium Henrici sexti patris sui inserendo confirmat quo burgenses Constantienses col-

---

(1) Utitur anno secundum computationem Francorum in Pascha incipiente. Promisit insuper comes Tolosanus, teste Guillelmo de Podio Laurentii, cap. 44, se iturum cum episcopo Tolosano ad concilium a papa Romae convocatum. Cum autem a curia regis Francorum Massiliam reversus fuisset, ibi navem conscensurus, captionem praelatorum audiit : quod ejus propositum impedivit.

Digitized by Google

lecta vel petitione eis ab episcopo suo imposita immunes in perpetuum declarantur.

(Inedit. ex originali inter docum. Constant. in archivo Karlsruhensi, n° 9, unde pendet sigillum cereum filis sericis flavi et amaranthini coloris. Cujus quidem privilegii nullam apud auctores rerum Suevicarum mentionem usque nunc invenimus.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Fridericus secundus divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Justis fidelium petitionibus condescendere tenemur quas nisi favorabiliter audiremus, obaudire quod petitur per injuriam videremur. Hinc est igitur quod cives Constancienses fideles nostri ad nostram presentiam accedentes quoddam privilegium domini imperatoris Henrici patris nostri dudum ipsis indultum nostro culmini presentarunt, supplicantes humiliter et devote ut illud eis innovare et confirmare de nostra gratia dignaremur, cujus tenor per omnia talis erat :

In nomine sancte et individue Trinitatis. Henricus sextus divina favente clementia Romanorum imperator augustus. Imperatorie majestatis nostre circumspecta discretio dignum attendit ea que ordine judicii in presentia nostra discussa sunt et diffinita, litterali memoria ad posteros transmittere, ne processu temporum ex oblivione aliqua propter malignorum proterviam aliquatenus debeant retardari. Ea propter noverint universi fideles imperii nostri tam presentes quam futuri, quod fidelis noster Diethelmus Constanciensis episcopus ex postulatione burgensium Constanciensium qui collectam vel petitionem quam in eos facere voluit ipsi negabant, ad nostram apud Leodium accedens presentiam, causa diu inter eos per justitiam ventilata, coram majestate nostra et principibus imperii recognovit quod civitas et burgenses Constancienses ex privilegiis et concessione antecessorum nostrorum divorum augustorum, regis Dagoberti et aliorum, nullam petitionem seu collectam ipsi episcopo vel advocato civitatis vel successoribus suis facere debeant. Quam recognitionem gratam habentes, de plena voluntate dicti episcopi et favore burgensibus et civitati Constanciensi hanc libertatem perpetuo jure imperiali auctoritate

concedimus et presenti pagina confirmamus. Statnimus igitur et districte precipimus ut nec presens episcopus Diethelmus vel advocatus vel aliquis eorum successor hanc libertatem burgensibus et civitati Constanciensi concessam aliquo tempore attemptare audeat vel infringere. Quod si quis facere presumpserit centum libras auri pro pena camere nostre componat. Ad cujus rei certam in perpetuum evidenciam presentem paginam inde conscribi et majestatis nostre sigillo jussimus communiri. Hujus rei testes sunt Hermannus Monasteriensis episcopus, Lotharius Leodiensis electus, Theodericus Trajectensis prepositus, Baldewinus comes Flandrie, Girardus comes de Lon, Otto comes de Gelren, Theodoricus comes de Hostaden, Theodericus comes de Cleve, Burchardus comes de Zolre, Deithelmus de Creien, Cuno de Muucemburc, Henricus de Lutra pincerna, Wernherus de Arbona, Heinricus et Rudolfus de Wintertul, Heinricus de Anewilere, Conradus de Hugoldeshoven, et alii quamplures.

Signum domini Henrici sexti Romanorum imperatoris invictissimi (*Monogramma*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. C. XCII, indictionis X, regnante domino Henrico sexto Romanorum imperatore gloriosissimo, anno regni ejus XXIII, imperii vero secundo.

Datum apud Leodium, VIII kalendas octubris.

Nos itaque dictorum fidelium nostrorum devotis supplicationibus annuentes, supradictum privilegium huic nostro privilegio de verbo ad verbum inseri jussimus, omnia que continentur in eo de speciali gratia confirmantes; statuentes et sub obtentu gratie nostre firmiter precipientes quatinus nullus sit qui contra presentis nostre innovationis et confirmationis tenorem eos presumat ausu temerario molestare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque innovationis et confirmationis nostre memoriam, presens scriptum fieri et sigillo majestatis nostre jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Bertholdus marchio de Hohenburc, Waltherus de Scillingeruirst, Albertus de Lichenstein, Cuno de Stophel, Gotfridus de Flekenstein, Henricus de Scarpfeneke, Wolframus de Lapide, Ulricus de Dune, Johannes de Wachenhaim, Hermannus de Escenowe, Henricus

Digitized by Google

advocatus Augustensis, Lupoldus burgravius Augustensis, et alii quamplures.

Signum domini Friderici secundi invictissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis (*Monogramma*).

Acta sunt hec anno dominice incarnationis M. CC. XXXXI, mense marcii, XIIII indictionis, imperante domino nostro Friderico secundo Dei gratia gloriosissimo Romanorum imperatore semper augusto, anno vicesimo, regni vero Jerusalem anno quintodecimo, regni vero Sicilie quatragesimo tercio, feliciter. Amen.

Data in obsidione Favencie, mense marcii, XIIII indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Conrado pincernae de Wintersteten concedit ut monasterium monialium Cisterciensis ordinis apud Baindt construere possit et bonis quibusdam donare, ea conditione ut loco dictorum bonorum alia bona apud Ursingen in feudo ab imperio recipiat. In obsidione Faventiae, martio.

(Edit. partim ap. *Beilage zum archiv fur Kunde österr. Gesch.*, notizenblatt, n° 20, 1851, p. 306, ex transcripto anni 1727.)

Fridericus, etc., Romanorum imperator, etc. Notum facimus, etc., quod Conradus pincerna fidelis noster de Wintersteten supplicavit nostre celsitudini proponendo quod cum emerit quedam bona in villa que vocatur Bunda (1) a comite de Montesancto et quedam alia bona ab Henrico dicto Wildemann comparaverit apud Gruninberc ac alia bona in feudo teneat a nobis in loco qui vocatur Entisperc et intendat cum licentia et gratia nostra monasterium ibidem construere monialium Cisterciensis ordinis ad continuam laudem Christi, ei dignaremur dare licentiam dictam ecclesiam construendi ut bona ipsa cedant in usus et proprietates monialium

(1) Scilicet *Baindt* in Suevia.

Digitized by Google

predictarum, tali videlicet conditione quod bona que ipse comparavit a comite Gotfrido de Marsteten in villa que dicitur Ursingen cum jure patronatus ecclesie et aliis pertinentiis suis que ipse in manibus dilecti filii nostri Cunradi Romanorum in regem electi semper augusti et heredis regni Jherusalemitani resignavit, loco dictorum bonorum a nobis similiter in feudo recipiet et cognoscet. [Inde supplicationes in omni parte exaudit, licentiam dat monialium monasterium in hoc loco construendi illudque cum ejus pertinentiis et futuris possessionibus in sua et imperii speciali protectione suscipit.]

Acta sunt hec anno Domini millesimo CC quadragesimo primo, mense martii, XIIII indictione.

Datum in obsidione Faventie, anno, mense et indictione prescriptis, feliciter. Amen.

Laterani, 16 martii.

Gregorius papa G. de Romania Apostolicae Sedis legato mandat ut de quantitate vasorum quae pro praelatis et eorum familiis ad concilium deferendis plene sufficiant, studeat providere, cum sexdecim galeae et totidem taridae non satis aptae videantur.

(Inedit. ex *Regest. epist. Gregor. IX,* anno XIV, in collect. La Porte du Theil, ap. biblioth. caesar. Paris.)

Gregorius, etc., G. de Romania subdiacono et cappellano nostro Apostolice Sedis legato, etc. Gratum gerimus et acceptum sollicitudinis tue studium et circumspectionis industriam, in Domino commendantes quid in commissis tibi Apostolice Sedis negotiis per te hactenus divina faciente gratia laudabiliter est processum. Verum quia sexdecim galeas et totidem taridas ad deferendum prelatos et earum familias ac alios ad concilium accessuros cum rebus sibi necessariis, minus sufficere arbitramur, mandamus quatenus ne predictorum adventum propter defectum vasorum

impedire (a) contingat, cum sit melioris cautele iu presentis uecessitatis articulo in navigio abundare, adhuc cum consilio venerabilis fratris nostri patriarche Jerosolymitani ac aliorum qui sunt apud Januam Ecclesie devotorum, de ea quantitate vasorum que plene sufficiant pro prelatis omnibus et aliis deferendis sollicite studeas providere.

Datum Laterani, idibus martii, pontificatus nostri anno XIV.

Henricus, rex Sardiniae et imperii in Italia legatus generalis hospitale Sanctae Mariae de Senis sub imperii protectione suscipit. In civitate Senensi, 17 martii.

(Inedit. ex exempl. authenticato ap. *Arch. hospitalis Senensis*, pergam. tom. VII, reg. B., n° 2248.)

Henricus, Dei et imperiali gratia rex Turritanus et Galluritanus et sacri imperii totius Italie legatus generalis et domini Frederici secundi divi augusti filius. Per presens scriptum notum esse volumus universis imperii fidelibus tam presentibus quam futuris quod cum Cacciacomes rector hospitalis pauperum Sancte Marie de Senis ad nostram presentiam accessisset nostre magnitudini humiliter supplicavit ut ipsum hospitale Sancte Marie sub protectione ac defensione imperii recipere dignaremur. Nos igitur ejusdem rectoris supplicationibus de regie nostre benignitatis gratia clementissime inclinati, ob reverentiam precipue Jesu Christi per quem totius honoris regie dignitatis cognoscimus incrementa, eumdem rectorem et dictum hospitale Sancte Marie cum personis ibidem Domino famulantibus, familia et omnibus rebus mobilibus et stabilibus que ipsum hospitale in presentiarum juste tenet et possidet vel in antea justo titulo poterit adipisci, sub imperii protectione recipimus speciali, universitati vestre mandantes imperiali vobis auctoritate firmiter injungendo quatenus nullus sit qui prenominatum hospitale Sancte Marie cum nominatis personis, familia et omnibus rebus eorum constitutis ubique

(a) Verisimiliter legendum *adventus... impediri*.

Digitized by Google

per Tusciam contra hanc imperii protectionis paginam offendere indebite seu molestare presumat. Quod qui presumpserit indignationem imperialis culminis se noverit incursurum. Ad hujus itaque nostre concessionis memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo nostre magnitudinis jussimus communiri.

Datum in civitate Senensi, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, septimo decimo martii, quartedecime indictionis.

Ego Johannes Martini notarius totum quod supra legitur de autentico privilegio viri magnifici domini Henrici regis Turritani et Galluritani suo sigillo munito diligenter, nullo addito vel diminuto, sumpsi et fideliter hoc exemplum ad illud autenticum una cum Francischo Ugolini et Giunta Russi notariis abscultavi et nichil plus in uno quam in alio vidimus contineri; unde ad majorem fidem hinc dandam publicavi et subscripsi, in anno Domini millesimo CC. XLVII, indictione sexta, die XVI kalendas novembris.

In obsidione Faventiae, 26 martii.

Fridericus, Romanorum imperator, Friderico Grillo et Joanni Striggiaporco capitaneis fidelium suorum Januensium nuntiat se de celeri deditione Faventiae jam securum Henricum, filium suum, in Lombardiam praemisisse ad praeparandum exercitum contra rebelles, dedisseque in mandatis Marino de Ebulo a Papia superius vicario et Uberto Pellavicino vicario in Lunegiana de facienda guerra rebellibus Januensibus, et quae Ansaldus de Mari regni Siciliae admiratus sibi ex eorum parte dixerit intellexisse diligenter.

(Inedit. ex libro jurium, cod. perg. Bibl. univ. Gen., fol. 205, verso. — Minus vero correcte ap. Schiaffin., *Annal. eccles. di Genov.*, Ms. in Bibl. Beril, ibid., vol. II, fol. 644, 645.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusa-

Digitized by Google

lem et Sicilie rex, Friderico Grillo et Joanni Striaporci (1), capitaneis fidelium suorum Januensium fidelibus suis gratiam suam et bonam voluntatem. Grata est in conspectu nostro fidei vestre constantia quam ad nos et imperium vos habere ipsa opera dilucide protestantur. Ut autem de felicibus excellentie nostre successibus gaudere possitis, per presentes volumus vos esse certos quod undique nobis per gratiam Regis regum cuncta cedunt ad votum. Nam Faventini ad ultimam impotentiam adeo sunt deducti, tum rerum defectu, tum crebris bellatorum nostrorum insultibus fatigati quod de Faventie deditione firmam et celerem fiduciam obtinemus. Premisimus autem in Lombardiam Henricum dilectum filium nostrum, illustrem regem Turritanum et Gallure et sacri imperii in Italia legatum generalem, ut exercitum nostrorum fidelium copiosum faciat preparari quod obtenta Faventia ad depopulationem Bononiensium et subsequenter aliorum rebellium procedamus. Dedimus quoque per litteras nostras Marino de Ebulis sacri imperii a Papia superius vicario et fideli nostro firmiter in mandatis ut ipse cum fidelibus nostris et imperii de jurisdictione sua faciat Januensibus qui rebelles sunt imperii vivam guerram; Uberto etiam marchioni Pallavicino vicario in Lunexana et partibus convicinis, fideli nostro, de facienda guerra ex hac parte mandatum fecimus speciale; nihilominus autem felix et victoriosum stolium nostrum per mare ad coercitionem Januensium jam fecimus preparari pro depressione infidelium qui sunt ibi et pro nostro ac fidelium omnium incremento. Vos igitur de bono in melius de nostris servitiis studeatis. Nam de impensis et impendendis obsequiis retributione condigna vos curabimus compensare. Noveritis insuper quod ea que Ansaldus de Mari regni Sicilie admiratus (2), fidelis noster, nobis ex parte vestra retulit intelleximus diligenter et super iis que nobis dixit circa confusionem

(1) Videlicet *Striggiaporco*, nobilis Januensium familia.

(2) « Mense februarii 1241, imperator mandavit Ansaldo de Mari qui erat in Janua ut iret ad ipsum, quia mortuo Nicolino Spinula quondam Ingonis, admirato suo, ipsum constituerat regni Siciliae. Idem Ansaldus omnibus praetermissis, quam secretius potuit ivit ad imperatorem et collatum admiragii officium suscepit. » *Annal. Genuens.* ap. Murator., *Scriptor.*, t. VI, p. 485.

Digitized by Google

rebellium, priusquam ipse venisset firmiter proposueramus magnificentius et altius procedere quam propositum fuerit per eumdem; et jam pro majori parte ad effectum operum est processum.

Data in obsidione Faventie, die XXV martii, indictione XIV (1).

Landshut, 27 martii.

Albertus Bohemus papae nuntiat litteras de concilio tardius in Bavariam advenisse. Precatur quod cardinalem legatum in Hungariam mittat, cui ipse ex parte ducis Bavariae una cum rege Bohemiae et principe Poloniae personaliter occurret.

(Edit. ex *Avent. excerpt.* ap. Œfele, *Scriptor.*, p. 797, et ap. Höfler, in *Bibl. des Liter. Ver. von Stuttgart*, t. XVI, p. 27.)

[Albertus] Gregorio papae per Valentinum. Litterae de concilio missae regi Boemiae et aliis quibusdam principibus tarde seroque redditae (2), adeo ut ad definiti concilii diem nuntios absolvere suos non potuerit tam brevi. Quidquid ibi decretum amplexuros regem et ducem ac suos. Si legatus a latere mittatur, ut desiderant principes, rem esse confectam; quod si ante actum fuisset, jamdiu optatum finem res consecuta esset. Petit maxime ut per mare et Ungariam mittat legatum de cardinalibus. Vult ei in Ungaria adhaerere ex parte ducis Bavariae ducis (*sic*) sui et amicorum suorum, et procurare quod rex Boemiae et ille H. christianissimus princeps Poloniae, Ungariae contigui, sibi occurrere personaliter festinabunt.

Datum Landshuet, proxima feria quarta ante coenam Domini MCCXLI.

---

(1) Istae sunt litterae quarum in Annalibus Januensibus mentio fit his verbis : « Et fuerunt inventae in quodam pane cereo litterae imperatoris sigilli ipsius munimine insignitae quas suis fautoribus in Janua transmittebat... Decrevit potestas ipsas litteras secretas tenere nec eas usque ad separationem galearum in publico revelare. » *Ibidem*, p. 486 et seqq.

(2) Missae tamen 15 octobris 1240. Videsis Raynald., *Annal. eccles.* ad ann., § LVII, et Palacky, *Reise*, p. 28.

Digitized by Google

Otto, dux Bavariae, et Albertus Bohemus iterum papam hortantur quod legatum per Hungariam mittere velit, quum nisi negotium Ecclesiae expeditius fieri contingat, major pars episcoporum et principum laicorum proximo autumno in subsidium Friderici Lombardiam intrabunt. 10 aprilis.

(Edit. ex *Avent. excerpt.*, ap. ŒFELE, *Scriptor.*, p. 797, et ap. HÖFLER, *Bibl. des Liter. Ver. von Stuttgart*, p. 27.)

Gregorio papae Otto Dei gratia Palatinus comes. Si anno proximo praesenti (a) ad crebram petitionem suam, litteras et nuntios consanguinei sui W. regis Boemiae, legatus datus in Alemania fuisset, negotium suum et Ecclesiae jam fine quieto gauderet. Nihil prodesse consilia bona dare, cum quae ab ipsis suadentur ipse non exaudiat; si majora petiisset, sperassent se exauditos; in tantam superbiam episcopos Alamaniae esse prolapsos [ut] nisi brevi negotio finis detur vel a latere dirigatur legatus providus et auctoritate qua episcopos qui non parerent continuo damnaret, alios obedientes substituat, proximo autumno major pars episcoporum [et] laicorum principum Lombardiam intrabunt in auxilium Frederici. Nos cum rege Boemiae qui rectum. . . . . . pauci sumus, cogemur desperare omnino et facere quae postmodum non poterunt revocari. Supplicat legatum per Ungariam transmittat si negotium cupiat terminari. Quod si ad concordiam, ut fama est, pronior sit, eo quod legatum dare denegarit, velit id intimare Burchardo sciens principi suo quaedam injunxisse dicenda viva voce. Consulit quoque Albertus juxta preces ducis et regis mittat legatum sine mora; quod si fecerit, omnia negotia ad voluntatem papae terminabuntur.

Datum IV idus aprilis MCCXLI.

Adsunt ibidem Alberti ad episcopum Ferrariensem litterae cum notis

(a) Sic; legendum vero *praecedenti*.

Digitized by Google

chronologicis eisdem, quibus ad missionem legati ardentius aspirat, quo facilius novum regem creandum et Tartaros e finibus Ungariae expellendos pollicetur.

---

13 aprilis. Die sabbati XIII mensis aprilis (1), Faventini quia victualia non habebant et amplius nullus sufferre poterat, de civitate egressi discalciati cum nudis ensibus in manu, reddiderunt se ipsos et civitatem imperatori, data fidancia potestati eorum et forensibus. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 185. — Mense aprili Faventia [fere] per annum obsessa et arctata ab imperatore venit ad mandatum ipsius, salvis personis et rebus hominum civitatis ejusdem, in qua postea imperator ipse fieri munitionem mandat. *Ricc. de Sancto Germ. Chronic.* ad annum.

[Aprili.] Fridericus, Romanorum imperator, cuidam fideli suo nuntiat deditionem civitatis Faventiae cui solita benignitate pepercit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars II, nº LIII.)

Fridericus, etc. Mirabilem obsidionis modum quo Favencie civitas munitissima, immo singularis in Romaniola, potentie nostre viribus extitit coartata, non solum ad tuam notitiam frequenti relatione commendantes credimus produxisse, sed ad remotos etiam vera exinde fama pervenit quia sic undique machine nostre quassaverant, sic quoque per subterraneos meatus et singula impugnationum genera ipsos usque ad muros et

(1) Rolandinus tamen, scriptor coaetaneus, et ipse Fridericus in suis epistolis ad diem dominicam, quartam decimam aprilis, Faventiae deditionem referunt.

Digitized by Google

ambitum civitatis nostra contrivit potentia nt ex parte qualibet continua nocumenta sentirent. Factum est igitur dnm consumeretur inedia inclusus populns, dum ipsorum conscientiam concepta degenerationis et nequicie memoria pungeret et morderet, post egressum moltorum ex eis, cum nulla omnino ipsis spes tuitionis assisteret, nisi ex desperatione quodammodo audaciam quantamlibet immo potius insaniam assumebant, qnia pro firmo compererant, immo videbant pre oculis apparatum militum et peditnm, insperatas acies qui catervatim cotidie nostrum felicem exercitum dilatabant, qunm ipsos aggredi parabamus de optentu securi ut pote verno nobis tempore arridente, ultimum non expectantes jndicium quod rebellione meruerant et offensis, supplices nostram misericordiam implorantes precise omnes ipsorum et singnli se piis vocibus nostris pedibus involverunt. Imperio nostro favit Faventia, et signa nostra victricia civitatem illuminant hactenus tenebrosam. Benignitate solita prostratis indulsimus et petentibus veniam misericordia nostra pepercit, ex quo nobis ad depopulationem, etc. (*sic*). Que tibi significamus ad gaudinm et singulis fidelibns nostris per te volnmus publicari, quod successus et honoris nostri sint conscii qui sunt honeris non expertes.

Fridericus, Romanorum imperator, Ezelino nuntiat deditionem civitatis Faventiae, cui pepercit post praestita sibi fidelitatis debitae juramenta et illicita quaelibet abjurata. [April.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. IIII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455.)

Fredericus, etc. Licet pro suis diffisa meritis, ex conscientia gravinm quas in nos commiserat offensarum, distulerat hactenus mandatis nostris favisse Faventia, et nostre etiam obsidionis viribus visa est aliqnandiu restitisse propter hyemis intemperiem, que snam diffidentiam confovebat; nunc autem verni temporis adveniente temperie, quo civitatis ejusdem

Digitized by Google

muris et machinis dirutis, et fossis nostris subterraneis intima penetrantibus civitatis, ut bellum tam interius quam exterius gereretur, et cives ipsos oporteret corpora pro muris exponere qui aggressorum nostrorum insultibus expetebantur, quo minus gladiis bellatorum et a victorioso exercitu nostro nullatenus confiderent se tueri; quapropter ad implorandam nostre mansuetudinis gratiam, veluti qui vicinum etiam incumbens exterminium formidabant, tota se universitas illa convertit : ut quibus expugnatio proxima mortis periculum minabatur, vitam nimia indulgentia nostra tribueret, et misericordia que superexaltata judicio poscebatur, manifestis eorum excessibus locum venie repararet. Ad clamores igitur et implorationes populi nostri, quem quidem nota rebellio, si factis equitas responderet, ad exauditionem indigne reciperet, invictum a victoriis omnium animum clementia nostra vicit, et cum victis misericorditer agere nos induxit. Die..... venientibus ad pedes nostre clementie Faventinis, et ad nostrum beneplacitum et mandatum in nostra misericordia civitatem subjicientibus et personas, fidelitatis debite prestitis juramentis et illicitis quibuslibet que fecerant abjuratis, eos ad dominium nostrum et gratiam benigne recepimus, omnibus eorum offensis nostram misericordiam preponentes, cum gloriosum vindicte genus pensemus ignoscere noxiis, dum potuerimus vindicasse, ac felicibus victorie nostre titulis ascribamus saluti restituere subditos et vivendi beneficio condemnatos; ut nil suavius vel justius atque benignius resumpto jugo imperii de cetero valeant experiri. Nec est enim amicum cedis, nec ad effusionem sanguinis nocentium subditorum sacrum aspirat imperium : sed ejus illustrat divina potentia solium, misericordia et veritas ambiunt, pax et justicia complectuntur, in ubertate mansuetudinis nostre et patulis amplexibus pietatis immense procedimus, conversionem fidelium acceptantes, et ad rebellium pertinaciam edomandam constanter et pertinaciter insistentes : ut qui potentie nostre manus sequi noluerint, et in pertinacia perdurarint, per murorum altitudinem et vallorum profunditatem ad instantiam nostram evadere non confidant, nec diffidant qui facile convertuntur, apud auguste sedis gloriam misericorditer gratiam invenire. Tu vero, quem intime zelus fidei nostre fecit laboris et oneris non expertem, qui pro nos-

trorum rebellium confusione et justicie ac recuperande pacis augmento nobiscum pondus diei et estus, in multis sumptibus et periculis persone comportas, conversionem Faventie ad universale gaudium intimamus, ut congaudeas victori, qui per indefessas vires et virtutis tue constantiam nobis victorie titulum vindicasti.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit Roffredo Beneventano quod reversa in dominio imperiali Beneventana civitate, sperat ipsum ad se quoque reversurum, hortaturque ut accedat securus de gratia. [Aprili.]

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. Coll.*, t. II, col. 1157, n° XXVI; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars II, n° 73.)

Fredericus, etc., Roffredo Beneventano, etc. In recuperatione tui qui velut ovis ex gregibus ad ferarum antra digrediens credebaris amissus, nostro noviter acquisita dominio nobis et sibi novissime civitas Beneventana (1) providit, dum te nostris obsequiis utilem reddidit et sibi depredatum (*a*) civem invenit. Ad cautelam igitur propriam et ovile dominicum hilaris et securus accedas, sic te in ubere gratioris obsequii de cetero fertilem prestiturus quod temporis amissi dispendia recompenses; nec in te quicquam omnimodo perdidisse queramur, nisi quatenus timere compellimur ne velut ex contractu redoleas mores et habitum sacerdotum.

(*a*) In cod. 455, *deperditum*.

---

(1) « Mense aprilis civitas Beneventana quae Romanae Ecclesiae suberat, arctata et necessitate compulsa imperatori se reddit; cujus moenia imperatoris jussu funditus evertuntur et turres civitatis ejusdem ad solarium. Arma hominum civitatis ipsius ad opus recipiuntur imperatoris. » *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. VII, p. 1046.

Digitized by Google

[Faventiae], aprili.

Fridericus, Romanorum imperator, Henrico Brabantiae, Matthaeo Lotharingiae, Henrico Limburgi ducibus et caeteris comitibus et baronibus ibidem nominatis promittit quod eos contra quemlibet injuriatorem juvabit, ipsisque tanquam sibi cavebit si cum Gregorio papa compositionem fieri contingat.

(Edit. ap. Butkens, *Trophées du Brabant*, preuv., p. 84, ex chartulario dicto *Registre des chartes de Brabant.* — Lunig, *Cod. Germ. Diplomat.*, tom. II, p. 1099. — Bertholet, *Hist. de Luxemb.*, t. IV, p. 69.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Hierusalem et Sicilie rex, universis presens scriptum visuris in perpetuum. Per presens scriptum notum esse volumus tam presentibus quam futuris quod nos attendentes devote fidei veritatem quam Henricus Brabantie, Matheus Lotharingie, Henricus de Limburch duces, Otto Gelrensis, Arnoldus de Los, Wilhelmus Juliacensis comites, Walramus de Limburch et Henricus de Heinsberg barones, tam principes quam fideles nostri, tanquam lumina corone mee (a) ad nos et imperium hactenus habuerunt et qualiter majestati nostre et Conrado filio nostro Dei gratia in Romanorum regem electo semper augusto et regni Hierusalem heredi incessanter adherere desiderant ad honorem nostrum, pro conservatione corone Romani nominis et auguste dignitatis, promittimus eis fideliter quod ipsos fovebimus pro jure suo; et si quis contra juris equitatem eos presumpserit vel amodo presumeret invadere, qui juri parere super hoc se opponeret coram nobis ipsis, aut per modum concordie amicabilis aut juris vel virium nostrarum brachio juvabimus pro jure suo, donec ipsis de invasione hujusmodi ad hono-

(a) Haec certissime verba *tanquam lumina corone mee*, non genuina, sed in chartulario ad majorem, ut mos erat, elegantiam interpolata fuisse libentius crediderim. Eadem de quibusdam aliis verbis dubietas exoritur, non ita tamen ut privilegium omnino spurium habeatur, quum de caetero rebus Alemannicis et temporum ordini se optime accommodet.

Digitized by Google

rem suum et imperii satisfiat. Promittimus etiam iisdem principibus et nobilibus imperii si cum Gregorio papa compositionem facere nos contingat, quod ad eamdem assumemus eos et eis pro conservatione sui nominis et honoris in eadem compositione cavebimus tanquam nobis. Insuper si occasione servitii nobis impensi aliquod gravamen incurrerint, ipsos ad posse nostrum inde eximemus, eosdem in hoc non deserentes casu aliquo emergente. Preterea ratione litterarum quas majestati nostre pro nostro et imperii servitio tradiderunt, Alpes transire, nisi fuerint voluntarii, ipsos compellere non debemus. Ad cujus rei testimonium perpetuo valiturum presentem paginam conscribi fecimus et sigillo nostre celsitudinis roborari.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis MCCXLI, mense aprili, indictione decima quarta, apud Leodium (1).

Fridericus, Romanorum imperator, Rainerio comiti de Cunio pro gratis ejus servitiis (2) comitatum Cuniensem et jurisdictionem confirmat, his locis additis scilicet Barbiano, Massa Zagonara, Basino, Casali, Granarolo, Mazapede, Rovere, Ancona, Vizolo Strambaccio, Seraglio et Gineclo. Faventiae, 1° maii.

(Memorat. ap. Tonduzzi, *Memor. di Faenza*, parte II, p. 281, et in *Chronic. Tolosani*, ap. Mittarelli, p. 321.)

Datum Faventie, anno dominice incarnationis MCCXLI, primo madii (3), indictione XIV.

---

(1) Sic in omnibus per amanuensis oscitantiam, qui locum forsitan ipsi incognitum *Faventiam* in nomen oculis suis magis familiare inepte traduxit. Nonnulla tamen adsunt ejusdem oscitantiae exempla, quae supra notavimus: scilicet *Findele* pro *Basilee*, *Morcuns* pro *Northusen*, etc.

(2) Vir ille a gente quae dicebatur Acurisia multum adjutus, partes imperatoris in expugnanda Faventia summopere foverat.

(3) Sic apud Tonduzzi; apud Tolosanum vero hoc imperiale privilegium ad diem quartum decimum maii, non primum, indicatur: ambo tamen erronee, ut putamus, dum verisimiliter dies mensis in genuina charta non fuerit expressus.

3 maii. Deinde cardinales cum clericis et praelatis et ambaxatoribus Januae, Mediolani, Placentiae, Brixiae, Bononiae, intrantes in galeas et ligna Januae... cum magno clangore tubarum, coeperunt navigare versus Romam. Qui cum in Tusciae marinis navigassent, in festo Sanctae Crucis, Ansaldus de Mari amiragius imperatoris cum magno apparatu galearum in insidiis existentes insultum fecerunt in ipsos, et statim galeis Januae in fugam conversis, XII galeas et XII sagitteas et alia ligna ceperunt cum hominibus qui intus erant. *Chronic. de reb. in Ital. gest.*, p. 185. — Cf. Ricc. de S. Germ., ap. Murator., *Script.*, t. VII, p. 1046. *Annal. Genuens.*, *Ibidem*, t. VI, p. 489. Ricc. Malesp., *Ibidem*, t. VIII, p. 962.

Faventiae, 7 maii. Fridericus, Romanorum imperator, Goffrido de Montefusculo mandat ut cum Tholomeus de Castellione justitiarius Vallis Gratis non fuerit assecutus mandatum de revocando feudo quod fuit Alexandri de Policoro in Genitocastro, ipse idem feudum ad manus curiae revocare studeat.

(*Regestum*, f. 103 verso; cf. supra, p. 929.)

Datum apud Faventiam, VII madii, XIIII indictionis.

Faventiae, 8 maii. Pandulphus de Fasanella, capitaneus generalis Tusciae, vigore mandati imperialis cujus tenor inseritur, inquisitionem fieri jubet super possessione passagii de Ficiclo.

(Edidit CAMICI, *Notiz. istor. supplem. de' vicar. imper. di Feder. II*, tom. XI, p. 46 et seqq.)

Pandulphus de Faxianella, imperialis in Tuscia capitaneus generalis, discreto et sapienti viro Uberto Gangi vicario Ficecchii dilecto suo salutem et amorem. Recepimus sacras imperiales litteras in hac forma :

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, Pandulpho de Faxianella capitaneo Tuscie dilecto suo gratiam suam et bonam voluntatem. Guadardus de Ficiclo, Tedaldus Napoleone et Leonardus consortes, fideles nostri, exhibita nobis petitione monstrarunt quod eos super passagio de Ficiclo quod tam ipsi quam predecessores eorum a tempore quo non extat memoria usque nunc pacifice possederunt, contra justitiam adgraves et molestes. Quocirca fidelitati tue mandamus quatenus si tibi constiterit dictos fideles nostros in pacifica et continua possessione passagii existere memorati, eos super ipso passagio indebite non adgraves vel molestes, sed permittas ipsos ejusdem passagii sicut hactenus pacifica possessione gaudere.

Data Faventie, VIII idus madii, XIV indictionis.

Ideoque vobis imperiali auctoritate mandamus quatenus super his diligentem inquisitionem facere debeatis juxta formam predicti mandati imperialis, et ipsam nobis per manum publicam et vestro sigillo interclusam per vestrum nuntium transmittatis.

Datum in castris in obsidione Fesnane, XVIII junii, XIV indictionis.

[Sequuntur depositiones testium justitiam petitionis demonstrantium, receptae et signatae a Diotisalvo imperiali Ficecchii notario.]

Archiepiscopi Arelatensis et Terraconensis caeterique praelati qui salvi Januam per fugam repetierunt, Gregorio papae nuntiant quomodo alii in praelio capti a Friderico detineantur, petuntque ut contra tyrannum saevius in Ecclesiam procedentem asperius quoque procedatur. Januae, 10 maii.

(Edit. ap. RAYNALD, *Annal. eccles.*, ad ann. 1241, § LVIII, e regest. Gregor., lib. XV, epist. 55.)

Sanctissimo patri et domino Gregorio Dei gratia sacrosancte Romane Ecclesie summo pontifici, J. Arelatensis et P. Terraconensis archiepiscopi, N. Astoricensis, L. Auriensis, M. Salamantinensis, P. Portugalensis, et E. Placentinus episcopi pedum oscula beatorum. Dolentes referimus et referendo nimium condolemus quod cum nos et venerabiles in Christo patres Rotomagensis, Burdegalensis, Auxitanus, Bisuntinus archiepiscopi, Carcassonensis, Agathensis, Neumasensis, Terdonensis, Astensis et Papiensis episcopi et nobilis Romeus procurator et nuntius illustris comitis Provincie ac quamplures alii prelati et procuratores nostrarum et aliarum diocesum ac provinciarum, cum venerabilibus patribus atque dominis Jacobo episcopo Prenestino, Othone cardinali et Gregorio de Romania apostolice sedis legatis, ad vestre sanctitatis presentiam in obedientia et devotione accedere juxta vestrarum continentiam litterarum, spretis sive postpositis quibuslibet difficultatibus, terroribus et periculis niteremur, die tertia mensis maii navigium Pisanorum et Siculorum et quorumdam aliorum de jurisdictione Friderici dicti imperatoris et de mandato ejusdem nobis se opposuit ex adverso; qui nos tam potenter et viriliter culpis nostris exigentibus expugnarunt quod nobis exceptis et Romeo prefato et domino Compostellano qui apud Portum Veneris Januensis diocesis impeditus nondum venerat Januam et quibusdam aliis prelatis, Bracharensi archiepiscopo videlicet et Aniciensi episcopo et paucis aliis de procuratoribus et familiis prelatorum, quos de iniquorum manibus Jesu Christi misericordia liberavit, quibusdam etiam gladio et submersione peremptis, secum ceteros deduxerunt, sicut fertur et credimus, vinculis mancipatos. Cum igitur mundus sit positus ultra quam excogitari valeat in maligno et universalis Ecclesia in tribulatione maxima videatur, nisi Dominus nostri debeat extento brachio misereri, attendat vestra sanctitas et deliberet qualiter sit in tante necessitatis articulo procedendum et nobis precipiat quod sibi placuerit, quia adversitate aliqua non obstante que cum bonis votis objicitur, dilectionis vestre probatio non reprobationis indicium esse debet, in omni constantia ac firmitate nos noverit permansuros. Et licet

Digitized by Google

propter multa et gravia que hactenus in Deum et Ecclesiam sanctam commiserat, contra ipsum tyrannum esset asperius procedendum, ex atrocitate tamen tanti facinoris audemus suggerere quod contra eumdem ratione previa juxta qualitatem criminis procedatur. Sub ipsius enim imperio nunquam Ecclesia pace vel tranquillitate gauderet, presertim cum principes universi exemplum et audaciam in hac parte reciperent ab eodem. De potestate autem et civibus Januensibus vestre sanctitati exponimus quod quantum audivimus et cognovimus, fideliores et ferventiores in facto Ecclesie se ostendent quam se ostenderint usque modo.

Datum Janue, X die maii.

Sequitur autem Guillelmi Surdi potestatis et communis Januensis ad papam epistola, de constantia fidei etiam majoribus indiciis demonstranda, *ibid.* § LX et seqq., e regest. epist. n° 56.

Abbates de Cistercio, de Claravalle et de Pietate Dei abbati Saviniaci nuntiant suam in castro Sancti Miniatis captivitatem, monentes ut donec ipsorum duraverit absentia, in ordinis integritate observanda curam adhibere velit. [15 maii circiter.]

(Edit. in *Chronica de Mailros*, ap. Gale, *Rer. Anglic. Scriptor.*, t. I, p. 205.)

Venerabili patri Saviniaci, de Cistercio, de Claravalle et de Pietate Dei abbates salutem. Noveritis quod nos de evadendo salubriter cogitantes, miserabiliter incidere cepimus inter manus galeotarum imperatoris, qui nos rebus omnibus absque misericordia spoliantes, nudos et discalceatos post multas tribulationes marinas quas per septimane circulum sustinuimus, ad civitatem Pisanorum cum viginti dena galea [quas] a Januensibus extorserunt, cum tripudio reduxerunt. Modo etiam nutu imperatorie majestatis, permanentibus sociis nostris apud Pisam monachis et conversis in carcere, qui omnes per Dei gratiam salvi facti sunt, preter notarium domini Cistercii qui nobis videntibus et succurrere non valentibus sub-

mersus est in mari, nos in castro Sancti Miniatis (a) quod dicitur camera imperatoris, carceris incommodo mancipamur. Nobiscum vero in eadem damnatione sunt dominus Prenestinus et dominus Gregorius legati qui sunt in vinculis, Burdegalensis et Auxitanensis archiepiscopi, Carcassonensis, Agathensis, Neumasensis, Terdonensis, Astensis (b), Papiensis episcopi, Cluniacensis et Fugiacensis abbates, prepositi et archipresbyteri, et alii magni viri de diversis terrarum partibus qui omnes vinculis tenentur ferreis : quod et nobis omnibus sine aliqua personarum acceptione fieri sine dubio in proximo certi sumus. Unde quoniam de evasione vel reversione nostra nihil vobis mandare certum possumus, magis de mora presumentes quam de ejus contrario, rogamus vos quatenus equitaturas, conversos et totam familiam nostram absque dilatione si poterit fieri cum securo conductu ad domos unde sunt faciatis reduci, statum nostrum nunciantes nostris de plano conventibus, ut tanto ferventiores existant circa ordinis observantiam quanto nos in majoris necessitatis articulo noverint constitutos. Vos vero pro nobis fieri speciales orationes procurare dignemini ut presentes angustias cum futuris omnibus incommodis in omni mansuetudine et patientia toleremus; speramus quidem quod tota presens adversitas nobis in prosperitatem commutabitur et quicquid patimur amaritudinis in dulcedinem convertetur. Vos igitur quos Dominus de tanta procellarum voragine sicut videtur eripuit, sollicitudinem geratis et diligentiam qualiter ordinis observetur integritas. Dominus legatus Anglie et archiepiscopus Rothomagensis qui primo remanserunt apud Pisam, nunc de novo ad alios prelatos sunt translati de precepto imperatoris. Bisuntinus archiepiscopus submersus est in mari. Abbas Fiscanensis qui erat in galea cum domino Bisuntino captus est vivus, et omnes prelati Hispanie evaserunt; ita quod dominus imperator non habet in carcere suo exceptis tribus legatis, nisi tres archiepiscopos et sex episcopos. De abbatibus vero et procuratoribus ad presens non loquimur.

(a) In Impresso *castro Sanctae Minacis*, male.

(b) Haec omnia locorum nomina foede corrupta nunc auxilio praecedentis epistolae restituimus.

Digitized by Google

Fridericus, Romanorum imperator, regi Angliae Walterum de Ocra cum responsis et plena potestate mittens, nuntiat insimul quod civitas Faventiae se tandem imperio reddidit et quod cum ipse versus Bononiam disponeret dirigere gressus suos, praelati omnes Romam de Janua ad concilium properantes navali certamine victi et intercepti sunt, captivatis tribus legatis ac duobus et viginti galeis. Faventiae, 10 maii.

(Edidit MATT. PARIS, *Hist. maj. Anglor.*, ad ann. 1241, p. 381, edit. 1644. Integra ibi legitur epistola, deficientibus notis chronologicis quae supplentur ex cod. Mus. Brit. Harl. n° 325. Edita quoque ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. I, cap. IX, sed non multo plus quam dimidia et his verbis incipiens: *Cum ad depopulationem vicine urbis Bononie*. Deest quoque, ut solet, notatio loci et temporis. Sub hac encyclicae forma eisdem tantum verbis incipiens, sed cum notis chronologicis legitur in *Hermann. Altah. Annal.*, ap. ŒFELE, t. I, p. 669, et in *Chronic. August.*, ap. STRUVE, t. I, p. 520, cum variantibus lectionibus quibusdam.)

Fredericus imperator, regi Anglie salutem et sincere dilectionis affectum. Hilari affectione recepimus litteras et nuntios vestros quos ad nostram presentiam transmisistis, et tam ea que littere continebant quam ea que iidem nuntii ex parte vestra oretenus coram nobis referebant audivimus et intelleximus diligenter. Et ecce ad singula que misistis prospere per eos, per magistrum Walterum de Ocra dilectum nostrum notarium ac fidelem plenarie respondemus, cui ea que vobis oretenus ex parte celsitudinis nostre dicet, indubitanter tanquam persone nostre credatis. Cui etiam plenam concessimus potestatem procedendi in negotio pro quo nuntii supradicti venerunt et complendi illud juxta formam sibi a celsitudine nostra datam. Ad hoc cum nostris congaudeatis successibus ut in nostrorum humilitatem rebellium fiat terror et ceteris cautela subjectis, jocunda insinuatione vobis describimus quod cum civitas Faventie, suis diffisa meritis et propria munitione confisa, beneficio temporis hiemalis ausa fuerit

Digitized by Google

nostre rebellionis (?) viribus prestare repagulum, veris tamen restituto tempore, hac eadem civitate machinarum nostrarum incursione quassata, muris irruentibus et fossoribus nostris penetrantibus per meatus subterraneos intima civitatis, ut manualiter inter cives et bellatores nostros bella concurrerent, et oporteret eos pro minis corpora cominus prestare gladiis exponenda, sumpserunt sanius pro eorum salute consilium quibus expugnatio vicinum excidium minabatur, et ad implorandam nostram misericordiam continuo clamore sepe conversi, die dominico decimo quarto die aprilis mandatis nostris et beneplacitis se precise manciparunt, subjicientes in nostram misericordiam civitatem, suas pariter et personas, prestitis fidelitatis debite juramentis et illicitis juramentis, si que fecerant, abjuratis. Ad quorum receptionem nostri comes imperii semper indivisa et justi arbitra moderaminis clementia nos induxit, que victoris animum vicit ut cum victis misericorditer ageremus : rati gloriosiorem esse victoriam misereri conversis quam in eorum casu ulcisci miserabili, pium genus vindicte pensantes ignoscere noxis dum potuimus ferius vindicasse. Remissa igitur gratis offensa licet non minima et reis imperialiter absolutis, civium et civitatis statu sub nostro et imperii jugo, quo nihil suavius aut dignius esse probabunt, pro rerum qualitate disposito, cum ad depopulationem vicine urbis Bononie nostrum verteremus propositum et affectum, prelatorum turbam cum Penestrino episcopo et magistro Othone sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali nostris adversaturam processibus, ex diversis provinciis congregatam, contigit suo infortunio Januam pervenisse. Ubi conveniente cum eis Gregorio de Romania, addito legato legatis ut insimul ligarentur, et conspiratione facta cum Januensibus rebellibus nostris, quidam de regno Francorum (1) navalem exercitum copiosum congregantes, piratas suos armari fecerunt cum quibus ad papam Romam pro majoris causa dissidii conjuraverunt advenire. Ad quorum impediendum transitum et accessum, nostram diu ante previsam classem convenire fecimus apud Pisas, victoriosum galearum stolium preponentes quas cum quibusdam nostris fidelibus, eorum precognita motione, in locis

(1) Alluditur Provincialibus qui cum Romeo Januam advenerant. Cf. supra, p. 1120.

et portubus que latenter vel in alto mari preterire non poterant, veluti obvia et necessario navigabilia transituris, ut eis transeuntibus potenter occurrerent, destinavimus. Et adgressis galeis nostris galeas eorum, prepotens Dominus qui de alto videt et judicat equitatem, viam eorum et excogitatam malitiam insatiabilemque cupiditatem meditatus, in viribus et potentia nostra quam effugere terra marique non poterant, Domino favente, legatos ligatos simul tradidit et prelatos; et tribus eorum galeis immersis in mari ac omnibus qui vehebantur in eis cum viris qui ad duo millia estimati sunt sine spe recuperationis amissis, viginti et due galee non sine magna cede navigantium cum personis et rebus, divina sic volente providentia, victe sunt a galeis nostris et triumphaliter captivate. In quibus predicti tres legati cum archiepiscopis et episcopis, abbatibus et multis aliis prelatis, nunciis quoque prelatorum et procuratoribus qui ultra centum estimantur, cum ambasiatoribus civitatum rebellium Lombardie, qui ad prefixum concilium ire properabant, ac quatuor milibus Jannensium, exceptis specialibus electis personis de Janna qui galeis preerant et comitatui prelatorum pro ducendis eisdem Romam et Jannam reducendis, sicut inter eos fuerat infortunate conventum, ad manus nostras pervenere ligati. Et de Penestrino illo qui summum contra nos ubilibet odium incitabat, divinum non defuisse judicium arbitramur, ut sub latentis lupi specie in ovina pelle ac agni clamyde Deum inclusum gerere non confidat et sciat quia Deus nobiscum est, sedens super thronum et dijudicans equitatem, qui non solum per sacerdotium, sed per regnum et sacerdotium mundi machinam statuit gubernandam. Nos ergo, sunm celitus nobis Domino reserante consilium et in plana tot aspera convertente, sudores bellicos et estivos pulveres non vitantes, nostrum felix iter et intentionem omnimodam et conatus ad ea semper dirigimus que nobis et ceteris regnantibus exaltationis et glorie afferant incrementum, ut vos predictorum nostrorum successuum participes fieri gaudeamus, quos in omni successure felicitatis eventu ex unanimitate qua unimur cupimus habere consortes.

Datum Faventie, XVIII maii, XIV indictione.

Digitized by Google

[Maio exeunte.] Fridericus, Romanorum imperator, scribit comitibus, principibus, et aliis nobilibus, super deditione Faventiae et captione legatorum et praelatorum vocatorum ad concilium; significat insuper se mutato consilio versus Romam iter direxisse, et victoriam per Papienses de Mediolanensibus habitam nuntiat.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. I, cap. VIII, et in *Excerpt. Alb. Bohemi*, ap. HÖFLER, p. 55; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455.)

Fridericus, etc. Adaucta nobis continue felicitatis auspicia, quibus dextera Domini prosequitur gressus nostros, desiderium tuum voluimus non latere. Cum enim in obsidione Faventie, preterita hyeme fixa fuerint victricia nostra castra, et insultibus propter asperitatem temporis non pateret, sed machinis et instrumentis bellicis intus et exterius quassaretur, et muris ex continuo machinarum jactu collapsis ac per subterraneas vias, quas nostri fecerant, attingentes menia civitatis et intima penetrantes, verni temporis adveniente temperie, cives non confiderent ulterius se tueri, misericordiam nostram tandem humiliter implorarunt; et quarto decimo die precedentis mensis aprilis, cum omni devotione se ad mandata nostra convertentes, quanquam diffisi meritis, de nostra tamen que suis preponderabat excessibus pietate confisi, ditioni nostre colla subjecerunt, corporali fidelitatis prestito juramento, aliisque omnibus illicitis juramentis, que prius fecerant, abjuratis. Nos igitur, qui de nostrorum subjectorum conversione gaudemus, gloriosum vindicte genus pensantes ignoscere subditis, et suorum excessuum judicium moderari, civitatem eamdem et cives ejus in gratiam nostram clementer accepimus, et reos absolvimus, ac offensas remisimus, quas patrarant, captivis eorum liberaliter liberatis : et tandem eis de nostra gratia confidentiam dedimus, ut victi nostram misericordiam consecuti, victorie quoque nostre denuo congaudeant, et nil dulcius nilque suavius jugo imperii sentiant experiri.

Digitized by Google

Cumque post victam et obtentam Faventiam, ad depopulationem vicine Bononie nostrum properaremus propositum instantius et cum exercitu nostro potenti, ex diversis mundi partibus restaurato, accingeremur feliciter, auribus nostris nova expectata desiderabiliter occurrerunt : quod cum Penestrinus episcopus nostri honoris et nominis obtrectator, qui rapacem lupum sub ovina pelle tegens, quod posset effugere manus nostras, patratarum velut suarum in nos conscius offensarum, frequenter species hominum ex alterna rerum et commerciorum varietate contraxit, Otho sancti Nicolai in carcere Tulliano diaconus cardinalis, qui diu legatus fuerat in partibus transalpinis, et contra honorem nostrum multipliciter machinatus, prelatorum turba, quam divinare nemo poterat, pro concilio contra nos Rome celebrando ex diversis mundi provinciis congregata, Januam venientes, conspiratione facta cum Januensibus nostris rebellibus, et armata ibidem copia galearum cum quibus duci Romam et reduci Januam convenerant, sub infaustis eorum auspiciis viam navigationis assumerent; galeas autem nostras et Pisanorum, quas ad eorum impediendum transitum solicitudo nostra diu ante providerat et pararat in locis et portubus, per que oportebat eos necessario pertransire, obvias habuere : ita quod homines regni nostri, cum victorioso exercitu nostro et cum fidelibus nostris Pisanis, nostrorum infidelium Januensium galeas potenter adgressi, tribus eorum galeis in mari submersis, et personis amissis, viginti duas galeas triumphaliter habuerunt : quarum sedecim specialiter obtente sunt ab hominibus regni nostri, reliquis sex ad manus devenientibus Pisanorum; in quibus capti sunt duo predicti legati, et cum eis G. de Romania, tertius insimul legatus, qui Januam pro eorum passagio disponendo precesserat, ut in eodem casu cum iisdem legatis firmiter ligaretur. Capti quoque sunt quamplures archiepiscopi, episcopi, abbates, priores, presbyteri, procuratores et diversorum nuncii prelatorum, ambasiatores civitatum rebellium Lombardorum, qui contra nos ad ipsum concilium mittebantur, et quatuor millia Januensium electorum, qui pro comitatu eorum et ducatu fuerant deputati prelatorum : quos omnes carcer noster includit. Quibus novis ad nostram audientiam grata relatione perlatis, quia negocii qualitas expetebat, et rei succedentis eventus majora felici-

Digitized by Google

tatis auspicia promittebat, consilium eundi Bononiam revocantes, propensiori consilio versus Romam victricia castra nostra convertimus: ubi snb vexillis potentie nostre nos acclamat fortnna felicior, per qnam reliquie, si que sunt nostrorum rebellinm, consternantnr, et capitis humiliata superbia collapsa in suo corpore seditionis membra tabescant. Adjecit etiam manus Domini votis nostris augmenta sncccssunm, et continuavit de celo victoriam nostrorum titulis triumphorum. Nam cum certa die (1) illi Papienses fideles nostri, nna cum vicariis illarum partium et aliis fidelibus nostris, ad coartandam per terram Jannam, qne in mari prostrata fuerat, magnifice processissent, Mediolanenses hostes imperii, sno motu precipites, sperantes majora inferre Papiensibus propter absentiam suorum militnm nocnmenta, per commune cnm G. de Montelongo, quem papa prefecit eis capitaneum et legatnm, cum bucis, buccinis et tubis sub infanstis eorum vexillis et clavium exierunt; et cum Papiensinm finibus vicinassent, Papienses fideles nostri cum militibus eorum, qni die illo in sero ab exercitu ex inopinato redierant, Domino faciente, pro Mediolanensium superbia conterenda, ipsorum adventu cognito, cum eis audacter et viriliter concnrrerunt: et sub felici nostro nomine militantes, ipsos potenter adgressi, trinmphaliter devicerunt, capientes tubas, buccinas et vexilla clavium ac vexillum communis, cum carocium non haberent. Trecentos quoque et quinquaginta milites de electis Mediolanensium victos Papiensis cathena deduxit, preter occisos qnorum vix poterat numerus estimari. Socii vero legati capti fuerunt, sed de legato ipso, si evadere potuit vel in bello cecidit, quia in missione presentium non poterat haberi certitudo, quid de persona sua cesserit, ignoramus. Sed istud inter dubia nondum certi credere volumus, in eo qui nostrum in suo jure firmat imperium confidentes, quod tribus in fugitivo eqnore captis legatis, pariter et ligatis, justus Dominns quartnm in terra legatum non permiserit evasisse. Que omnia tibi significamus ad gaudium, ut sicut es nostrorum successuum avidus, particeps sis triumphi.

---

(1) Haec pugna undecimo die maii in partibus Pontislongi et Campimortui Papienses inter et Mediolanenses tradita fuit.

Digitized by Google

Dietelmus de Krenkingen et filii ejus in manus Friderici, Romanorum imperatoris, pro mille et ducentis argenti marcis advocatiam Rhinaugiensem cum civitate et munitionibus ipsius vendunt et tradunt. Faventiae, maio.

(Edid. Mart., Gerbert, *Cod. epist. Rudolfi I*, auctar. diplom., append., n° II, p. 220, ex archiv. monast. Rhenaugiensis.)

Anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense maii, quartedecime indictionis. Nos Dietelmus de Krenkingen, Wernherns et Dietelmus filii ejus presenti scripto fatemur quod grata et spontanea voluntate vendidimus, tradidimus et rennnciamus in manus domini Friderici Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis, et heredibus suis advocatiam Rinogiensem cum eadem civitate, munitionibus, villis et omnibus pertinentiis suis pro marcis argenti mille et ducentis, de quibus recepimus ab eo marcas centum, et residuas promisit nobis dictns dominns imperator persolvi facere terminis infra scriptis : videlicet medietatem in prima precaria et reliquam medietatem in secunda precaria quas in Alamannia continget imponi. Et obligavimus nos et heredes nostros contra predictam venditionem, traditionem et renuntiationem ullo tempore non venire. Quod si nos vel heredes nostros aliqua arte vel ingenio contravenire contingeret, teneamur eidem domino imperatori et heredibns suis solvere duo millia marcas argenti, predictis venditione, traditione et rennnciatione nihilominns in sua manentibus firmitate. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri fecimns et sigillo mei predicti Dietelmi patris, dictornm Wernheri et Dietelmi munivimus. Hujus rei testes sunt venerabilis abbas Rhinogiensis, Rndolfus comes de Habechesburg (1), Heinricus Aqnensis prepositus, Waltherus de Sackhges-

(1) Senior is Rudolfus an ejus nepos, postea Romanorum rex, fuerit, incertum est, licet potius ad nepotem locus referendus videatur. Cf. Gerbert, *Fast. Rudolph.*, *Ibid.* cap. II, p. XVIII.

Digitized by Google

wirst, Cuno de Stophele, Wiricus de Duno (1), Gohfridus de Fleckenstein, Helias de Bopardia, Henricus de Grewil, Heinricus de Scarpfenburc, Otto de Sconenburc, Joannes de Wachenshein, et alii quamplures.

Actum Faventie, anno, mense et indictione prescriptis.

[Maio vel junio.] Fridericus, Romanorum imperator, capitulo ecclesiae Pataviensis mandat ut Albertum Bohemum eorum confratrem, pro eo quod in episcopos Bavariae insurrexerit, excludant.

(Edit. ex *Aventin. excerpt. actor. Alb. Bohemi*, ap. Œfele, *Scriptor.*, t. I, p. 795, et ap. Höfler, in *Bibl. des liter. ver. von Stuttgart*, t. XVI, p. 30.)

IX kalendas augusti M. CC. XLI. Pataviense capitulum decano (a) W. de Steunaugen spiritum consilii sanioris. Mittunt litteras imperatoris.

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex, preposito, decano, capitulo Pataviensi. Ait se audisse Albertum Bojemum quondam confratrem et concanonicum eorum, in archiepiscopum Salzburgensem, Pataviensem, Frisingensem episcopos insurrexisse. Mandat excludant.

Ipsum igitur excludunt; monent et rogant ne ille sequatur eum et recipiat.

[Maio vel junio.] Fridericus, Romanorum imperator, clero et civibus Wormatiae mandat ut contra quemdam archidiaconum proditorem suum, verisimiliter Albertum Bohemum, quintam partem ecclesiasticorum proventuum extorquere nitentem, viriliter insurgant.

(a) In impressis *decanus*, male.

(1) Scilicet *de Daun*. Vid. *Iselin Lexic.*, ad verb.

Digitized by Google

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindob., *Philol.* 305, fol. 156 recto, ubi mendas evidentiores correximus.)

I.

Fredericus, etc., prelatis et clero, etc. Ad notitiam serenitatis nostre noveritis pridem (*a*) pervenisse qualiter archidiaconus Pataviensis? (*b*) proditor noster anctoritate cujusdam indulgentie quam a sede apostolica dicit impetrasse, nititur a vobis quintam partem omnium ecclesiasticorum proventuum extorquere ut subsidio extorte a vobis pecunie nos ac fideles nostros facilius (*c*) valeat impugnare. Cum igitur, suscitante in nobis Domino spiritum Helye qui tanquam divine legis emulator, sacerdotes Baal qui lucris illicitis inhiantes perniciosis exemplis prevaricari populum Domini docuerant, in impetu spiritus (?) trucidavit, sustinere nullatenus non possimus ut ecclesie Germanice libertas que hactenus inconcussa extitit, per sacerdotes sacrilegos inconsuetis angariis et exactionibus illicitis felici nostro tempore conculcetur et intollerabili jugo servitutis tributarie opprimatur, devotioni vestre sub pena omnium reddituum vestrorum districtius inhibemus quatinus predicto archidiacono de predicta quinta parte nec respondere nec intendere aliquatenus debeatis. Nos enim causam vestram ut propriam assumentes, sic libertatem vestram defendere curabimus et tueri quod [non] possitis occasione mandati recepti quicquam dispendii sustinere; vobis firmiter promittentes quod si constanter in proposito persistiteritis contra archidiaconum prenotatum, vos extra nostra presidia vel extra tractatum pacis quem cum Ecclesia fecerimus, nullatenus relinquemus eisdem (*sic*).

II.

Fredericus, etc. Fidei vestre zelum et devotionis constantiam quam ad nos et imperium indesinenter geritis et habetis, tanto dignius per expe-

(*a*) In codice *eisdem*, male.

(*b*) In codice *Mag.*, quasi legendum sit *Maguntinus;* potius tamen in hac epistola et in sequenti de Alberto Bohemo agi credimus.

(*c*) In codice *fidelius*, male.

rientiam approbavimus, quanto vos presenti turbacione que multorum fidem probavit et animos, comperimus (a) nostri honoris et nominis avidos zelatores, ut nichil eorum vobis defuerit in opere que ad excellentiam nostram nostrorumque conculcationem rebellium poterant provenire. Super quo virtutem vestram dignis commendationum laudibus persequentes, devotionem vestram hortamur quatinus, cum *talis* proditor noster nitatur quintam partem ecclesiasticorum proventuum a prelatis et clericis civitatum et diocesis Wormatie auctoritate cujusdam indulgentie, sicut dicitur, extorquere, cujus pecunie subsidio (b) nos et fideles nostros liberius valeat impugnare, in defensione ecclesie vestre viriliter exsurgentes sic conatibus et violentiis ejusdem studeatis potenter resistere quod de spoliis ecclesiarum Wormatiensium suum nequeat propositum obtinere.

[Maio vel junio.]

Fridericus, Romanorum imperator, recipit in suam gratiam specialem et protectionem Salzburgensem, Ratisponensem et Pataviensem ecclesias, et inhibet ne eorum ministeriales sine praedictorum episcoporum licentia ad aliorum servitia se convertant.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Vindob., *Philol.* 61, fol. 47 recto.)

[Fridericus, etc.] Quanto nos Dominus exaltavit sublimius, tanto benignius inspiravit in nobis spiritum voluntatis illius que ad zelum fidei christiane nos provocat, ad justitie rectitudinem dirigendam sollicitat et ad sacrosanctas ecclesias et ecclesiasticas personas in quibus et per quas pro nostre salutis augmento Deus ipse placabiliter exoratur, favorabiliter promovendas, invitat et afficit mentem nostram. Sane inter ceteros Romani imperii fideles principes et nostri precipuos principatus amicos quibus nostre divinitus nobis date potentie fulciuntur, venerabiles et karissimos

(a) In codice *condictionis*, male.
(b) In codice *obsidio*, male.

principes nostros Salzburgensem archiepiscopum, Ratisponensem et Pataviensem episcopos recognoscimus, ipsosque et eorum ecclesias, homines, subditos et fautores, habitos vel habendos, sub Romani imperii et nostra protectione suscipimus, districte et firmiter inhibentes ne quisqnam hominum cujuscumque conditionis aut status existat, ipsos in se et suis possessionibus, hominibus suis, fautoribus vel amicis, ausu temerario molestare presumat, aut ipsorum jura, libertates, munificentias sive gratias, illas maxime quibus predecessores nostri Romani imperii divi principes antecessores eorum et ipsorum ecclesias largitate regia ditaverunt, quasque tenore presentium confirmatione debita innovamus, violare contendat. Ad hec ministerialibus et eorum hominibus propriis sub imperii et nostre gratie specialis obtentu precipimus et mandamus quatinus ipsis tanquam eorum veris dominis reverenter obediant et potenter assistant, nec ad aliorum nisi imperatoris vel regis Romani servitia sine speciali dominorum suorum licentia se conjungere vel transferre se presumant, ne ecclesie hominum suorum obseqniis careant et prelati predicti debito fraudentur honore. Preterea universa et singula jura quocumque vocabulo censeantur que prelatis predictis et eorum ecclesiis in terris Austrie, Styrie, Karinthie et Bawarie competunt in hominibus, possessionibus, jurisdictionibus, castris, bonis, feodis seu rebus aliis quibuscumque, ipsis et eorum ecclesiis recognoscimus integre et in totum, et presentibus pollicemur quod ad eorum potestatem et imperium seu dominium quanto citius poterimus reducemus, non obstante si ab aliquibus potentibus vi vel metu seu alias a predictis prelatis de predictis bonis seu possessionibus aliquid improbe est extortum (1); que viribus vacua esse volumus et nullius habere roboris firmitatem. Et ut animi nostri motum quo eosdem amplectimur principes, res loqnatur et operis evidens manifestet effectus, sententias et processus quos iidem nostri principes adversus eos qui premissa vel aliqua premis-

(1) Alluditur, ut arbitramur, ad bellicos motus quos comites de Wasserburg et de Schaumburg in terris episcoporum Bavariae suasione Alberti Bohemi suscitabant. Unde privilegium cujus notas chronologicas frustra disquisivimus, ad hoc tempus non inepte se accommodare censemus.

sorum violaverint, rite protulerint, ratas habemus et gratas, ipsasque nobis Deo propicio cum ad hoc fuerimus requisiti penali judicio efficaciter persequemur.

[Maio vel junio.] Fridericus, Romanorum imperator, cuidam principi suo, monens eum quod sit firmus in fide, procurando disturbare suspecta colloquia principum.

(Inedit. ex codicib. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars III, n° 71, et *anc. fonds latin*, 4042, fol. 126 recto–verso. Adest quoque in cod. Bibl. Mediomont. Phillipps., n° 8390, cum hac rubrica: *Fridericus duci Saxonie quod procuret honorem suum, etc.* Epistolam vero potius ad ducem Bavariae scriptam fuisse credimus vel ad lantgravium Thuringiae, comitem Palatinum Saxoniae, qui tunc procuratoris officio in Alemannia fungebatur.)

Fridericus, etc. Cum inter ceteros principes nostros tanto nobis firmius nature vinculum te astringat quanto nobis particeps sanguinis conjunctiori et individua nobis coherere teneris amoris precipui unitate, illam de sinceritate tue fidei obtinemus confidentiam quod honor noster ad potiora semper tuo studio provehatur et exaltatio nostra que tanquam nostri participatione sanguinis specialiter te contingit, per te sollicite et efficaciter procuretur. Industriam igitur tuam monemus quatenus prudenter advertens quid fame tue ex eo adjicias, quid honoris, quid incrementi, si nostre fidei cultor assiduus principes alios exemplo tuo ad continua devotionis opera excites et accendas, causam nostram et imperii que principum est communis, tibi velis assumere apud ipsos efficaciter promovendam, ipsos ad assistendum nobis in arduo negotio imperii quod sub spe eorum strenue sumus aggressi, diligentius exhortando. Preterea nobis suspecta principum colloquia studeas impedire, et ea que in Alamania contra nos infidelium studio cognovimus attemptari totis procures viribus disturbare; sic fame tue in honoris nostri procurando augmento sollicite provisurus ut te dignis extollere laudibus et multiplicibus gratiarum actionibus debeamus.

Digitized by Google

Ceterum ut omnis a corde tuo penitus suspicionis scrupulus auferatur, omnem tibi securitatem quam pro salute persone, honoris ac terrarum tuarum salva honestate nostra expedire videris, faciemus.

Martinus abbas monasterii Sancti Michaelis de Burgo dat Vitali, archiepiscopo Pisano, libras decem denariorum Pisanorum ex mandato dominorum cardinalium, pro expensis quas nuper idem archiepiscopus in eisdem legatis fecit. Pisis, 10 junii.

(Edider. Mittarelli et Costadoni, *Annal. Camaldul.*, tom. IV, append., p. 564, n° 354, ex chartul. S. Mich. Pisarum.)

In nomine Patris et Filii et Spiritus sancti, amen. Ex hoc publico instrumento sit manifestum quod domnus Martinus, Dei gratia venerabilis abbas monasterii sancti Michaelis de Burgo pro ipso monasterio coram me Jacobo notario Rosciada et testibus infrascriptis representavit et dedit domino Ricovero camerario domini Vitalis Dei gratia Pisani archiepiscopi pro ipso domino archiepiscopo libras decem denariorum Pisanorum minutorum de imposita sibi facta ex mandato domini Jacobi Pilestrini (*a*) episcopi et domini Ottonis tituli sancti Nicholai in carcere Tulliano diaconi cardinalis, apostolice sedis legatorum, prout constare dicebat de mandato per manum Ildebrandini notarii Forrestani de sancto Miniato, occasione procurationum et expensarum factarum per dominum archiepiscopum supradictum in supradictis legatis aliisque prelatis nuper infortunio miserabili captis; de quibus se bene quietum et pagatum vocavit ab eo pro dicto monasterio, et ipsum monasterium et bona ipsius monasterii et ejus successores liberos et absolutos vocavit.

Actum Pisis in ballatorio archiepiscopatus Pisani, presentibus Henrigo quondam Gritti et Jacobo sindico domini archiepiscopi et aliis testibus ad

(*a*) Sic pro *Penestrini*.

Digitized by Google

hec rogatis, dominice incarnationis anno M. CC. XLII (1), indictione XIV, IV idus junii.

Ego Jacobus Rosiada quondam Rainerii, domini Frederigi, Dei gratia invictissimi Romanorum imperatoris et regis Sicilie judex ordinarius atque notarius, suprascriptis interfui et hanc inde cartam rogatus scripsi et firmavi.

Laterani, 11 junii.

Gregorius papa cardinalibus, archiepiscopis, episcopis, caeterisque praelatis in carcere imperatoris detentis litteras in modum consolationis mittit, conquerendo quod Gregorius de Romania galearum sufficientem numerum non paraverit, optatque ut circa tranquillitatem Ecclesiae et pacem orbis, sicut ipsi per suas litteras suaserunt, providere possit.

(Edidit Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1241, § LXVIII, e regest. Gregor., lib. XV, epist. 85.)

Gregorius, etc., episcopo Penestrino, Othoni sancti Nicolai in carcere Tulliano diacono cardinali, Auxitano, Burdegalensi et Rothomagensi archiepiscopis, Neumasensi, Carcassonensi, Agatheusi, Papiensi, Astensi, et Terdonensi episcopis, Cluniacensi, Cisterciensi, Clarevallensi, de Pietate Dei et Fiscanensi abbatibus, Gregorio de Romania subdiacono et capellano nostro, decanis, prepositis, ceterisque vinctis in Domino. Vix diebus istis de vobis aliqua potuisset contigisse prosperitas que si fuisset grata singulis vel acceptabilis universis, quin plures varia de ipsa dicerent et diversa sentirent. Consequens est igitur ut de adversitate lugubri que permissione divina vobis nuper accidisse dignoscitur, multiformis opinionis et tractatus materia juxta varietates affectuum apud aliquos habeatur, super quo nec admiratio vobis incumbere nec vestra debet turbari sinceritas aut

(1) Ita secundum computationem Pisanam, dum ante vulgarem nostrum Incarnationis annum, ut jam saepe monuimus, novem mensibus septemque diebus Pisani praecursitarent.

Digitized by Google

moveri constantia; cum licet ut scitis sic disposita sit humani natura generis quod cunctis sermo tribuitur et paucis animi sapientia indulgetur, sit nobis et intelligentium menti perspicuum quod vos Dei et apostolice sedis honorem ac salutem universalis Ecclesie necnon obedientie meritum sub qua omnium consistit summa virtutum, habendo pre oculis, de veniendo propere cum adjuncta vobis multitudine devotorum ad sinum matris Ecclesie omni diligentia desudastis, quanquam id fuisse postpositum digne possit et debeat deplorari quod G. de Romania informatus per litteras nostras de partis adverse potentia, tot cum potuerit juxta mandatum nostrum galeas non habuit quod hostium elisis insultibus transitus vester Christo previo ab omni discrimine fieret expeditus. Cum itaque, fratres venerabiles, vestrarum lucerna virtutum non sub modio lateat, sed super candelabrum coram omnibus relucescat, vos in contemptum vanitatem et falsas insanias obloquentium deducentes, ac respirantes in illo qui corde mitis et humilis circa suos afflictioni deditos affectum gerit continue pietatis, de nobis et fratribus nostris illam credulitatem geratis assidue quod etsi a vobis situ loci differamus et vinculis, sic tamen reddimur pene participes quod in suspiria sepe diffundimur et lacrymis multotiens madidamur; licet in eo nobis sicut et vobis consolatio multa proveniat quod de ineffabili clementia redemptoris fiduciam gerimus ut qui suo sanguine plantavit Ecclesiam et eam in altum per electorum suorum tribulationem sustulit, super ipsam benignitatis sue faciem per mundi latitudinem illustrabit, nobis interim et eisdem fratribus vos sicut compassionis affectibus sic et orationum subsidiis prosequentibus, ut pater misericordiarum et Deus totius consolationis vobis pro suo nomine patientibus captivitatis opprobrium, gloriose Virginis et beatorum apostolorum meritis se in miserationis affluentia tribuat gratiosum, detque nobis ut circa tranquillitatem Ecclesie et orbis pacem, juxta quod pie ac laudabiliter per vestras litteras suasistis, ita providere possimus ut post tristitie turbinem serenum letitie subsequi valeat et catholica fides que, prout ex literis et relatu fide dignorum accepimus, per incursum gentis horride ultra quam credi posset impetitur, ad majestatis superne gloriam et salutem fidelium inviolabiliter conservetur. Ceterum cum vos nobis in Christo charissimos geramus as-

Digitized by Google

sidne in visceribus charitatis ac vix diem preterire possimus quin statum vestrum nobis cum fletibus imaginaria visio representet, in vobis super eo admiratio locum non habeat quod nec scripta vel nuntium sinceritati vestre direximus, nec dolor vester fuit in aliquo provisionis nostre remedio mitigatus, presertim cum, sicut novit scrutator omnium, id non pretextu occupationis vel negligentie postpositum fuerit, sed ex eo potissime quia probabilis nobis timor inerat quod super hujusmodi visitationis debito nostrum desiderium sortiri nequiret effectum.

Datum Laterani, XVIII kalendas julii, anno XV.

Extant ibid. § LXXI aliae Gregorii litterae eisdem captivis directae sub forma consolationis potius quam efficacis subsidii, cum nullam pacis ineundae spem exhibeant.

Datum Laterani, II kalendas augusti, anno XV.

Laterani, 19 junii. Gregorius papa duci Karinthiae de pace cum Friderico reformanda rescribit quod si ille ad ea quae honorem Dei et Apostolicae Sedis respiciunt se paratum offerat, huic sinum Ecclesiae libenter aperiet.

(Inedit. ex *regest. Gregor. IX*, ann. XV, n° 91, in coll. Laporte du Theil, ap. Bibl. Cesar. Paris.)

Gregorius, etc., nobili viro duci Karinthie, etc. Nobilitatem tuam dignis laudibus in Domino commendamus quod nos ad reformandam pacem cum Friderico dicto imperatore tuis inducere litteris studuisti. Propter quod scire te volumus quod, cum dictus Fridericus se dignum Ecclesie pace reddiderit et ad ea que honorem Dei et apostolice sedis necnon bonum statum populi christiani respiciunt, offeret se paratum, ei ad sinum matris Ecclesie humiliter redeunti libenter aperiemus gremium apostolice pietatis.

Datum Laterani, XIII kalendas julii (*a*), anno XV.

(*a*) In codice *junii*, male.

Digitized by Google

Imperator discedens a Faventia venit Fanum, quam circumposita obsidione cum flectere ad sua vota non posset, in exterioribus vastat. Et discedens inde vadit Spoletum quod recipit ad mandatum suum. Assisii civitatem sibi renitentem similiter vastat exterius. *Ricc. de Sancto Germ. Chronic.*, ad ann. **1241**. Junio.

Fridericus, Romanorum imperator, scribit senatui Romano se receptis nuntiis de Tartarorum adventu proximo versus Urbem dirigere gressus suos, cum Papa compositurum si fieri possit, ne praeterito edoctus aliquid periculi post terga sua relinquat, et ut ita contra Tartaros securius arma vertat. Hortatur simul ut secum ad defensionem fidei christianae Roma assurgat et significat regem Ungariae sibi regnum idem subjecisse. In castris ante Spoletum, 20 junii.

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. I, cap. XXX, sed mendose et ordine turbato. Ibi vero correctius, ordinatius et integrius ex cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455, pars I.)

Fridericus, etc. Perfecte sollicitudinis zelus quo sicut pater imperii statum ejusdem diligere cogimur et tueri, propensius nos inducit non tam manifesta pericula quam suspecta vereri nec provisionem differre cautele quousque certitudinem rei per oculate fidei testimonium adsequamur. Sed quanto majora timentur esse dispendia, tanto promptior et perfectior debet esse cautela. Infestam igitur nobis et infaustam omnibus famam de tartarica tempestate finibus imperii jam vicina, per nos quos ex vicinitate loci primos invenit, ad vos certius et ordinatius deducendam id circa vobis describimus, ne super tanto discrimine taciti videamur. Audi-

Digitized by Google

veramus enim ista jamdudum, sed quanquam audita decredere vereremur, nec credere delectaret, ipsa tamen longe modernis remota temporibus putabamus, tum propter itineris remoti distantiam, tum propter quamplurium fortium principum et populorum occursum qui venientium Tartarorum armis et furiis primitus occurrebant. Sed ecce deletis in totum terre principibus quos obices invenerunt et ad juga perpetue servitutis paucissimis admodum ex inferioribus reservatis, jam versus Romani fines imperii propinquare dicuntur, et ad religionis et fidei nostre matrem sacrosanctam Romanam Ecclesiam prophanandam et urbem regiam imperii nostri caput jure dominii vel injuria potius possidendam a Tartaris prout firmiter creditur aspiratur. Verum quantumlibet haberemus ut diximus de resistencia remota fiduciam nec preoccupari tam subito crederemus, sic tamen in totum sollicitudo nostra non exuit providentie future consilium quin multis retro temporibus diligentissime licet taciti pensaremus qualiter nos contra tam valide tempestatis occursum, si diebus nostris infausti casus hujusmodi ira contingeret, pararemus. Propter hoc etenim in totum fere vite nostre deliciis abdicatis quas regni nostri Sicilie nobis amenitas offerebat, per aspera maris et montium Germaniam repetentes, post domitam et oppressam H. primogeniti nostri filii dementiam qui contra nos sibi sedem assumpserat aquilonis, ad consolidandas nobis ibidem et congregandas in unum imperii nostri vires, circa fertilis Italie partes per renovationem rebellionis antique Mediolani et fautorum suorum iniquitatem dissutas, aciem mentis nostre direximus et vires nostras eduximus et nostrorum, ut pacatis undique dominii nostri partibus et rebellibus omnibus ad mandata nostra subactis, tanto velocius tantoque securius ad exterminium tempestatis tartarice (a) imperialis dextera consurgeret quanto potentius et quietius imperaret. Propter hoc etiam patrem et fidei nostre caput. . . . . Romanorum pontificem multis obsequiis multisque blanditiis nobis efficere nitebamur unanimem, nichil ad hoc in testimonio Dei et hominum penitus omittentes; sed, quod dolentes referimus et reminiscimur lacrymosi, venenosi serpentis antiqui perfidia in tantum cautele

(a) In codice, *ad confusionem omnium hostium.*

nostre prevaluit quod in totius fere mundi perniciem contra nos subjectorum nostrorum fidem in perfidiam transtulit et nobis materne dulcedinis proh dolor! ubera novercarit; sicque nos quantumvis invitos oportuit futuris periculis Tartarorum preferre presentia et manifesta dispendia presumptivis. Audito verumtamen per venerabilem episcopum Waczniensem (1), legatum ad nos regis Ungarie, tam vicine Tartarice nuntio tempestatis, quod aquarum et nemorum inviis jugis et montium, quarumlibet occurrentium gentium viribus subductis a finibus orientis usque ad occidentalem plagam ipsorum quoque pestis irrumpat, versus Urbem, victorie nostre consiliis et presidiis maturatis, continuo processu dirigimus gressus nostros, ubi si apud summum pontificem que sunt patris invenerit filius et apud apostolicam sedem pro tanta fidei necessitate consilium, non dubitabit ullatenus nec tardabit Romanus augustus et catholicus imperator ac rebellium inclitus dominator pro christiane fidei defensione corpus exponere et totius potentie sue vires offerre. Vellemus etenim in similibus [et] tam generosa causa preteritorum temporum rememoratione foveri, quum illam gereremus in presentis necessitatis articulo de patre fiduciam, illam de subditis conscientiam haberemus, quod in ope paterni consilii et fidei subjectorum cuncta secure possemus post terga relinquere et ad exterminium Tartarice pravitatis, postpositis omnibus, festinare. Succurrit verumtamen de talibus preterite rei geste memoria, dum transfretantibus nobis dudum in Terre Sancte subsidium et Sarracenorum excidium, qui non minus fidem nostram quam Tartari persequuntur, iste carissimus pater noster Mediolanensium ac aliorum suorum complicium imperio subjectorum presidiis convocatis, regnum nostrum Sicilie, nobis in partibus ultramarinis agentibus, violenter invasit et quod horribilius est auditu, per legatos suos omnibus Christi fidelibus ne nobis in Christi crucifixi negotio ferrent vel preberent auxilium, interdixit. Non est igitur levitatis hic timor vel qui

(1) In impresso *Varmacensem*; in cod. *Vurmaciensem* seu *Varmaciensem*; *Guaciensem* vero ap. Riccardum de S. Germano; quae lectio melior est, quum ibi mentio sit Waczii, *Wats* seu *Waitzen*, urbis episcopalis Ungariae in brachio Danubii sitae prope Strigonium. Boehmerus vero juxta codicis sui lectionem Varmiensem episcopum interpretatur, scilicet *Ermeland* in orientali Prussia ad confines Poloniae; quod multo minus verisimile cuique videbitur.

Digitized by Google

nou caderet iu coustautem, velut preteriti temporis ad futurum et ex tot similibus offensis assumptus. Quare quum uon immerito cogitemus quiu appropiuquautibus uobis ad eum, hac devotione et potentia nostra de viciuo conspectis quibus prosequi volumus et persequi possumus causam Dei et quia justitiam exequimur dum patria et avita regna repetimus, uon aliena per injuriam usurpamus, cousulto reperit (*sic*) tante cladi remedium que pro dissentione nostra pre foribus dicitur jam haberi. Etenim verisimiliter opinamur quod fama dissensiouis hujus non modicam Tartaris prestat audaciam, quod iu se ipsum divisum fidei uostre reguum facilius desoletur. Vos denique, patres conscripti, quibus est pestis istius fama clarior quia causa vicinior, corda vestra vel corpora torpori nec otio tribuatis, sed viritim prosequeutibus nobis imperii nostri causam et ad ea nichilominus aspirantibus quautum decenter et salubriter possimus que suut pacis, sic vos magnifice preparetis ut ubi Romauus pontifex universalis salutis prorsus et fidei christiane sit prodigus, sic una nobiscum et ceteris terre priucipibus quos ad hoc per speciales litteras nostras et uuncios excitamus, primitus assumatis viriliter causam Dei et iu auxilium omnium christianorum et nostrum magnifice succurratis, vias omnes excogitautes et modos quibus una uobiscum, si dederit Domiuus, tautis periculis tam velociter quam efficaciter occurrere valeatis, presertim cum divina poteutia non tam tueri velit Romauum imperium quam augere. Ecce enim quod rex Uugarie per Wacziensem (*a*) episcopum supradictum Ungarie reguum nostre ditioui subjecit, dummodo per nos in extermiuium Tartarorum defensionis cesaree clypeo protegatur (1).

Scriptum est simili modo ad comites, liberos, ministeriales caeterosque homines in Swevia constitutos, sicut legitur in codice Œnopontano

(*a*) In cod. ut supra *Warmaciensem.*

(1) « Ipse rex Ungariae significavit imperatori per Guaciensem episcopum legatum suum et per litteras suas per quas se ipsum el regnum Ungariae suae promittit subjicere ditioni, dummodo per ipsum imperatorem ab ipsis Tartaris protectionis suae munimine defendatur. » *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ap. MURAT., *Script.*, VII, 1046. Cf. quid de isto cum rege Hungariae tractatu memoraverit rex Rudolphus, qui tunc comes Habsburgensis curiae imperiali aderat, in suis litteris datis Erfordiae, 31 aug. 1290, ap. *Regestum Rudolphi regis*, n° 1069.

Digitized by Google

seculi XIII a Boehmero laudato; ubi quoque notae chronologicae referuntur, quae sunt ita :

Datum in castris ante Spoletum, XII kalendas junii (*lege* julii), XIV indictionis.

Scriptum est simili modo Ludovico regi Francorum caeterisque principibus occidentis, teste Riccardo de sancto Germano, *Chronic. ad ann.* 1241, mense junio, qui prima verba tantum inserit (*a*).

Fridericus, Romanorum imperator, scribit regi Ungariae de adventu Tartarorum, et conqueritur ei de papa, propter cujus impedimentum non potest eis obviare; monens quod versus Romam iter faciat, pacem si fieri possit tractaturus. [Junio exeunte.]

(Edit. ap. *Petri de Vineis epist.*, lib. I, cap. XXIX.)

Fridericus, etc. Honor imperii, qui propter turbationes temporum valde fuerat in Italia diminutus, per quem nostra et exaltatio principum procuratur, tamdiu nos, ex consilio tuo et aliorum principum, ad sui reformationem tenuit in eisdem partibus occupatos, ut quibuslibet deliciis et regiis opportunitatibus pretermissis, persone nostre ac nostrorum fidelium continuatis laboribus, per quamplures annos estivis temporibus et hyemalibus minime parceremus : regnum hereditarium, nostre matris auguste obventionem, et commoda que undecunque perveniunt, preter mores

(*a*) Extat quoque initium epistolae ejusdem vel similis ap. Martene et Durand, *Ampliss. Coll.* t. II, col. 1152, n° XIX, sine titulo et cum exordio discrepanti : « *Tempus est jam de sumno surgere; tempus est corporis et cordis oculos aperire. Ecce securis ad radicem arborum posita, ecce quidem gladius ad ossa pervenit, dum in omnem terram exivit sonus eorum qui generale christianitatis excidium comminantur. Audivimus ista jam dudum, etc.*, ut supra usque ad verba *sedem asrumpserat aquilonis*. Caetera vero desunt : additis tantummodo post *sed ecce : Quod est auditu terribile:* post *reservatis : Jam nos preda furentum primaque castra sumus*, et in vice *firmiter creditur : Nunc magis vulgariter vel indubitabiliter creditur;* quae parvi momenti sunt.

Digitized by Google

regnantium celerorum, qui bona hereditaria commodis specialibus et privatis attribuunt, pro republica et augmento imperii, tam in rebus quam in divitiis et personis incessabiliter exponentes; ita quod autore Domino, cujus previa dextera feliciter in omnibus triumphamus, ad id labores nostri transacti temporis pervenerunt ut devictis fere in totum hostibus et imperio nostro subactis, valde modici temporis restat labor : in quo speramus ad perfectionem votorum communium et prosperum totius operis Italie complementum triumphaliter pro nostro et communi honore principum penitus pervenire. Quia vero pridem auditis rumoribus [cognovimus] quod nationes barbarice Tartarorum regnum Ungarie subitis aggressibus invasissent, cogitavimus, proximo ardente pariete, rebus nostris consultius succurrendum : ad hec prompta exposita voluntate, velut qui, tum proprio suadente negocio, tum totius christianitatis subsidio et tuitione catholice fidei requirente, ad quam tuendam ex commissa nobis imperialis officii dispensatione tenemur, debemus inimicis fidei christiane totis viribus obviare. Sed summa necessitas necessarie causam dilationis induxit, ut rem tam arduam imperii, nos principaliter et specialiter contingentem, bellicis tot armorum laboribus in effusionem Germanici sanguinis acquisitam, et ad finem proximum Germanis ensibus jam deductam, non deberemus obmittere propter brevissimam moram temporis imperfectam : ut quod esset deterius et facile contingeret, Italicis gentibus in absentia dominorum suorum utentibus more suo, tantus labor et effuse divitie pro recessu nostro in irritum reciderent, et recidiva negocii, graviora nobis et imperio iterata pericula remanerent. Aliud etiam urgens et evidens impedimentum occurrit, quod crescente inter nos et Romanum pontificem ab olim orto dissidio, experientia preteriti temporis suggerit venturum tremorem, ut justus timor, qui cadere valeat in constantem, recte moveat mentem nostram : ne nobis venientibus ad confusionem hostium barbarorum, familiaris et domesticus hostis, velut quondam nobis partes ultramarinas adeuntibus pro servitio Jesu Christi, animatis quibusdam rebellibus nostris, marinis predonibus, qui libenter occasionem absentie nostre captarant, invaderet regnum nostrum, cum familiaris pestis sit levior ad nocendum. Propter quod de te ac de ceteris principibus

non absque admiratione publica totius loquitur lingua mundi, quod audito et cognito infausto adventu infidelium Tartarorum, qui ad exterminium Ecclesie et imperii et totius cladem christianitatis aspirant, previsa deliberatione principum, ad sedem apostolicam nuncios misimus speciales, supplicaturos summo pontifici ut tot impedimenta que verbis et opere nobis opposuit et opponere non destitit, inspecta necessitate occidentalis provincie, revocaret, et nos ad publice fidei et christianorum defensionem venire permitteret, etiam inoffensos, ut moram nostram, quam juste causaris, tu vel alii principes arguere non possetis, si pro diuturnis guerris ac humiliatione rebellium, exhaustis thesauris nostris et viribus, tot annorum laboribus fatigati, tam [nos] propter ea tueri quam ab inimici hominis insidiis precavere, ac instanti dissensioni finem imponere compellamur, atrio nostro in tranquillitatis securitate disposito, reparatis opibus ac virium copiis, ad interitum communium hostium potentius accessuri. Quapropter omnibus pretermissis, felices gressus nostros direximus versus Urbem, ita quod Romanis partibus vicinamur, intendentes esse contenti veteribus et hereditariis imperii juribus, que diu augusti predecessores nostri jure generis et honoris tam imperii quam regnorum propria possederunt, quibus tamdiu neglectis per te et alios principes notari merito poteramus. Ad pacem vero quam semper affectavimus, instantem operam adhibemus, que per nos fuisset olim et sepius procurata, nisi frequens nostra petitio aures et animum pertinacis hominis induraret, et inde nutriret discordiam unde concordiam postularet. Speramus autem per presentem gressum nostrum mundo acquirere bonum pacis; et statu Italie pacifice reformato, ac regno nostro in Dei securitate dimisso, tam onusti divitiis quam gentium multitudine constipati, cum expectata benedictione sacrosancte matris Ecclesie veniemus, ita quod Domino exercituum nos juvante, quo duce, quo previo, ministratur nobis a celo victoria, qua de cunctis inimicis nostris consuevimus triumphare, Tartarorum multitudinem devincemus. Tuam igitur industriam exhortamur quatenus interim, cum tuarum conatu virium, dilecto filio nostro Conrado, in Romanorum regem electo, potenter assurgas, ad reprimendos impetus adversariorum communium et ingressus : ut eis non

liceat campum liberum invenire, donec nos cum potentia maxima ad eorum confusionem ultimam veniemus.

(Junio exeunte.) Bartholomaeus, ordinis Praedicatorum frater, episcopo et canonicis Brixinensibus nuntiat Fridericum imperatorem post gloriosam praelatorum captionem Romam tendere ut potentiae simul et clementiae suae signa manifestet; additque se ipsum ex parte domini papae Romam properare quum ad pacem utilis esse possit.

(Edit. ap. Hormayr, *Goldene Chronik von Hohenschwangau*, Urkund, p. 70, ex cod. Œnopontano a Boehmero communicato.)

Venerabili in Christo patri domino E. (*a*) Dei gratia Brixinensi episcopo et canonicis majoris ecclesie et Novacellensibus ministerialibus ejusdem ecclesie, frater Bartholomeus Tridenti ordinis Predicatorum fratrum, se ipsum in omni genere devotionis. Post gloriosum triumphum Faventie quem sibi laudabilis constantia Cesaris adquisivit, subito inopinabilis victoria in mari habita successit, ut Deus terre et maris comprobetur felici Cesari adesse. Nam dum Prenestinus episcopus legatus Francie et Otto cardinalis legatus Anglie et dominus Gregorius de Romangia legatus Janue cum Rothomagensi, Burdegalensi (*b*) Auxitano (*c*), electo Mediolanensi (1) archiepiscopis, Agathensi, Neumasensi, Carcassonensi, Terdonensi (*d*), Papicensi (2), Astensi episcopis, Cluniacensi, Cysterciensi, Clarevallensi, Premonstratensi

(*a*) Scilicet *Egenoni*.
(*b*) In impresso *Portegalensi*, male.
(*c*) Ibidem *Atthelacensi*, pessime.
(*d*) Ibidem *Nymathnensi*, *Carthalonensi*, *Tenuensi*, pessime.

---

(1) De isto nullibi mentio fit; cujus vice Bisuntinus archiepiscopus memoratur. Vid. supra, p. 1120 et 1122.

(2) Legendum vero *Papiensi*. Agitur de Rodobaldo II, qui Jacobi Prenestini in Gallica le-

Digitized by Google

abbatibus et aliis episcopis et abbatibus, prioribus, prelatis, nuntiis et procuratoribus prelatorum, numero ultra centum cum ambassagionibus civitatum rebellium Lombardorum et bene quatuor millibus Januensium, exceptis capitaneis, in triginta tribus galeis Romam ad concilium properarent, in Iuventione sancte Crucis circa horam nonam, inter insulam Cylii et montem Chrystoliensis (1) domini galearum regni et Pisanorum ipsis potenti virtute occurrerunt, et tribus Januensibus galeis cum omnibus que in eis erant in profundum maris submersis, viginti duas galeas cum predictis prelatis et hominibus et magna copia thesauri ceperunt et inclitam victoriam domino Cesari contulerunt. Qua recepta, cum sapientis sit mutare consilium, propositum quod versus Bononiam habebat mutavit, et relicto filio suo domino Heinrico illustri rege Gallurium (*a*) et Turrium cum magno exercitu in Romaniola, ipse (*b*) cum magna milicia Germanorum, Lombardorum et regni versus Romam iter suum direxit, intendens in mundi capite potentie et etiam clementie sue signa relinquere ut virtus a capite in membra diffundatur, potentie quidem si duros rebelles invenerit, clementie vero si pronos ad bonum. De Tartaris nova habemus quod jam Poloniam totam fere et magnam partem Hungarie occupaverunt et fines Boemie et Saxonie aggrediuntur. Sane sperabam his temporibus ad vos venisse; sed dominus Barnensis (2) venerabilis cardinalis ex parte domini pape mihi scripsit ut cum domino imperatore Romam properarem, quia possem utilis esse ad pacem (3). Hec clam scripsi ut Dominum pacis pro

(*a*) In impresso *Galliarum*, male.

(*b*) Ibidem *quem*, quod sensum turbat.

---

gatione comes, ut testatur Bossius (*Mss. Vescovi*, cit. ap. Robolini), cum eo insimul revertebatur. Vide *Hispan. praelat. Epist.*, ap. CAMPI, *Hist. di Piacenza*, pars II, p. 171 et 395.

(1) Scilicet *Giglio* et *Montechristo.*

(2) Quis fuerit nescimus, dum nomen male transcriptum videatur.

(3) Tractatum pacis malis auspiciis fuisse resumptum discimus ex P. Collenutio, auctore summae fidei, qui in *Vita Frider. II* rem ita narrat : « Porro pontifex hoc tam insigni detrimento accepto, quemdam priorem Sancti Dominici pro liberatione captivorum ad Fridericum misit. Cui is respondit se ad illam neutique condescensurum, cum sapientis non sit precibus hostis obsequi vel aures praebere. Et quando quidem papa nullum sui persequendi finem

Digitized by Google

pace rogetis et ut christianitas ad concordiam et veritatem redeat, et gentes barbare que in sua feritate confidunt et Christi fidem delere conantur, virtute conterantur divina.

Junio exeunte.

Eodem mense [junii] imperator ipse veniens apud Interamnem, civitatem ipsam recipit ad mandatum suum. *Ricc. de S. Germ. Chronic.*, ad annum.

In recessu post deditionem Faventiae, 3 julii.

Fridericus, Romanorum imperator, regi Angliae narrat qualiter, Ruthenia, Polonia, Hungariaque vastatis, Tartari ad confinia Germaniae procedant, inde toti occidenti excidium comminantes; descriptisque eorum moribus et ritibus, hortatur ut ipse una cum caeteris christianis principibus, ad repellendam communem omnium pestem viriliter accingi non postponat.

(Edit. ap. Matt. Paris., *Hist. maj. Anglor.*, p. 377.)

Fridericus imperator, etc., regi Anglie salutem, etc. Rem que tam Ro-

---

faciat, nec se ab ipso ejusque complicibus persequendis destituturum; et ita re infecta priorem dimisit. » Negotium tamen pacis serio hinc inde fuisse agitatum, tum ex hujus Bartholomaei testimonio, tum ex praecedentibus et sequentibus plane novimus. Quibus conditionibus ad pacem flecti Gregorius papa annuerit, ipse nos monere curavit. Ad finem enim epistolae regi Ungariae scriptae (ap. Raynaldi, ad ann. 1241, § XXVII e regest., lib. XV, nº 108), ita loquitur. « Ad hoc si Fridericus dictus imperator corde contrito et humili assumpto poenitudinis spiritu, rediret ad mandatum matris Ecclesie reverenter, parata esset pacem reformare cum ipso, que ad honorem Dei, augmentum catholice fidei ac ecclesiastice libertatis et quietem christiani populi redundaret, ut ex ea etiam tibi posset liberius et utilius subveniri. Datum Laterani, kalendis julii, anno XV. » Eisdem fere verbis se redintegrandae pacis desiderio teneri Gregorius Carinthiae duci jam significaverat. Videsis paulo supra, p. 1138.

Digitized by Google

manum imperium velut ad predicationem evangelii preparatum quam cuncta mundi regna christiano cultui dicata speciali zelo contingit, cum reipublice universe christianitatis excidium generale comminatur, et quanquam ad nostram rei geste veritas sero pervenerit, quin ad vestram notitiam referamus, tacere non possumus. Egressa enim dudum ex ultimis mundi finibus de regione australi, que diu sole sub torrida zona tosta latuerat, que postea versus partes boreales occupatis violenter regionibus diu manens ut brucus multiplicatur, gens barbare nationis et vite, quo nescimus a loco vel origine Tartari nuncupata, non absque previso Dei judicio ad sui populi correptionem et correctionem, non utinam ad totius christianitatis dispendium, ad hec novissima tempora reservatur. Sequuta est igitur publica clades, communis regnorum desolatio et terre fertilis exterminium quam gens impia peragravit, ut sexui, etati vel dignitati non parcat et reliquum genus humanum delere confidat, dum ubique terrarum per immensam et incomparabilem eorum potenciam et numerum sola dominari satagat et regnare. Datis igitur in necem et predam cunctis que poterant oculi eorum conspexisse ac universali depopulatione post terga dimissa, dum ad populosam Cumanorum coloniam pervenissent, dicti Tartari (imo Tartarei) quibus vite prodigis arcus arma magis sunt familiaria cum lanceis missilibus et sagittis, quarum usus apud eos est continuus et fortius aliis exerta habent brachia, ipsos penitus dissipatos devicerunt, et quos fuga non eruit cruentatus eorum gladius interemit. Quorum vicinitas Ruthenos ab eis non multum distantes vix cautos effecit et munitos, ut ignote gentis insoliti ab eorum incursibus sibi, prout ignis exterrebat, intenderent precavere, saltem sibi consulentes; advolant nempe subito ad predam et exterminium. Ad repentinos igitur impetus et illius barbarice gentis aggressus que velut ira Dei et fulgur se raptim jaculatur, expugnata et capta ejusdem regni Cleva (*a*) civitatum maxima; totum illud nobile regnum, cesis suis habitatoribus, in desolationem cecidit devastatum. Quod cum contermino regno Hungarorum dedisse debuit ad cautelam robur et munimen, sprevit negligenter. Quorum rex deses et nimis se-

(*a*) Scilicet *Kiew.*

curus per Tartarorum nuncios et litteras requisitus ut si suam vitam cuperet et suorum, per suam et regni sui deditionem eorum gratiam festinus preveniret, nec sic perterritus aut edoctus suis vel aliis prestitit documentum ut ipse et sui se maturius ad eorum protecti premunirentur incursus. Sed hostium contemptores elati vel nescii dum inimico vicinante segnes dormitarent loci nativo munimine confidentes, ipsi more turbinis intrantes eos undique circumdabant repentini. At Hungari ante expectatum circumdati et oppressi velut imparati ipsis objicere castra contenderunt, et cum distarent quinque tantum milliaribus hinc exercitus Tartarorum inde Hungarorum, irruerunt raptim in aurore crepusculo Tartarorum preambuli, et subito castris Hungarorum circumdatis, interfectis primo prelatis et majoribus de regno qui se objecerant cesis, infinitam Hungarorum multitudinem gens inimica trucidavit, stragem faciens inauditam cui ex antiquissimi lapsu temporis in uno belli conflictu vix recolitur fuisse consimilis. Ex fuga igitur rex vix elapsus est equo raptus velocissimo. Qui raro satellite stipatus associato, ad fraternam Hyllirici regni sortem ut saltem ibidem protegeretur fugitivus avolavit. Victores igitur castris et spoliis victorum insederunt exultantes, jamjamque majorem et nobiliorem Hungarie partem ultra Danubium fluvium et incolas ejus ferro et flamma feraliter vastantes cetera confundere minantur procaciter, prout per venerabilem Vatiensem episcopum dicti Hungarie regis legatum ad nostram curiam et postea ad Romanam didicimus destinatum. Hic per nos primo transitum faciens his testimonium perhibuit que vidit, et testimonium ejus nimis verum est. Necnon et hec per litteras dilecti filii nostri Conradi in regem Romanorum electi semper augusti et regni Hierosolimitani heredis regisque Bohemie, Austrie et Bavarie ducum, ipsis quoque nuntiorum verbis qui de vicinitate hostium experimento sunt edocti, plenius certificamur, nec hec sine magna animi perturbatione potuimus didicisse. Sane sicut innotuit et preambula fama gestorum proclamat, indeterminatus exercitus eorum in tres partes infelices ex indultu Domini damnandis consiliis (a) divisus processit. Nam una per Prutenos transmissa et ingre-

(a) In impresso *damnandus consultis*, male.

Digitized by Google

diente Poloniam, princeps et dux terre illius ab eorum insequenti exterminio ceciderunt et dein tota fuit per eos illa regio devastata; secunda Bohemie fines ingressa est et aggressa substitit, rege illius terre cum suis conatibus viriliter occurrente. Tertia percurrit Hungariam Austrie finibus vicinandam : unde timor ac tremor a furore nactus irruentium principum singulos excitant et invitant ad ipsorum obstaculum. Urget necessitas que incumbit periculo cominus imminente; generale exterminium orbis terre precipue christianitatis auxilium festinanter provocat et succursum : hec enim gens est feralis et exlex, humanitatis ignara. Sequitur tamen et dominum habet quem obedienter colit et veneratur et nuncupat Deum terre. Homines parve ac brevis stature sunt quantum ad longitudinem, sed solidi, lati et propaginati, rigidi ac fortes et animosi, ad nutum sui ducis ad quelibet ambigua proruentes, vultus amplos, aspectus torvos, clamores horribiles habent cordibus consonantes, cruda gestant coria bovina, asinina vel equina, insutis laminis ferreis pro armis muniuntur quibus hactenus usi sunt, sed quod non sine suspiriis dicere possumus, jamjam de victorum spoliis christianorum armis decentioribus elegantius muniuntur ut propriis armis irato Deo turpius et anxius trucidaremur. Insuper equis melioribus instaurantur, epulis lautioribus reficiuntur, vestibus pulchrioribus adornantur. Ipsi autem Tartari sagittarii incomparabiles utres ferunt artificialiter factos quibus flumina transmeant indempnes rapacissima et paludes. Deficiente vero cibo corticibus arborum et foliis et herbarum radicibus dicuntur esse contenti equi eorum quos adducunt, quos tamen velocissimos inveniunt et fortissimos in articulo necessitatis. Nos autem horum omnium quodammodo providi et presagi frequenter per litteras et nuntios regalem excellentiam vestram necnon et aliorum principum christianorum meminimus requisisse, sollicitantes attentius et monentes ut vigeret inter eos qui tribunalibus presunt potestatibus, unanimitas dilectionis et pacis, et sedatis dissentionibus que reipublice Christi sepius inferunt nocumenta, concorditer ad eorum obstacula qui nuper emerserunt alacrius consurgerent, cum previsa jacula minus soleant sanciare, et ut nec communes hostes ad viarum suarum preparationes gauderent tanta inter principes christianos dissidia pullulare. Ha

Digitized by Google

Deus! quantum et quoties nos humiliare voluimus, omnem benevolentiam exponentes ut romanus pontifex ab effuso per orbem contra nos dissentionis scandalo destitisset et ab inconsulte voluntatis impetu motus suos temperantius revocasset, ut ad sedandum nostros jure subditos prevaleremus et quietius regeremus nec eos quorum adhuc per eum non minima pars fovetur protegeret recalcitrantes, ut sedatis rebus rebellibusque reformatis adversus quos multarum copiam opum effudimus et virium conatus exhausimus, potentia nostra major consurgeret et insurgeret communiter in adversantes! Sed cum voluntas ei pro jure fuerit lingue lubricum discursum non regenti et a multiplici genere dissidii quod attemptavit dedignatus est abstinere, per legatos et nuntios suos crucem quam adversus tyrannidem Tartarorum vel Saracenorum terram sanctam invadentium et occupantium exeruisse debuit et decebat, jussit contra nos brachium et Ecclesie advocatum publicari, rebellibus nostris graviter contra honorem nostrum et famam exultando conspirantibus. Et cum maxima nobis immineat cura nos a domesticis et familiaribus hostibus expedire, qualiter et barbaros repellemus? Quippe per exploratores suos quos undique premiserunt, ipsi licet sine lege divina directi, tamen in martiis ingeniis disciplinati publicam discordiam et immunita terrarum ac infirmiora cognoverunt, corrosionemque regum et regnorum conflictum audientes instantius animantur et consurgunt. O quantum viribus addit exultans animatio! Ad utrumque igitur, Deo providente, conversi vires et industriam adhibebimus ut domesticum et barbaricum Ecclesie scandalum hinc et inde propulsemus. Dilectum autem filium nostrum Conradum ac ceteros imperii nostri principes expresse transmisimus ut ad reprimendum ingressus et impetus hostium barbaricorum potenter occurrant. Serenitatem etiam vestram pro communi necessitate per auctorem fidei nostre christiane Dominum nostrum Jesum Christum precordialiter adjuramus quatenus vobis et regno vestro, quos Deus in statu prosperitatis conservet, instantissima sollicitudine et provida deliberatione precaventes, maturata militum strenuorum, aliorum armatorum et armorum subsidia non segniter preparetis. Hoc in aspersione sanguinis Christi et affinitatis federe quo connectimur postulamus. Sicque ad liberationem christianitatis

Digitized by Google

accingantur, nobiscum viriliter et provide dimicaturi ut contra hostes Germanie terminos jam ingredi proponentes velut christianorum januam viribus aggregatis, victoria ad laudem domini exercituum valeat obtineri. Nec placeat vobis ista sub dissimulatione pertransire vel dilatione suspendere. Nam si, quod absit, Germanie fines invadant nec inveniant obstaculorum repagula pro foribus, expectent ceteri venientis subito fulgura tempestatis quam diversis mundo contagiis inquinato, refrigescente charitate multorum per quos fides predicari et constare deberet et pernicioso eorum exemplo mundum usuris et variis simonie et ambitionis generibus maculante, divino judicio credimus emersisse. Provideat ergo excellentia vestra, et dum communes inimici in vicinis regionibus debacchantur, ad resistendum eis maturatis consiliis vobis consulatis; quoniam de terris eorum hac se moverunt intentione, vite pericula non curantes, ut totum sibi, quod avertat Dominus, subjiciant Occidentem fidemque et nomen Christi pervertant et evertant. Et pro inopinata victoria quam Deo permittente sunt hactenus consequuti, ad tam vehementem insaniam devenerunt ut jam regna mundi sibi reputent adquisita et ut reges et principes ad vilia eorum officia subjectos edoment suppeditatos et inclinent. Speramus autem in Domino Jesu Christo, quo duce, quo previo hactenus ab inimicis nostris liberati triumphavimus, ut et ii qui de Tartareis sedibus proruperunt fastu deposito expertis Occidentis viribus quas sibi sentient adversantes, ad sua Tartara Tartari detrudentur. Nec gloriabuntur tot impune peragrasse provincias, tot populos devicisse, tot facinora perpetrasse, cum ad victrices aquilas prepotentis imperialis Europe sors incauta, imo Satan ipsos traxerit morituros. Ubi ultro furens ac fervens ad arma Germania, strenue militie genitrix et alumna Francia, bellicosa et audax Hispania, virtuosa viris et classe munita fertilis Anglia, impetuosis bellatoribus referta Alemania, navalis Dacia, indomita Italia, pacis ignara Burgundia, inquieta Apulia cum maris Greci, Adriatici et Tyrreni insulis pyraticis et invictis, Creta, Cypro, Sicilia cum Oceano conterminis insulis et regionibus, cruenta Hybernia cum agili Wallia, palustris Scotia, glacialis Norwegia et quecumque jacet nobilis et famosa sub occiduo cardine regio, suam electam militiam, previo vivifice crucis vexillo, quod non

tantum homines rebelles imo demones adversantes reformidant, alacriter destinabunt.

Datum in recessu post deditionem et depopulationem Faventie, tertio die julii (1).

[*Huic epistolae adjicit Matthaeus Parisius quae sequuntur :*]

Sub harum tenore litterarum scripsit dominus imperator, mutatis tantum titulis et verborum raro sermone, reipublicae sedulus procurator. Verumtamen regem Francorum sic scribens commovit vehementius : ait enim :

« Admiramur super Francorum prudentia quod non subtilius ceteris papales astutias consideratis vel non attenditis cupiditates ; proponit enim ipsius ambitio insatiabilis omnia fidelium regna suo subjicere dominatui, ab Anglorum conculcata corona sumens exemplariter consequentiam ; et ut culmen imperii suis inclinet motibus, ausa est presumptuoso conatu et ausu temerario protervius inhiare. »

---

8 julii. Fridericus, Romanorum imperator, Pisanis iterato mandato injungit ut comitem Andream Lupinum in manibus Bertholdi ducis Spoleti (2) assignent.

(Inedit. in *cod. Pagnini*, t. IV, fol. 14, ap. arch. Florent. Super isto documento ampliorem notitiam frustra disquisivimus.)

---

(1) Haud facilius aliquis detegere poterit qua causa imperator circa partes Interamniae tunc commorans tali involucro sedem suam palliaverit, nisi tamen in hac occasione apud christianos reges gloriari eum puduerit quod urbes ditionis pontificiae devastaret. Cf. BOEHMER, *Regest.*, p. 190, n° 1013.

(2) Quomodo Bertholdus fratri suo Raynaldo in ducatu successerit, diutiusque exul et profugus in gratiam imperatoris redierit, nos omnino fugit. Testante tamen Riccardo de Sancto Germano comperimus hunc Bertholdum anno 1242, mense maio, copiis Friderici praefectum fuisse, et ita sunt verba : « Dux Spoleti pro parte imperatoris super Narniam vadit et quam potest facit in exterioribus vastitatem. » Ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. VII, p. 1049. De Andrea Lupino, cf. *Hist. diplom.*, t. I, p. 716, et t. II, p. 941, not. 2.

Datum. . . . . anno dominice incarnationis M. CC. XLI, VIII julii, [indictione XIV].

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem civium de Ulma, communia pascua in Stribelne hospitali Sancti Spiritus apud Ulmam constructo tribuit. In castris apud Interamnam, julio.

(Edit. ap. JAGER, *Schwabisc. Stadtwes. Ulms verfass., urkundenb.*, p. 722; nunc collat. cum copia authentica in arch. Stuttgart., nobis liberaliter a Kauslero communicata.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Jherusalem et Sycilie rex, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Supplicationibus civium de Ulma fidelium nostrorum favorabiliter inclinati, communia pascua sive Algemendam sitam apud Stribelne que ad eorum communes usus spectabant, de munificentia imperialis gratie hospitali quod in civitate sua ad honorem Sancti Spiritus de licentia karissimi filii nostri Conradi Romanorum in regem electi semper augusti et regni Jerusalem heredis, solempniter erexerunt, pro summi Dei reverentia duximus conferenda; mandantes et auctoritate presentium precipientes districte tam presentibus quam futuris quatenus nullus sit qui predictum hospitale tanquam per eosdem cives contraditum ad manus nostras, in donatione predicte Algemeinde impediat vel molestet. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se sciat graviter incurrisse.

Datum in castris apud Interamnam (*sic*), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense julii, quartedecime indictionis.

Fridericus, Romanorum imperator, Johanni de Columna cardinali scribit se consiliis ipsius adhaerere velle quorum audaciam in [Julio.]

presbytero miratur, precaturque ut ad reformationem imperii consiliis addat operam efficacem.

(Edider. MARTENE et DURAND, *Ampliss. coll.*, t. II, col. 1167-1168, n° 42.—Coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, pars 3, n° 66, et *anc. fonds lat.*, n° 4042. In codice Philippsensi titulus ita legitur : « *Odoni cardinali quod ipsum honorare velit.* » Quod multo minus ad ordinem rerum se accommodat.)

Fredericus, etc., J. de Columpna cardinali dilecto amico suo, etc. (1). Miranda jam dudum vestris accepimus advenisse consiliis nostrorum preparamenta successuum quibus ad reformationem imperii, quod hucusque malitia temporis informiter deformavit, premuniri nos hactenus sedula consideratione, sed tacita sperabamus; et quum imperialiter progrederemur ad grandia atque viriliter ardua tentaremus, nostrum aliquando propulsastis auditum, aures obduximus, oculos in terram defiximus et vestrum omnino despicere consilium videbamur, oportunis hec omnia rerum eventibus et congruo tempore reservantes. Sicque saltem apud vos frequenter arguistis, ut credimus, de pusillanimitate magnanimem, de somno pervigilem, et de negligentie vitio non otiosum (*a*). Dum enim in Apulia commorantes ad plenam hereditarii nostri regni Sicilie recuperationem intendimus, dum in Syriam navigantes votum quo tenebamur implevimus, dumque nostrorum desideria principum proinde nostris ad-

(*a*) In duobus codicibus *virtuosum*, minus recte.

(1) Ut obscuriorem imperatoris epistolam elucidemus, quid de discordia inter papam e Johannem de Columpna Riccardus de Sancto Germano referat nunc exhibendum est : « Mense januario [1241] Joannes de Columpna cardinalis discors factus cum Gregorio papa in partem cedit imperatoris, et Lagustam in Urbe et extra Urbem alia castra sua firmari jubet. — Mense julio ..... imperator vocatus a Johanne de Columna cardinale festinat ad Urbem. Johannes de Columpna cardinalis discors a papa discedit seque confert in Prenestum; Monticellum et Pontem Lucanum contra Romanos recipit in odium papae, ad quem imperator milites et servientes de regno mittit. Matthaeus Russus per Gregorium papam senator efficitur, qui apud Lagustam quam Johannes de Columpna firmaverat et tenebat per suos, obsidionem ponit..... — Mense augusto Matthaeus Russus Lagustam vi Romanorum obtinuit. » Ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. VII, p. 1048.

Digitized by Google

junximus a remotis, tunc hujus edificii fundamenta congessimus, tunc firmum nobis pontem ad transitum, tunc gradus creximus stabiles ad ascensum. Immo verumtamen nos decepit nostre provisionis intentio quum in gratis et fructuosis obsequiis communi patri collatis, si tamen hoc dicere liceat cardinali, fraudati spe meriti sumus et gratie in ipso sterile solum aravimus, vel natum forsitan semen spinosa consilia suffocarunt. Preteritam tamen moram per veram et elegantem industriam excusatam tanta virtute purgare contendimus in futurum ut per laboris instantiam et gesta magnifica dispendium temporis redimamus, vestris acquiescendo consiliis de quibus nobiscum interdum disputando conferimus, et mirantibus nobis quod cardinalis et presbyter militi et imperatori Romano virtutem audacie secundum reformationem imperii maxime suadendo occurrit, quum strenuitatem tanti consilii quam in aliis sacerdotii moles et secularium dignitatum invidia continet, de nobili cura nobilium et fervor ingenui sanguinis eduxerunt; et quod hujus consilii tempore liber Regum tantummodo nobis memorandus occurrat, tunc nihil ad vos de Levitico vel de Canticis canticorum (a). Sed videte ne vobis solummodo grandia consuluisse sufficiat, nec adesse consilio, vel quod habere gratis voluistis audaciam, nos aggredi talia non credentes. Experiemur etenim in audace constantiam, in consulente virtutem et virum, et quia in suadendo concepistis audaciam, in fovendo perseverantiam habeatis. Nos etenim quia in vobis hominem secundum cor nostrum invenimus, honorare vos volumus non solum, sed amare non minus, in magnis et arduis consiliis vestris acquiescere disponentes, que sicut puritatis affectu plena cognoscimus, sic voluntatis effectu non vacua postulamus.

Petrus de Vinea cuidam amico suo significat de statu rerum et de pace cum papa, ut sperat, ineunda. [Julio.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. VI; nunc coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, n° 455.)

(a) Verbum deesse videtur; sensus tamen sat plane liquet.

Scimus et experti sumus quod barbara terra vos tenet, quum nedum ardua, sed et desperata negocia vobis incumbunt. Sed nobilium virtus in aspera necessitate perficitur, et fortitudo navis in pelagi fluctibus approbatur. Unum vero in vobis convenit, nec emolliri delitiis, nec eventuum necessitate turbari. Cito enim omnia que de nobis scripta sunt, finem habebunt; cito summi principes nostri, qui missilium jaculorum hactenus remota sagittatione pugnabant, ac vinctis luctabantur brachiis, in conglutinatis pacis labiis unientur. Dissoluto namque conventu Reate, Tybur tenditur ut Roma vicinius videatur (1). Jam verba pacis non sicut hactenus infestis auribus audiuntur : concordie viam, quam huc usque voluntas obscena precluserat, omnium supervenientium hostium necessitas jam requirit. In tractatu vero pacis, vobis absentia vestra non oberit quam vestrorum presentia plene supplebit.

Julio exeunte. Et post aliquot dies quos in solatiis post labores continuarunt, misit dominus imperator ipsum comitem Richardum (2), de ipsius confisus prudentia et fidelitate, ad romanam curiam, sicut in epistola sua quam comes in Angliam misit breviter tangitur, ut pacem inter dominum papam et ipsum imperatorem reformaret. Cui etiam ipse imperator ad cumulum honorum quos ipsi comiti impendit, chartam confecit imperiali bulla communitam ut arbitrio suo staret in pacis per ipsum factae qualicumque reformatione. Et cum venisset Romam, Romani eum spernentes conviciis affecerunt. Invenitque papam adeo inexorabilem et rebellem ut

(1) « Mense julii imperator venit Narniam quam sibi renitentem invenit. Propter quod facta in exterioribus vastitate, inde decessit et versus Reate concito vadit quam sibi similiter resistentem invenit : et tunc vocatus imperator ipse a Joanne de Columna cardinale, festinat ad Urbem. » *Ricc. de S. Germano Chronic.*, ap. Murator., *Script.*, t. VII, p. 1048.

(2) Richardus, Cornubiae comes, e Terra Sancta navigio vectus, circa junium exeuntem Trapanum advenerat, unde ad curiam imperatoris cum summo honore deductus est.

nullius forma pacis quae comiti, ipsi papae complaceret vel e converso. Sed voluit papa omnibus modis ut imperator se absolute subjiceret ipsius papae arbitrio et voluntati mandatisque staret Ecclesiae, praestito super hoc juramento. Sed comes Richardus huic suae voluntati non consensit. Et postquam multa vidisset in curia et audisset quae ipsi merito displicuerunt, recessit infecto negotio. MATT. PARIS, *Hist. maj. Anglor.*, p. 385.

Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem abbatis et conventus Rhinaugiensis, advocatiam monasterii ejusdem a manibus Diethelmi de Krenkingen et filiorum ejus pro mille ducentis argenti marcis redimit, rationesque et antiqua jura advocatiae confirmat. In castris prope Tibur, 17 augusti.

(Edit. ap. MART. GERBERT., *Cod. epist. Rudolfi*, auctar. diplomat., p. 221, ex autogr. Rhenaug. Cf. instrumentum hoc eodem anno, mense maio confectum, quod supra edidimus, p. 1129.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Fridericus secundus, divina favente clementia Romanorum imperator semper augustus, Jerusalem et Sicilie rex. Inter cetera beneficia que collata decorant nostre gloriam majestatis, actus nostros clarior fama felicitat si ad ecclesias Dei pie nostra feratur intentio et earum commoditatibus provideat et augmentis. Ad quarum licet omnium promotionem nostre mentis intentio dirigatur, illas tamen precipue nos decet favore prosequi que a sue fundationis origine imperiali glorie incorporate noscuntur et quibus progenitorum nostrorum dedit liberalitas incrementum. Hinc est igitur quod ad presentiam nostram accedens Burchardus venerabilis Renogiensis abbas, dilectus princeps noster, humiliter nobis exposuit gravamina et pressuras quas a Dietelmo de Crenkingen et filiis suis qui se pro advocatis ecclesie sue gerebant, sustinuit contra justitiam incessanter, supplicans humiliter et

devote ut ipsum et ecclesiam suam ab eorum molestationibus clementer eripere dignaremur. Nos igitur habentes pre oculis ejusdem devota servitia que nobis et imperio semper studuit exhibere nec non et orationes que in ecclesia sua fiunt ad continuam laudem Christi, pro remedio animarum divorum augustorum parentum nostrorum et nostre incremento salutis, advocatiam ecclesie Renogiensis quam dictus Dietelmus et filii ejus de Crenkingen diu tenuerant occupatam redemimus cum munitionibus (1), rationibus et omnibus pertinentiis suis pro mille ducentis marcis argenti; tali conditione ut ipsi omnia que alienata vel obligata forent tempore quo ipsam advocatiam in eorum manibus habuerunt, redimere et solvere de eorum proprio teneantur. Que quidem omnia tam soluta quam solvenda per eos propriis vocabulis duximus exprimenda : in primis monasterium ipsum cum ambitu suo et civitatem Renogiensem cum pertinentiis suis, villas Marthille, inferius Marthille, Rode, Chriunriet, Ellichon, Orlingen, Wilginsponch, Mourla, Trullichon, Benchon, Munhus, Altinburch, Husen, Nova Crenkingen, Wizwile, Wizinburch, Arzhingen, Rechperech, Griezheim, Roudelingen, Bouchperch, Hagrine, Chunisgisvas, Segilingen, Lonwege, Mura, Gemunden, Glativeldin, Witinouwe, Zhevinthal, Hovri, Hasila cum terris cultis et incultis, pratis, pascuis, venationibus, piscationibus, molendinis, aquis aquarumque decursibus, moneta, foro, pedagiis, jurisdictionibus et rationibus omnium predictorum mobilium et immobilium spectantium ad ecclesiam memoratam. Rationes autem et jura que tempore felicis recordationis imperatoris Friderici avi nostri tam nos quam abbas dicti monasterii in advocatia et ejus pertinentiis habere consuevimus, inviolabiliter in antea volumus observari. Insuper dictum abbatem et monasterium cum omni ambitu suo, munitionibus et omnibus bonis que in presentiarum rationabiliter possidet et in antea justo acquisitionis titulo poterit adipisci, sub nostra et imperii protectione recepimus speciali, in demanio et manibus nostris eos tenere de cetero promittentes et quod nulli alii teneantur nisi nobis et imperio pro tempore respondere; mandantes et sub obtentu gratie imperialis firmiter

(1) Quarum rudera adhuc tempore Gerberti supererant, ut ipse monet, loc. supr. cit., not. h.

precipientes quatenus nullus sit qui ipsum abbatem, monasterium et bona ejusdem monasterii contra presentis privilegii nostri tenorem ausu temerario molestare presumat. Quod qui presumpserit in penam temeritatis sue centum libras auri componet, medietatem camere nostre et medietatem injuriam passis applicandam. Ut autem prefata omnia robur obtineant perpetuo valiturum, presens privilegium fieri et bulla aurea (1) tipario majestatis nostre impressa jussimus communiri.

Hujus rei testes sunt Otto Leodiensis electus, Henricus Aquensis prepositus, Bertholdus marchio de Hohenburc, Otto de Stuzelingen, Cuno de Stophele, Ulricus de Rote, Waltherus de Satzhgesvirst, Joannes de Wachenheim, Henricus de Scarphenberc, Henricus de Lapide, Lupoldus burgravius Augustensis, Albertus de Kirwille, et alii quamplures.

Signum domini nostri Friderici secundi, Dei gratia excellentissimi Romanorum imperatoris semper augusti, Jerusalem et Sicilie regis invictissimi.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo primo, mense augusti, septimo decimo ejusdem, quartedecime indictionis (a), imperante domino nostro Friderico Dei gratia serenissimo Romanorum imperatore semper augusto, Jerusalem et Sicilie rege, Romani imperii ejus anno vicesimo primo, regni Jerusalem septimo decimo, regni vero Sicilie quadragesimo quarto, feliciter. Amen.

Datum in castris prope Tibur, anno, mense et indictione prescriptis.

Quidam scribit imperatori, congaudens de deditione civitatis Tiburtinae. [Augusto.]

(Edit. ap. *Petri de Vin. Epist.*, lib. II, cap. VII; coll. cum cod. Bibl. Cesar. Paris., *fonds Saint-Germain-Harlay*, 455, et codicib. Guelferbitanae biblio-

(a) Post hoc verbum interpolatur (qui nescimus) numerus romanus III.

(1) Haec bulla describitur apud Zapf, *Monum. anecdot. hist. Germ. illustr.*, tab. IV, n° 7.

thecae necnon Phillippsensis. Rubricam quae epistolam Petro de Vinea tribuit mendosam censemus, dum vir iste apud imperatorem tunc temporis commoraretur.)

Gaudium quod super omne gaudium maximum reputavi, quod merito dici potest gaudium gaudiorum, ex deditione civitatis [Tiburtine (*a*)], in qua repugnandi sola spes adversantibus remanserat, cum illud nondum per vestras litteras ut sperabam primus acceperim, sed per alios qui majestatis vestre litteras recipere meruerunt, cum quadam interjectione verecundie meis quodammodo votis accessit, quia tante dulcedinis fore credidi primus acceptor, ut fierem fidelibus aliis istarum partium dispensator. Defecissem forsan ejus esurie, nisi eam ab aliis qui me in ipsius acceptione prevenerant, percepissem. Et forsitan factum est, ut intemperantia gratulandi, quam habiturus eram de tantorum felicitate successuum, ex parcitate hujusmodi traheretur in modum, ne tante gratulationis accensus parvitatem virtutis mee, que ad tanta minus forte tripudia suffecisset, magnitudinis sue viribus absorberet. Magisterium quidem laudo, sed propter hoc verecundiam non depono, cum tanto fierem in prima hujus acceptione dulcedinis et in aliorum erogatione felicior, quanto beatius esse dare quam accipere ipso divini oris oraculo proclametur. Non tamen est verecundia ista sic efficax ut vel gaudium meum in aliqua parte diminuat, vel pudere me faciat, quo minus ab omnibus de materia tam jocunda narrantibus, veluti puer unus qui ad nova qualibet divertit auditum, a narrantium ore dependulus, audiam, et quoquo modo rei seriem citra terminum satietatis agnoscam. Non pudet me de materia ista cantantibus interesse juvenculis, cum jam solatia ista per omnium ora decurrant, per omnium gesta se perferant, et mihi jam non aliter quam per famam publicam innotescant. Undecumque autem ista votis meis obveniunt, habeo ego quod volui, habeo quod credidi, habeo quod dilexi, et cum legitimus amodo factus sim tam desiderate possessionis possessor, incivile reputo movere de titulo questionem. Sed de tanta victoria factus

(*a*) In cod. Guelferbit., *ex dedicatione* (sic) *Tridertine civitatis*; in cod. Phillipps., *Tudertine civitatis* (Todi). Ibi tamen clare agitur de Tibure, cujus deditionem sub hoc tempore memorat Riccardus de Sancto Germano : vid. infra, p. 1165.

Digitized by Google

auditor, secure jam peto ut cum causa que in regnum hucusque vestre serenitatis viriliter impedivit adventum, divina gratia prosperante jam cesset, ad recreanda corda vestrorum fidelium istarum partium serenitatis vestre faciem, quam universa terra desiderat, felicibus auspiciis convertatis.

Fridericus, Romanorum imperator, Masnerio de Burgo potestati Cumarum respondet, licet de proprietate bonorum ecclesiarum ac proditorum et rebellium quibusdam gratiam fecerit, se nihil eidem communi de proventibus eorumdem bonorum detrahi velle; aliaque mandat, prosperum statum suum in Romanis partibus significans.

In castris prope Columpnam, 22 augusti.

(Inedit. ap. archiv. comm. Cumar., lib. I *veter. Monum.*, ex regist. pergam., fol. 69 verso, 70 recto. Mendas transcriptionis manifestas ibi correximus.)

Fredericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, Ierusalem et Sicilie rex, Masnerio de Burgo potestati Cumarum et circum adjacentium partium, sacri imperii capitaneo generali, fideli suo, gratiam suam et bonam voluntatem. Fidelitatis tue litteras solita benignitate recepimus et ipsarum continentiam intelleximus diligenter, tuum studium in nostris servitiis commendantes. Quod autem significasti nobis per eas de bonis ecclesiarum et proditorum ac rebellium nostrorum Mediolanensium concessis dicto communi Cumarum, non recolimus nec nostre voluntatis existit quod de bonis ipsis in dispendium et gravamen ipsius communis alicui fecerimus gratiam, sicut tibi pridem per alias litteras nostras scripsisse meminimus; et si fieri gratiam in proprietate contingerit, commune ipsum a percipiendis proventibus juxta concessionem prehabitam cessare nolumus vel carere, cum a specialibus personis obtenta ob intuitum devotionis earum et ob specialem fidem Cumarum communis nostra munificentia liberalis eis prodesse deputetur ad proprium et etiam communi ipsi

cujus et ipsius pars sunt de concessis et percipiendis proventibus non prejudicet vel obsistat, ubi non videantur alias tempore quondam sub eo (?) (a) incerto statu vagante tam possessionem quam proprietatem juste suis usibus vendicasse, priusquam processu temporis proventus ipsos communi Cumarum duximus concedendos. De filio vero Guazini Rusche et alio qui apud Papiam detinentur captivi et sicut scripsisti sic discurrunt per civitatem ipsam, quia non captivi videntur esse tibi, ecce scribimus Marino de Ebulo sacri imperii a Papia superius capitaneo generali fideli nostro, ut ipsos prout honori nostro expedire viderit, in artiori carcere faciat custodiri. Super eo insuper quod suplicasti culmini nostro pro Peracba de Puteo fideli nostro, nos ad requisitionem Mathei fratris ejus fidelis nostri qui presens est in exercitu nostro, ordinabimus de eo quod honori nostro videbimus expedire. De mittendis illuc militibus pro defensione fidelium nostrorum de Cumis tibi recolimus respondisse quod cito disponimus securum tranquillum et pacificum statum fidelium nostrorum de Cumis in omnibus procurare et ut animus tuus et communis Cumarum ac ceteri fideles nostri ipsarum partium optata debeant jocunditate letari, scire te volumus quod illius gratia qui gressus nostros dirigit et felicitat prout vult, cuncta nobis succedunt prospera et ad votum conrebelles nostros et imperii istarum partium nostro imperio vindicavimus et cottidie subjugamus, nec est qui nostre possit obsistere majestati. Que tibi significamus ad gaudium et ut per te ad noticiam fidelium nostrorum de Cumis et partium ipsarum perveniant ad letitiam, quia de nostris felicibus successibus semper optant. Quocirca fidelitati tue precipiendo mandamus quatinus in servitiis nostris et circa ea omnia que nostrum respiciunt commodum et honorem fideliter studiosus partes istas et fideles nostros fortius animes et confirmes, ut studium fidei tue in conspectu nostro ex opera de bono in melius comprobetur.

Datum in castris prope Columpnam, XXII augusti, XIIII indictione.

(S.) Ego Rovolus notarius filius quondam Brugnoli, etc., jussu domini Masnerii de Burgo potestatis Cumarum, etc.

(a) Forsan *turbationis* vel vox hujusmodi.

Digitized by Google

Mense augusto imperator recepit civitatem Tiburtinam et exinde versus Urbem vadit. Et tunc castrum quod dicitur Mons Albanus, quod erat sancti Pauli de Urbe, vi cepit et igne consumpsit. Castra etiam quaedam Farfensis monasterii occupat et devastat. Burgum Novum desertis incolis igne crematur, et apud Cryptam Ferratam ponit castra sua et in exterioribus Urbem devastat. Et tunc de Gregorio papa quod obierit Romae XXI augusti pro certo accepit. De cujus licentia cardinales omnes qui extra Urbem fuerant, pro electione papae facienda ad Urbem redeunt. RICC. DE S. GERM. ap. MURATOR., *Scriptor.*, t. VII, p. 1048. (Augusto.)

Fridericus, Romanorum imperator, regi Angliae et regibus aliis mortem Gregorii noni papae nuntiat, sperans alio pastore in Sedem Apostolicam substituto, pacem in populo christiano secuturam, unde facilius invasioni Tartarorum occurratur. (Apud Cryptam Ferratam, augusto.)

(Edit. ap. *Petr. de Vin. Epist.*, lib. I, cap. XI; coll. cum variis Bibl. Cesar. Paris. codicibus; et in excerpt. Alberti Bohemi, ap. HÖFLER, *Bibl. der liter. Vereins von Stuttgart*, t. XVI, p. 58.)

[Fridericus, etc., regi Anglie, etc.] Victorioso exercitu nostro Romanis finibus insidente, ad quos aviditate componende pacis et voto generalis dissidii removendi specialiter celsitudo nostra perveuit, publicus ad castra nostra rumor exivit, quod die... presentis mensis augusti, Gregorius nonus papa rebus est humanis exemptus (1), ut qui pacem et tractatnm pacis

(1) Gregorius papa senio et taedio confectus apud Romam vicesimo primo augusti die vita functus est, ut supra monuimus.

recipere denegabat, ad universalem dissensionem aspirans, vix ultoris Augusti metas excederet, qui Augustum offendere nitebatur. Revera mortuus est, per quem pax terre deerat, et vigebat dissidium, et quamplures in mortis periculum incidebant : de cujus morte multa compassione conducimur, et licet digno contra eum odio moveremur, velut ab eo manifestis injuriis et evidentis inimicitie persecutionibus lacessiti, gratum tamen compassio nostra duxisset, si diebus suis fuisset ab authore salutis indultum quod reverendam matrem nostram, sacrosanctam Romanam Ecclesiam, et Romani sedem imperii, cui, authore Domino, presidemus, in optata pace sopitis dissentionibus statuisset, et ortum de suo motu scandalum generale, quod valde fuit modernis temporibus Christi fidelibus onerosum, suo tempore quievisset. Sed cum aliter visum fuerit in excelsis apud omnium conditorem, qui novit in abscondito consilia malignantium, rebus dissidentibus providit, et ad clamorem Christiani populi consolandum, disponet in apostolica sede virum secundum cor suum, qui sui predecessoris indirecta dirigat et malefacta corrigat, totius mundi paci provideat, et nos in maternam dilectionem Ecclesie dirigat et reformet. Ad quod votis ardentibus totisque conatibus insudamus, ut pacis amico et justicie zelatore in Dei Ecclesia substituto, ad honorificentiam novi patris devotus filius adsurgamus, dummodo predecessoris crimen et odium non sequatur, ei omnimodam benevolentiam, defensionem et patrocinium impensuri ad tuitionem catholice fidei et ecclesiastice libertatis; cum ad hoc, disponente Domino, imperii sceptrum suscepimus, et Romanum imperium nostrum ad predicationem Evangelii sit preparatum, ut catholicam fidem et matrem Ecclesiam a cunctis hostium incursibus nostrarum virium conatibus eruamus. Presertim cum ex orientalibus partibus Tartarorum hostis adveniat, qui destructis partibus cujusque regni, per quas transitum habuerat, et diversarum multitudine gentium conculcata ac copia populorum, funditus abolere satagit tam nomen quam cultores fidei christiane, cui de providentia novi patris romani substituendi pontificis, adsistente nobis potentia regum et principum orbis terre, magnifice disponimus obviare; adsumentes fiducialiter causam Dei, qui nostros de medio aufert inimicos, ut expositas ad ejus servitium impedire nequeant

Digitized by Google

vias nostras. Vos igitur divine promissioni ac nostris affectibus devoti et hilares adsurgentes, tam vestrorum proposita cordium preparetis ad pacem, quam armis necessariis corpora muniatis ad conterendam una nobiscum hostium venientium superbiam Tartarorum.

Datum apud Cryptam Ferratam, mense augusti, indictione XV (XIV) (*a*).

(*a*) Notas chronologicas addimus ex codice quondam Pithoei, colleg. Trecensis, nunc Biblioth. hujus urbis n° 1482 (O. 35), ubi tantummodo indictionis numerum corrigendum esse facile quisquis animadverterit. Cf. PERTZ, *Archiv*, t. VII, p. 919.

FINIS PARTIS SEXTAE.

Digitized by Google

CONRADI QUARTI

IN ROMANORUM REGEM ELECTI

HISTORIA DIPLOMATICA.

PARS PRIMA.

A MENSE NOVEMBRI 1237 USQUE AD MENSEM AUGUSTUM 1241.

Digitized by Google

CONRADI QUARTI

IN ROMANORUM REGEM ELECTI

HISTORIA DIPLOMATICA.

ANNO 1237. — INDICTIONE II.

Conradus, in Romanorum regem electus, sculteto de Rotweil mandat ut conventum de Rotenmunster specialiter promoveat et defendat. Apud Hagenawiam, 28 novembris.

(Inedit. ex chartul. chartaceo seculi XVI monast. Rotenmunster, fol. 50, et nobis ab egregio viro Kauslero communicatum.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Ierosolimitani, W. sculteto de Rotwylre gratiam suam et omne bonum. Cum nos personas religiosas ampliori favore et gratia fovere velimus, mandamus tibi quatenus dominas religiosas de Rotenmunster specialiter promoveas et quantum potes ab omni injuria et molestia defendas, sed et in omnibus in quibus ad te recursum habuerint, foveas easdem consilio et patrocinio singulari.

Datum anno Domini M. CC. XXXVII, sabbato ante festum Andree, apud Hagenawiam.

Digitized by Google

Apud Hagenowe, decembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, ad petitionem Eistetensis episcopi, sententiam principum in praesentia sua latam, publicat : quod nullus excommunicatus a domino suo, de cujus manu feodum accipere debet, infeodetur.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 267, n° 758, ex originali unde sigillum appendet ex segmento membranaceo, — et ap. Pertz, *Monum. Hist. Germ.*, t. IV, p. 324.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augnstus et heres regni Ierosolymitarnm. Tenore presentium notum esse volnmns universis quod ad requisitionem dilecti familiaris nostri honorabilis principis imperii Eistetensis episcopi, assistentibus nobis principibus et aliis nobilibns quam pluribus, talis in presentia nostra lata fuit sententia et ab omnibus approbata : quod nullus excommunicatus tanquam comunione fidelinm privatus feodo suo a domino sno de cujus manu id accipere debet, aliquatenus debeat infeodari, cum talis ad actus legitimos nullatenns sit admittendus (1). Unde ad supplicationem predicti episcopi eandem sententiam conscribi fecimus et sigillo regio roborari.

Actum apnd Hagenowe, mense decembris, undecime indictionis.

(1) Cf. supra, l. IV, p. 634, Henrici septimi chartam, dat. apud Frankenfurt, 10 februarii 1234.

Digitized by Google

ANNO 1238. — INDICTIONE II.

Conradus, in Romanorum regem electus, ratas habet et confirmat litteras quibus frater Bertholdus de Tannenrode, tunc procurator rerum imperialium in Alsatia, denuntiavit venditionem factam a Waltero de Falkenstein et fratribus ejus abbati et conventui de Nuwenburg de feodo ipsorum in Douchindorf. Apud Hagenowe, 1° martii.

(Edid. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplomat.*, t. I, p. 380, n° CCCCXC, ex chartulario Neoburgensi.)

Chunradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerosolimitani. Cum patrissare studemus auctoritate paterna cuncta opera caritatis, tunc precipue utrinsque titulos extollimus imperialis et regalis excellentie in eo a quo sumpsimus plenitudinem potestatis. Hinc est itaque quod presenti serie notum fieri cupimus modernis et posteris universis quod constituti coram nobis Albero venerabilis abbas et conventus de Nuwenburch Cisterciensis ordinis, fideles nostri, supplicarunt nobis humiliter ut emptionem ex parte ipsorum et venditionem sive permutationem factam per Walterum de Walckenstein et fratres ejus de consensu et voluntate fratris Bertholdi de Tannerode, tunc procuratoris rerum imperialium in Alsatia, juxta tenorem litterarum suarum super hoc confectarum, ratificare auctoritate domini et patris nostri Romanorum imperatoris serenissimi et nostra de pietatis nostre gratia dignaremur. Litterarum autem earumdem tenor talis est :

Frater Bertholdus de Tannerode, curam gerens rerum imperialium, universis hoc scriptum inspecturis salutem in perpetuum. . . . .
Notificamus quod dominus Walterus de Walckenstein et fratres ejus Jacobus et Ortliebus feodum suum integraliter quod in villa et in banno Douchindorf ab imperio tenuerunt, venerabili domino Alberoni abbati et conventui de Nuwenburch pro LXXX marcis puri argenti de nostro con-

Digitized by Google

sensu et voluntate vendiderunt, ipsum feodum in manus nostras et domini Ludewici advocati de Liethenberch et domini Heinrici militis de Uleckenstein fidelium domini imperatoris resignantes. Et ut idem feodum rebus imperialibus plene recompensaretur, predictus miles dominus Walterus et fratres sui quoddam allodium eorum, videlicet pratum in banno Utinhoven, secundum estimationem prudentum virorum satis plus valens, per manum nostram et prefatorum duorum scilicet domini Ludewici de Liethenberch et domini Heinrici de Uleckenstein in feodum imperiale receperunt. Cui venditioni et recompensationi nos de consilio fidelium imperialium assensum adhibentes, jus ville et banni in Douchindorf prefato domino abbati et conventui de Nuwenburch vice domini imperatoris assignavimus perpetuo et libere possidendum, in facti memoriam presentem cartam nostro sigillo roborantes. Acta sunt hec anno Domini M. CC. XXXVII, presentibus et consulentibus imperii fidelibus, videlicet domino Ludewico de Liethenberch advocato, domino Heinrico milite de Uleckenstein, quorum et sigilla eidem carte in testimonium sunt appensa. Aderant quoque dominus Simon filius domini Burchardi advocati de Gerolteseche, dominus Heinricus et dominus Albertus fratres de Hohenstein, dominus Walterus miles de Berwartenstein, dominus Roppo notarius, dominus Wicherus notarius, Wolvelinus scoltetus de Hagenoa.

Nos igitur de plenitudine consilii nostri, devotis eorumdem abbatis et fratrum de Nuwenburch supplicationibus favorabiliter inclinati, juxta formam litterarum superius expressarum venditionem, emptionem et permutationem ipsam in omnibus approbantes, quod super his factum est ratificamus domini et patris nostri et nostra auctoritate. Ut autem de premissis nulla in posterum possit calumpnia suboriri, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Testes hujus rei sunt Godefridus de Hohenloch, Simon de Gerolzeche nobiles, Conradus de Smidefelt, Walterus imperialis curie notarius et capellanus (1), Heinricus de Fleckenstein, Heinricus de Crophesberch et alii quamplures.

(1) Verisimiliter *Walterus de Ocra*, dum Fridericus inter nobiles Neapolitanos tum hunc, tum illum cui plurimum confidebat, ad custodiam filii sui deputare soleret.

Actum anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIII, primo martii, indictione XI.

Datum apud Hagenowe.

Conradus, in Romanorum regem electus, Guidonem Cameracensem electum, recepto ab eo fidelitatis et homagii sacramento, de regalibus investit mandatque capitulo et civibus Cameraci ut ei fideliter intendant et ablata si quae fuerint restituant, cum ob recommendationem archiepiscopi Maguntini eumdem Guidonem specialiter habere velit commendatum. — Apud R[illegible]burg. 18 martii.

(Edit. ap. *Mémoire pour Mgr l'archevêque de Cambray*, Paris, 1772, in-4°, Pièces justificatives, n° XXIV.)

Conradus divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electns semper augustus et heres regni Jerosolymitani, preposito, decano totique capitulo, civibus et universis fidelibus Cameracensis ecclesie fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre duximus intimandum qnod nos venerabilem principem Guidonem electum vestrum a metropolitano suo canonice confirmatum, sicut coram nobis legitime comprobavit, auctoritate domini et patris nostri imperatoris serenissimi qui ad parcendum laboribus et expensis ecclesiasticorum principum recommisit nobis super hoc specialiter vices snas, investivimns pront est juris ant et moris, regalibus que de gratia imperii obtinentur, recepto ab eo debite fidelitatis et homagii sacramento. Sub obtentn igitur gratie domini et patris nostri ac nostre mandamns universitati vestre precipiendo districte qnatenns ipsi electo vestro debitam per omnia exhibentes reverentiam et honorem, de omnibns qne ad jns suum et Cameracensis ecclesie pertinere noscnntur, pront tenemini, fideliter intendatis eidem, ut fidelitatis vestre devotionem perinde merito commendare possimus et ipse vestris inductus meritis fiat vobis favorabilis et benignus. Ad hec manda-

Digitized by Google

mus vobis precipiendo firmiter ut si qui vestrum forte medio tempore quo vacabat sedes ejusdem ecclesie, aliquid de proventibus sive bonis ipsius temere distraxerunt, id eidem principi restituant sicut debent, ne talem injuriam animadversione debita puniamus. Nam propter honestatem, religionem et scientiam eminentem ipsius, imo et amore venerabilis principis archiepiscopi Maguntiensis sacri imperii per Germaniam archicancellarii, procuratoris imperii et nostri, qui nobis eum tanquam magistrum et amicum specialem recommendavit, attente volumus ipsum et Cameracensem ecclesiam in omnibus negotiis et agendis suis habere specialiter commendatum.

Datum apud Rodemburg, anno gratie M. CC. XXXVII, XV kalendas aprilis, XI indictione.

Adest alia ejusdem tenoris et datae a Conrado directa *universis vasallis, ministerialibus, officiariis, civibus totique familie ac populo Cameracensi.*

Apud Bernae, novembri.

Conradus, in Romanorum regem electus, civibus de Murten in Helvetia omnes denarios suos de officio Murten percipiendos a festo beati Johannis Baptistae proxime venturo usque ad annos quatuor subsequentes donat, eosque ab omni precaria eximit, ea conditione ut civitatem ipsorum firmo muro munire debeant, cujus mensurae ibidem definiuntur.

(Edit. ap. Walther, *Gesch. des Bern. stadtr.*, 1 band hauptst. III, p. 91. — Correctius vero in *Der Schweizerische Geschichtforscher*, VII band, p. 224, 1828; in *Solothurn. Wochenblatt*, 1828, p. 448 et ap. Engelhard, *Chronik von Murten*, p. 122.)

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolymitani. Tenore presentium notum facimus universis quod nos ad instantiam civium de Murten (1) fidelium nostrorum donamus et pro parte domini

(1) Gallice *Morat.*

Digitized by Google

et patris nostri et de libertate nostra omnes denarios nostros de officio Murten percipiendos a festo Sancti Johannis Baptiste proxime nunc venturo presentis duodecime indictionis usque ad annos quatuor subsequentes; indulgentes eis insuper quod usqne ad predictum terminum ab omni precaria aliisque pecunie exactionibus sint liberi et immunes, tali conditione adjecta quod iidem cives civitatem predictam munire debeant firmo muro qui sub terra habeat in longitudine sex pedes et super terram ad mensuram pedum duodecim extendatur; in spissitudine quoque quatuor pedum mensuram habebit; et ut predictus murus in forma prescripta remota occasione qualibet compleatur, prefati cives viginti quatuor fidejussores ponere convenerunt, quoscumque inter eos pensator noster in eisdem partibus duxerit eligendos. Ad cujus rei memoriam presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum apud Berne, anno dominice incarnationis millesimo CCXXXVIII, mense novembris, XII indictionis.

ANNO 1239. — INDICTIONE 12.

Conradus, in Romanorum regem electus, sororibus de valle Sanctae Mariae (Frauenthal), Cysterciensis ordinis, immunitatem concedit. Apud Hagenowe, martio.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 269, n° 760, ex originali unde sigillum illaesum appendet ex duplici segmento membranaceo.)

Conr(adus), divi augusti imperatoris Fr(iderici) filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolymitani, universis presentes literas inspecturis fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Pro parte sororum de valle Sanctae Mariae Cysterciensis

ordinis (1), fidelium nostrarum, sublimitati nostre fuit humiliter suplicatum ut ad incrementum nove plantacionis earum locum ipsum et personas in eo Domino famulantes cum bonis et possessionibus suis que in presentiarum juste possident et que in antea legitime poterunt adipisci in nostre protectionis gratiam recipere dignaremur. Nos itaque pietate solita qua locis et personis Deo dicatis adesse consuevit favor regius, porrectis nobis supplicationibus annuentes, locum earumdem sororum et personas ibidem Domino famulantes cum bonis et possessionibus suis juste habitis et habendis sub nostre protectionis gratiam recipimus specialem. Mandantes universitati vestre auctoritate domini et patris nostri Romani imperatoris serenissimi et nostra firmiter precipientes ut nullus sit qui predictum locum vallis Sancte Marie aut ejus personas cum rebus et possessionibus eidem loco pertinentibus presumat vel audeat contra presentis protectionis nostre paginam aliqua perturbationis specie molestare. Quod qui presumpserit, indignationem nostram et imperii se sciat graviter incurrisse.

Datum apud Hagenowe, primo januarii, duodecime indictionis.

Apud Nuorembꝫrg, martio.

Conradus, in Romanorum regem electus, civibus de Nordelingen gratiam, a patre suo Friderico II imperatore factam, super triennali remissione stiurae sive precariae ad alios duos annos extendit.

(Edit. ap. Lunig, *Reichsarchiv,* t. XIV, p. 3, n° 2. — Et ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 270, n° 761, cujus sigillum nunc a membrana separatum appendebat e filis sericis rubri et flavi coloris.)

Conr(adus), divi augusti imperatoris Fr(iderici) filius, Dei gratia Roma-

---

(1) Annus fundationis coenobii monialium de valle Sanctae Mariae, alio nomine Frauenthal est 1232 expressus in litteris Hermanni episcopi Wirceburgensis apud Wibel, II, 41; et Ussermann, *Cod. episc. Wirceb.*, p. 57, n° 61.

norum in regem electus, semper electus et heres regni Jerusalimitarum, universis tam presentibus quam futuris, presentes litteras inspecturis, fidelibus imperii, gratiam suam et omne bonum. Dignum censemus et consonum equitati ut eorum subjecte devotioni uberiorem innate nobis pietatis effundamus gratiam quorum et videmus necessitatibus succurrendum et ad imitationem imperialis gratie, gratiam adaugendam. Hac siquidem ratione notum esse cupimus et protestamur quod nos de plenitudine consilii nostri, supplicationibus ministri et civium de Nordelingen fidelium nostrorum favorabiliter inclinati, pro exustione civitatis ipsorum, gratie quam dominus et genitor noster, Romanorum imperator serenissimus, ipsis de libertate trium annorum fecisse dicitur, prout in suis litteris plenius asserunt contineri, gratiam duorum annorum superaddentes liberaliter et benigne, nolumus ut eisdem annis aliqua ab eis stivra sive precaria exigatur, nunc ad reedificationem dicte civitatis libera nostra gaudeant gratia et favore. Ut igitur in posterum dicta libertas eisdem ministro et civibus observetur, presentem cartam sigillo nostri culminis fecimus roborari.

Datum apud Nuoerinberc, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense marcii, duodecime indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, in favorem conventus Omnium Sanctorum apud Schafusam, latam contra Eberhardum Brumsi ejusdem civitatis burgensem in praesentia sua sententiam confirmat, qua deciditur quod nulli liceat molendinum in detrimentum alterius construere. Apud Ulmam, aprili.

(Memorat. ap. Boehmer, *Regest. imper.*, p. 256, n° 8, juxta copiam apud Schafusam asservatam, quam cum ipso quondam communicavit Kirchhofer.)

Datum apud Ulmam, anno Domini M. CC. XXXIX, mense aprilis, duodecime indictionis.

Digitized by Google

Apud Horburg, maio.

Conradus in Romanorum regem electus, priorissam et conventum in loco Griez apud Augustam, cum omnibus personis et possessionibus, sub speciali sua protectione recipit.

(Edit. in *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 272, n° 762, ex originali cujus sigillum periit, remanente tantummodo parte superiore filorum sericorum rubri et flavi coloris.)

Conr(adus), divi augusti imperatoris Fr(iderici) filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, et heres regni Jerosolimitarum, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis imperpetuum. Quanto divina potentia nostros ampliat titulos et extollit uberius, tanto illi devotius circa ecclesiarum profectus censemus nos merito debitores. Hac siquidem ratione notum esse volumus tam presentibus quam futuris, quod nos devotis supplicationibus priorisse et conventus in loco qui dicitur Griez apud Augustam sub regula beati Augustini degentium favorabiliter inclinati, monasterium ipsarum et personas in eo Domino famulantes, cum universis possessionibus et bonis suis que in presentiarum juste possident aut in futurum justis modis poterunt adipisci, sub nostre et imperii protectionis gratia recepimus speciali. Mandantes et per optentum paterne et nostre gratie precipientes firmiter et districte, quatenus nulla persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, eandem priorissam vel sorores easdem contra presentis protectionis nostre gratiam presumat vel audeat impedire. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se sciat irrecuperabiliter incurrisse.

Datum apud Horburc (1), anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense maii, duodecime indictionis.

---

(1) Hodie *Harburg* inter Dinkelsbühl et Donauwerth.

Conradus, in Romanorum regem electus, sententiam principum promulgat latam in favorem civium Ratisponensium, ne quis personas vel res eorum ratione pignoris detineat, nisi civis pro cive, a quo alias jus suum quis consequi non valeret. Apud Egram, junio.

(Edit. ap *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 272, n° 763; ex originali unde sigillum nonnihil laesum appendet ex filis sericis rubri coloris. — Memorat. autem et extractum a GEMEINER, *Reichst. Regensb. Chronik,* I, 340.)

Conr(adus), divi augusti imperatoris Fr(iderici) filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, et heres regni Ierosolymitarum, universis imperii fidelibus presentes litteras inspecturis gratiam suam et omne bonum. Universitati vestre notum esse volumus per presentes, quod ad requisitionem civium Ratisponensium, nostrorum et imperii fidelium, dictantibus eam principibus, baronibus, comitibus et aliis nobilibus qui aderant, talis in presentia nostri culminis lata fuit sententia et ab omnibus approbata, quod nulli prorsus liceat personas vel res dictorum civium, occasione Ratisponensis episcopi, ducis Bawarie, vel alia occasione aliqua, detinere ratione pignoris, nisi civis pro cive, a quo alias jus suum quis consequi non valeret. Quocirca mandamus de plenitudine consilii nostri, auctoritate domini et genitoris nostri Romanorum imperatoris et nostra, precipientes firmiter et districte quatenus nullus sit qui predictos cives in personis vel rebus suis contra presentis tenorem sententie gravare presumat. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit incurrisse.

Datum apud Egram (1), anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense junii, duodecime indictionis.

---

(1) In hac civitate tunc temporis rex Conradus colloquium cum principibus imperii celebrabat; de quo supra videsis, p. 344.

Moguntiae, 2-4 julii.

Hoc anno VI nonas julii in civitate Moguntina celebratum est concilium, praesidente Cunrado rege imperatoris filio ac ejus sedis Sifrido archiepiscopo cum novem ceteris episcopis. In quo scilicet concilio episcopus Eistatensis querulando miserabiles exhibuit litteras, quomodo sui ministeriales ac cives Eistatenses jam fere per annum in excommunicatione manentes, etc. *Chronic. Erph.*, ap. BOEHMER, *Fontes*, t. II, p. 401. Cf. HARTZHEIM, *Concil. Germ.*, t. III, p. 568 et seqq. — Et die tertia [concilii] quia dominus Moguntinus officium personaliter exequi non poterat, [episcopus Eistatensis] monasterium in majori ecclesia Moguntiae, omnibus qui ibi erant episcopis (1) sibi cooperantibus et rege Conrado praesente, gloriosissime dedicavit. GUDEN, *Cod. diplomat.*, t. I, p. 575. — Anno dominicae Incarnationis M. CC. XXXIX quarta nonas julii per reverendum dominum Sifridum archiepiscopum Moguntiae consecrata est major ecclesia Moguntina. *Sacrist. liber*, laudat. ap. GUDEN, *Ibidem*, p. 527.

Apud Francofurtum, julio.

Conradus, Romanorum in regem electus, Cunoni de Reiffenberg fideli suo castrum Reiffenberg in perpetuum feudum confert, ea conditione ut idem Cuno honestam habitationem ad usus imperatoris et regis in dicto castro aedificare teneatur.

(Inedit. ex copia sec. decimo octavo exarata, inter schedas Wenckianas reperta et nunc in archivo Darmstadensi asservata. Diploma juxta versionem germanicam latine rescriptum fuisse libenter suspicamur; notas vero chronologicas justas habemus.)

---

(1) Scilicet Wirzburgensis, Argentinensis, Bambergensis, Spirensis, Wormatiensis, Paderburnensis et Halberstadensis, dum Hildeshemensis se propter infirmitatem excusavisset.

Digitized by Google

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia in regem Romanorum electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Per presens scriptum ad modernos protendi cupimus et ad futuros quod cum Cuno de Reifenberg fidelis familiaris noster, multorum beneficiorum et immunitatum acceptarum ex gratia gloriosissimi Romanorum imperatoris et genitoris nostri non oblitus, dilectissimo domino et genitori nostro et nobis libere et scienter castrum suum Reiffenberg in veram proprietatem obtulerit, considerantes talem fidem et devotionem erga nos et imperium, predictum castrum Cunoni ejusque uxori, filiis et filiabus ex regia liberalitate in feudum castrense perpetuum contulimus, hoc cum discrimine quod prefatus Cuno in memorato (a) castro honestam habitationem ad usus serenissimi domini genitoris et nostros edificare teneatur. Ad hanc edificationem dabimus ei materiam cementorum et arenam. Ille Cuno quoque et omnes sui heredes ad quos hocce castrum possidendum pervenerit, pro sua possibilitate contra nostros et imperii hostes ceu de recta nostra proprietate adjuvare debebit. Ad cujus rei memoriam et stabilem firmitatem presens scriptum fieri fecimus sigillo nostre celsitudinis roboratum.

Testes hujus rei adfuerunt comes de Henneberg, comes de Hohenlohe et alii quamplures.

Acta sunt hec apud Francofurtum, anno dominice incarnationis M. CC. XXXIX, mense julio, indictione duodecima.

Conradus, in Romanorum regem electus, monasterio sanctimonialium de Meirolden confirmat privilegium Philippi regis datum apud Gelnhausen, 31 januarii 1207, quo rex quamdam bonorum commutationem huic ecclesiae utilem approbavit. Apud Gelnhausen, augusto.

(Memorat. in *Beilage zum Archiv für Kunde Oesterr. Gesch.*, Notizenblatt, 1852, n° 9, p. 132, ex confirmatione Caroli Quinti de anno 1550.)

(a) In apographo *mentionato*, male.

Conradus, divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Hierosolimitani.

. . . .

Testes autem sunt hii venerabilis Sifridus archiepiscopus Maguntinus, Burchardus prepositus Witflariensis, Albertus prepositus de Selbolt, Gerlacus de Butingen, Heinricus de Augenowe, Roisemannus, Conradus Reitz de Bruiberch et Ebeihardus filius suus, Heinricus de Crumbach et Reinhardus filius suus, Adam de Jazahe nobiles; Fridericus Stichel, Johannes Scheile de Rorbach, Ekkehardus de Bleichenbach, Heinricus filius Herponis, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo nono, mense augusto, XVI (XII) indictionis.

Data in Geilenhusin, anno, mense et indictione prescriptis.

Leodii, 1° novembris.

Venit Leodium Conradus, filius Friderici imperatoris, Ottonem (1) in cathedra episcopi [Leodiensis] inthronisans in die Omnium Sanctorum; ubi etiam tum domnus Henricus in regis praesentia in abbatem [Sancti Laurentii] consecratus est et primus mitra decoratus, anno Domini M. CC. XXXIX, calendis novembris. *Histor. monast. S. Laur. Leod.*, ap. Martene, *Ampliss. Coll.*, t. IV, p. 1099.

Hallis, novembri.

Conradus, Romanorum in regem electus, ad preces Alberti de Ulma ordinis Minorum magistri, conventum monialium apud Ul-

(1) Usque nunc de episcopatu Leodiensi controversia fuerat inter hunc Ottonem praepositum Trajectensem et Willelmum de Sabaudia, comitis Flandriae fratrem, qui mense octobri hujus anni 1239 vita functus est. Cf. Alber. Triumfont., ap. *Scriptor. rer. Franc.*, t. XXI, p. 623, 625, ubi etiam legimus : « Anno M. CC. XL, occasione praepositi Trajectensis qui episcopatum Leodii invaserat fultus auxilio Conradi filii imperatoris, multa mala facta sunt in terra. »

Digitized by Google

mam sub ordine Sancti Damiani fundatum in sua et imperii protectione recipit.

(Edit. ap. *Deduction für Kl. Neresheim*, ann. 1759, p. 468, beylagen, n° 73, — et ap. *Deduction für Söflinger*, ann. 1774, p. 1.)

In nomine sancte et individue Trinitatis, Conradus Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem. Firmiter credimus in virtute Dei titulos nostri nominis ampliari tunc potius et extolli cum ejus intuitu per quem regnamus, authoritatem libertatis regie circa personas Deo dicatas et novellas earum plantationes liberaliter effundimus et earum precibus favorabiliter inclinamur. Inde est quod per presens scriptum notum esse cupimus tam presentibus quam futuris quod accedens ad presentiam nostram magister Albertus de Ulma ordinis Minorum fratrum, vir venerabilis et discretus, supplicavit nostre celsitudini humiliter et devote ut quia ad feminei sexus religionem edificare cepit monasterium apud Ulmam, in quo sub ordine sancti Damiani quasdam Dei famulas jam inclusit, tam monasterio quam personis in eodem degentibus liberalitatis nostre sinum aperiri misericorditer dignaremur. Nos itaque pietate regia qua ad honorem et laudes Domini universarum ecclesiarum profectum complectimur et amamus, moti specialiter, ad preces ejusdem fratris quem devota sua merita gratum reddunt nostro culmini et acceptum, volentes eidem specialia favoris et gratie nostre exhibere, conventum et monasterium sub ordine sancti Damiani apud Ulmam cum personis et omnibus bonis suis que in presenti juste tenent et possident et que in antea justo titulo poterunt obtinere, sub nostra et imperii protectione recepimus speciali; et ut novella plantatio ipsa ad gloriam et decorem domus Domini munificentie nostre sumat beneficia ampliora, sancimus presentis privilegii authoritate ut eidem monasterio et conventui sit licitum quecumque predia seu bona recipere ac tenere, dummodo ea sive per eleemosinam seu emptionem aut aliis justis modis sibi fuerint acquisita, et eo ipso quod esse ceperint monasterii prelibati nostre et imperii tuitioni specialiter sint subjecta. Statuimus igitur ut nulla persona ecclesiastica vel mundana predictum conventum et monasterium in bonis suis vel prediis

Digitized by Google

taliter acquisitis contra presentis privilegii nostri seriem presumat vel audeat molestare. Quod qui presumpserit indignationem nostri culminis se sciat incurrisse, decem quoque marcharum auri componat, quarum medietas fisco nostro, reliquum passis injuriam persolvatur. Ad hujus itaque rei memoriam et stabilem firmitatem presens privilegium fieri et sigillo nostre celsitudinis fecimus communiri.

Testes hujus rei sunt Sifridus venerabilis archiepiscopus Moguntiensis sacri imperii per Germaniam archicancellarius, Godefridus de Hohenloh, Crafto de Crutheim, Conradus pincerna de Winterstett, Conradus de Sundenfeld (*a*), Waltherus pincerna de Limburg, Waltherus de Bursheim, Conradus de Ulma aule nostre notarius, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo tricesimo nono, mense novembris, XIII indictione.

Datum apud Hallis, anno, mense, indictione prescriptis, feliciter. Amen.

ANNO 1240. — INDICTIONE 13.

Bischofsheim, 6 januarii.

Conradus, in Romanorum regem electus, scabinis et civibus de Frankinfort promittit quod amodo filias et viduas civium hujus urbis ad matrimonium cum famulis curiae suae non coarctabit.

(Edid. Böhmer, *Cod. diplomat. Moeno-Francof.*, t. I, p. 68.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalemitani, scabinis et universis civibus de Franckinvort fidelibus suis gratiam suam et omne bonum. Precibus vestris quas nostro culmini porrexistis super illo gravamine quod filias vestras ac relictas concivium vestrorum famulis

(*a*) Sic; verisimiliter tamen *de Smidelvelt*.

curie nostre nuptui traderemus favorabiliter inclinati, promittimus vobis de innata nobis benignitatis clementia quod nullomodo aliquas de filiabus aut relictis vestris ulterius volumus ad hujusmodi matrimonium coartare, nisi ad id voluntas bona vestra et earumdem interveniat concorditer et consensus. Volumus enim in hac parte deinceps vestro gravamini precavere.

Datum apud Byschovisheim, VI januarii, XIII indictionis.

Conradus, Romanorum in regem electus, Wernherum Hersfeldensis ecclesiae electum de regalibus juxta morem investit, ipsumque et ecclesiam ejus sub sua et imperii defensione recipit. Apud Hagenowe, 16 januarii.

(Edit. ap. Wenck, *Urkundenbuch*, t. III, p. 114, n° CXXI, ex originali.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolimitani, capitulo, ministerialibus, infeudatis, civibus et hominibus Hersveldensis ecclesie universis presentes litteras inspecturis fidelibus imperii gratiam suam et omne bonum. Noverit universitas vestra quod nos Wernherum venerabilem electum Hersfeldensis ecclesie presentatum nobis sub testimonio S. venerabilis archiepiscopi Maguntini sacri imperii per Germaniam archicancellarii, dilecti principis et procuratoris nostri, benigne recepimus, et eo quod licuit de sua canonica et unanimi electione, regalium investituram ei porreximus juxta morem, assumentes ipsum et ecclesiam eamdem cum personis et rebus que nunc tenet aut in futurum justis modis poterit adipisci, sub nostre et imperii defensionis presidium speciale. Quare ipsum electum et principem nostrum ac suam ecclesiam sub nostri favoris gratia remittentes, auctoritate paterna et propria mandamus vobis et precipimus quatenus ipsi super universis rationibus et juribus Hersveldensis ecclesie devote et concorditer intendatis, assistentes ei tanquam domino et abbati vestro ad honorem imperii contra quoslibet ecclesie invasores

Digitized by Google

ut gratia celsitudinis nostre quam ipsi gerimus, vobis suo interventu debeat favoris nostri ampliora premia reportare.

Datum apud Hagenowe, XV januarii, XIII indictione.

Apud Hagenowe, 15 januarii.

Conradus, Romanorum in regem electus, ad requisitionem Wernheri abbatis Hersfeldensis, sententiam principum promulgat qua deciditur officia hujus ecclesiae, postquam idem abbas investituram recepit, legitime vacare, exceptis quatuor principalibus.

(Edit. ap. SMINCKE, *Monum. Hass.*, t. III, p. 252. — PERTZ, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, p. 333.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis presentes litteras inspecturis fidelibus imperii gratiam suam et omne bonum. Noverit universitas vestra quod ad requisitionem Wernheri venerabilis abbatis Hersveldensis ecclesie, dictantibus eam nobilibus et aliis qui aderant, talis lata fuit coram nobis sententia et ab omnibus approbata quod quia de manu nostra regalium receperat investituram, legitime vacare debeant universa officia ecclesie Hersveldensis, exceptis quatuor principalibus que post se consequentiam summam trahunt. Unde ne de sententia hujusmodi in antea dubitetur, presentes litteras sigilli nostri munimine duximus roborandas.

Datum apud Hagenoe, XV januarii, XIII indictione.

Hagenowe, februario.

Conradus, in Romanorum regem electus, abbati et conventui de Paris confirmat donationem quam E. de Amelricheswilr eis fecit et quam Ulricus comes de Firretis, cujus idem E. ministerialis extiterat, approbavit.

Digitized by Google

(Edider. SCHOEPFLIN, *Alsat. diplom.*, t. I, p. 382. — HUGO, *Monum.*, t. II, p. 294.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filins, Dei gratia in regem Romanorum electus, semper augustns et heres regni Jerosolimitani, venerabili abbati et conventui de Paris Cisterciensis ordinis fidelibns suis gratiam suam et omne bonum. Donationem quondam E. de Amelricheswilr vobis et monasterio vestro factam, qnoniam idem E. tempore donationis ejusdem a proscriptione quam ante incurrerat mediante jnstitia fuerat absolntns, sicut in litteris quondam A. de Rossewac jnsticiarii imperialis curie continetur et nobilis vir Ulricus comes de Firrata cujus ministerialis idem E. extiterat, eamdem donationem rationabiliter approbavit, sicut in instrumento inde confecto vidimus plenins contineri, eamdem donationem auctoritate regia confirmamus; mandantes et per obtentnm gratie nostre firmiter inhibentes ne quis sit qui vos in ipsa donatione dicti quondam E. contra presentis confirmationis nostre paginam impedire, impetere vel molestare presumat. Ad hnjus itaque confirmationis nostre memoriam et robur in posterum valiturum, presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Hagnowie, anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo trigesimo nono, mense februarii, decima tertia indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, quatuor sententias principum promulgat et roborat, quas coram se Egeno Brixinensis electus obtinuit : 1. quod post suscepta regalia universa episcopatus officia possit conferre, exceptis quatuor principalibus; 2. quod excommunicatis possint feuda denegari; 3. quod oppignorationes et alienationes bonorum ad utilitatem ecclesiae possit revocare; 4. quod perdurantem in excommunicatione proscriptionis gladio possit ferire. Nordlingen, maio.

Digitized by Google

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 274, n° 764. — Hormayr, *Archiv für Suddeutschland*, t. I, p. 138, n° 1. — Pertz, *Monum. hist. Germ.*, t. IV, p. 333.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, et heres regni Hierosolymitani, universis presentes litteras inspecturis fidelibus imperii, gratiam suam et omne bonum. Tenore presentium ad modernorum et futurorum notitiam pervenire cupimus et protendi quod ad requisitionem Egenonis venerabilis electi Brixinensis ecclesie, dilecti principis nostri, post receptam investituram regalium per manus nostras, dictantibus eas principibus, baronibus et nobilibus qui aderant, idem subscriptas obtinuit sententias coram nobis : primo videlicet quod post suscepta regalia, universa officia episcopatus sui suis manibus sint soluta, exceptis quatuor officiis principalibus, que consequentiam post se trahunt. Item quod durantibus in excommunicatione, sua possint feuda denegari et detineri legitime, eo quod tales communione debita sint privati. Ad hoc, cum ipso jure nulle sint, eorum (*leg.* quod) universas obligationes pignorum, concessiones feudorum seu quascumque alienationes bonorum episcopatus sui factas imperii et sui capituli non accedente consensu, possit et debeat licite ad utilitatem ecclesie revocare. Preterea sententiatum exstitit ad instantiam principis memorati quod ratione gladiorum, spiritualis videlicet et materialis quibus sua episcopalis dignitas est fulcita, sex septimanis in excommunicationis vel proscriptionis vinculo perdurantem licite potest juxta terre consuetudinem, actore petente, percellere altero gladiorum, ita quod excommunicati proscribantur, et e converso proscripti excommunicationis sententia inuodentur. Ad quarum sentenciarum memoriam retinendam presentem paginam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Actum apud Nordelingen, anno gratie millesimo ducentesimo quadragesimo, mense maii, tercie decime indictionis.

Digitized by Google

Conradus, Romanorum in regem electus, praeposito, decano, capitulo, ministerialibus, civitati et hominibus Brixinensis ecclesiae et ducatus nuntiat se Egenoni Brixinensi electo investituram regalium per sceptrum et vexilla concessisse, mandans ut ei super juribus et rationibus suis concorditer intendant. Apud Nordlingen, 20 maii.

(Inedit. ex copia authentica quam nobis solita sua liberalitate communicavit cl. vir Boehmerus.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus, heres regni Jerusalem, preposito, decano totique capitulo, ministerialibus, civitati, necnon universis hominibus Brixinensis ecclesie et ducatus, fidelibus imperii, graciam suam et omne bonum. Devotioni vestre presentibus innotescat quod venientem ad presentiam nostram Egenonem venerabilem electum ecclesie vestre honore quo decuit recepimus, benevolam ei super petitionibus suis audientiam concedentes. Dum itaque sufficienter constaret nobis per litteras capituli, qualiter vota universorum in ipsum convenerant, et quod electus esset ad predicte ecclesie regimen divina gratia inspirante, utpote cui ex vita precedenti ultro se aperuit janua dignitatis, juxta mandata paterna que proinde recepimus, investituram ei regalium tam episcopatus quam ducatus sui, sceptro et vexillis, concessimus juxta morem. Et ut favoris et gratie nostre donis amplioribus augeatur, tam ipsum principem nostrum, quam ecclesiam Brixinensem, cum universis bonis et possessionibus suis, que nunc tenet aut in futurum justis modis poterit adipisci, sub nostre et imperii defensionis presidium assumpsimus; specialiter volentes ut sub umbra sui nominis pax et quies sit tam ecclesie quam personis. Remittentes igitur dictum electum ad ecclesiam suam, devotioni vestre mandamus auctoritate domini et patris nostri Romanorum imperatoris et nostra, precipientes firmiter et attente quatenus ipsum excipientes hylariter et benigne super universis juribus et rationibus suis tan-

Digitized by Google

quam domino et patri vestro devote sibi et concorditer ad honorem imperii intendatis, certum habentes quod pro favore quem ipsi gerimus adesse vobis graciam nostram in vestris oportunitatibus favorabiliter sentiatis.

Datum apud Nordelingen, vicesimo maii, XIII indictione.

Apud Nordlingen, 22 maii.

Conradus, in Romanorum regem electus, ad instantiam Egenonis Brixinensis electi, sententiam in curia sua latam promulgat quod nulli licitum sit praebere conductum per terram ipsius electi, exceptis imperatore et rege, nisi de praedicti electi licentia et assensu.

(Inedit. ex cop. authentica quondam a barone de Hormayr transmissa nobisque liberaliter a Boehmero communicata.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gracia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem, universis presens scriptum visuris fidelibus imperii graciam suam et omne bonum. Per presens scriptum notum esse cupimus tam presentibus quam futuris, quod ad instanciam et requisitionem Egenonis venerabilis Brixinensis ecclesie electi, annuentibus ei principibus et aliis nobilibus qui aderant, talis lata fuit sententia coram nobis: quod nulli licitum sit prebere conductum alicui transeunti per terram sive ducatum electi ipsius, exceptis imperatore et rege quibus id competit ex imperiali dignitate, nisi de predicti electi licencia et assensu. Unde ne de premissa sententia in antea dubitetur, ipsam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Datum apud Nordelingen, XXII maii, XIII indictionis.

Gamundiae, junio.

Conradus, in Romanorum regem electus, sculteto de Esslingen et advocato de Achalm mandat ut priorissam et conventum sanc-

timonialium apud Weiler mediante justitia favorabiliter commendatas habeant.

(Edit. ap. BESOLD, *Docum. rediv.*, t. II, p. 445.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerosolimitani. Per presens scriptum notum facimus universis quod nos qui personas religiosas et loca Deo dicata pio favore prosequimur, considerantes venerabilem priorissam et conventum sanctimonialium apud Wiler (1) nostro favore et juris subsidio indigere et nostri defensione culminis adjuvari, juxta devotas supplicationes earum, omnia bona earum et monasterii sui que juste tenent ad presens vel in antea justo acquisitionis titulo poterunt adipisci sub protectione domini et genitoris nostri, nostra et imperii recepimus speciali; precipientes districte auctoritate paterna et propria tibi sculteto de Ezelingen et tibi advocato de Achalme, ut dictum monasterium, priorissam et conventum dilectas fideles nostras in predictis bonis contra tenorem presentis protectionis nostre non permittatis ab aliquo temere molestari, sed in omnibus agendis earum ipsas habeatis mediante justitia favorabiliter commendatas, ne per defectum juris ad nostram cogantur curiam laborare. Ad hujus itaque protectionis nostre memoriam presens scriptum fieri et sigillo nostro jussimus communiri.

Datum Gamundie, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, mense junii, tercie decime indictionis.

Conradus, in Romanorum regem electus, judicibus, scabinis et civibus Coloniensibus scribit se comitibus Seynensi et Gelrensi defensionem eorum commisisse, promittitque quod compositionem nullam ipsis exclusis faciet ut firmiter sibi et imperatori patri suo adhaereant. Apud Ulmam, 7 julii.

(1) *Weiler*, prope Esslingen.

(Edider. Senckenberg, *Rare Schriften*, t. IV, p. 234. — Lacomblet, *Urkundenb. für die Gesch. des Niederrh.*, zw. band, p. 127, n° 247, ex origin. in archiv. civit. Colon.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, judicibus, scabinis et universis civibus Coloniensibus fidelibus imperii gratiam suam et omne bonum. Recipientes benignitate solita litteras quas nostro culmini destinastis, ad earum tenorem quo fides et devotio vestra constant quibus dominum et patrem nostrum, nos et imperium amplectimini, puro corde grates vobis referimus uberes et attentas. Et ecce ut possimus vicissitudinaria repensione fidei implere que a nobis petitis et speratis, per speciales litteras nostras defensionem vestram comitibus Seynensi et Gelrensi de quibus fiduciam gerimus specialem, duximus committendam; sicque universis periculis que pro emulatione pure devotionis vestre vobis imminere possent, scutum nostre gratie opponimus, quod tenore presentium de plenitudine nostri consilii confitemur quod contra omnes qui vos conati fuerint molestare pro eo quia domino et patri nostro Romanorum imperatori et nobis ad honorem imperii contra quemlibet adheretis, sive persone sint ecclesiastice vel mundane, bona fide astabimus nec vos dimittemus propter casum aliquem emergentem nec etiam compositionem aliquam vobis faciemus exclusis, per quam vobis queat detrimentum honoris vel rerum dispendium pervenire. Adjicimus quoque vestris meritis talem gratiam quod fidem et puritatem vestram recommendabimus domino et patri nostro et precabimus (*sic*) quod patentes suas litteras habebitis, ita quod occasione nulla vos deseret, sed vobis aderit perpetua gratia et favore. Quocirca universitatem vestram affectuose requirimus et monemus quatenus juxta promissam nobis fidem cum genitore nostro nobiscum et imperio tam confidenter fervore sincero ambulare curetis, ut inimicis nostris non detur locus in vobis per quem ulli emulorum vestrorum posset aliqua suspicio suboriri.

Datum apud Ulmam, septimo julii, XIII indictione.

Conradus, in Romanorum regem electus, hospitale de Ulma apud pontem superiorem super ripam Danubii ad honorem Sancti Spiritus exstructum sub sua protectione recipit, indulgens ut cuicumque liceat se cum mobilibus suis in eodem hospitali recipere. Apud Ulmam, julio.

(Edid. CARL JAGER, *Schwabisches Stadtewesen, Ulms Verfassungs, Urkundenb.*, p. 720.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, universis presentes litteras inspecturis fidelibus imperii in perpetuum. Inter cetera pietatis opera quibus regalis preeminentia decoratur, sicut hospitalitatis honor apud caritatis auctorem excellit, sic honeste cause merita Romanum regem favorabilem reddunt petitionibus subditorum ut digne compleat quod pie petitur et rogatur. Hac si quidem ratione ad modernorum et futurorum notitiam pervenire cupimus et protendi quod constituti coram nobis Ulricus de Hurnheim sacerdos vir venerabilis cum ministro et universitate civium de Ulma hospitale quod apud pontem superiorem super ripam Danubii ad honorem Sancti Spiritus erexerunt, in manus nostras liberaliter contradentes, humiliter supplicarunt ut ipsum hospitale, magistrum et personas in eo Domino famulantes sub nostra et imperii protectione speciali recipere dignaremur. Nos itaque pietate solita qua amplectimur et fovemus opera caritatis, dictorum fidelium nostrorum precibus favorabiliter inclinati, dictum hospitale et Ulricum ejusdem hospitalis magistrum cum personis in eo Domino famulantibus sub nostre et imperii defensionis presidium recepimus speciale. Ad ostendendam quoque favoris nostri gratiam quam circa loci predicti gerimus incrementum, indulgemus loco predicto ut quicumque se cum bonis suis mobilibus in eodem hospitali recipere voluerit et ibidem pauperibus subservire, id licite valeat, dummodo mercationes non exerceat in prejudicium mercatorum. Statui-

mus igitur et presentis scripti auctoritate per optentum gratie domini et genitoris nostri et nostre mandamus precipientes attente ut nulla persona humilis vel alta hanc nostre protectionis et favoris cartam presumat infringere vel venire ausu temerario contra illam. Quod qui presumpserit indignationem nostram et imperii se noverit cum ira Dei omnipotentis graviter incurrisse. Ad cujus rei robur presens scriptum sigilli nostri munimine fecimus roborari.

Actum anno dominice incarnationis M. CC. XL, mense julii, tercie decime indictionis.

Datum apud Ulmam, anno, mense, indictione prescriptis, feliciter. Amen.

Apud Memmingen, julio.

Conradus, Romanorum in regem electus, decisionem litis inter ecclesias de Raitenbuch et de Staingaden super bonis quae vulgariter Schilte appellantur, per Conradum pincernam de Winterstetten factam, ratificat et confirmat.

(Edit. ap. *Monum. Boic.*, t. VIII, p. 25, numeris XV et XVI.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus et heres regni Jerusalem omnibus in perpetuum. Dignum censemus et consonum rationi ut ea que nomine nostro fiunt nostra firmiter prosequatur auctoritas, ac decisiones litium a nobis munimen tale suscipiant quod malignus interpres timore pene evacuare nequeat vel etiam temporibus longitudo. Hinc siquidem tenore presentium ad modernorum et futurorum notitiam pervenire cupimus et protendi quatenus constitutus in presentia nostra Conradus pincerna de Winterstet familiaris et fidelis noster supplicavit nostro culmini ut quia in ipsum tanquam in arbitrum fuit a partibus compromissum, decisionem litis per ipsum nomine nostro factam inter ecclesias de Raittenbuch et de Staingaden super bonis que Schilte vulgariter appellantur, tam prepositorum Wittingovi et Perchtoldi quam ipsorum

conventuum accedentibus supplicatione humili et consensu, (quarum ecclesiarum utpote que ratione fundationis et advocationis et advocatie imperio et nobis spectant, teneremur dispendiis providere), ratificare et confirmare de mansuetudinis nostre gratia dignaremur. Cujus decisionis processus per eumdem pincernam statutus extitit in hunc modum: videlicet ut ipsa litis decisio que facta fuerat per Ulricum prepositum sancte Crucis et Ulricum plebanum majoris ecclesie Augustensis inter prenotatas ecclesias rata et inviolabilis in omnibus observetur. Cujus tenorem de verbo ad verbum his litteris duximus inserendum:

In nomine sancte et individue Trinitatis, amen. Memoria, ut quidem sapiens ait, cum sit res fragilis nec turbe rerum sufficiat, sollers ad hec hominum sibi cavit industria ut res provide gestas litterarum commendarent apicibus et hominum malitie et oblivionis occurrerent incurie. Hac igitur consideratione nos de Raittenbuch et Staingaden prepositi ad notitiam tam presentium quam futurorum presenti scripto devolvimus quod cum olim super nemore montis qui dicitur Ilchperg et novalibus tam in ipso monte quam in latere montis secus flumen quod dicitur Ilach versus Wilstigam et Buchardesowe innovatis, questio gravis ac diuturna verteretur, tandem post multos labores et expensas, bonorum ac discretorum virorum arbitrio, prepositi videlicet sancte Crucis et majoris ecclesie in Augusta plebani, qui ad hoc specialiter auctoritate imperialis aule a domino Maguntino fuerant auditores dati, humiliter ac devote nos subjecimus; fratrum quoque nostrorum accedente consensu, data fide in manus ipsorum vice sacramenti ut eorum staremus arbitrio, irrefragabiliter promisimus et ad penam centum marcarum argenti tali pacto hinc inde nos obligavimus ut si pars altera proterve respueret arbitrium, alteri partium hanc pecuniam solveret. Postmodum vero recepta a partibus sufficienti cautione, tale promulgarunt arbitrium videlicet ut utralibet ecclesia suis novalibus que propriis sumptibus et laboribus hactenus exculta fuerant et eorum quieta possessione et absque omni litis interpositione deinceps gaudeat, et nullis unquam temporibus in posterum ab ipsis novalia novari debeant: quod etiam sub pena decem librarum monete Augustensis partibus inhibitum est. Ligna quoque prefati nemoris ad usus communes seu

ad comburendum et structuras edificiorum habeant, excepta quadam silva que hactenus ab ecclesia Staingaden bannita specialiter fuit et ipsorum Banholtz vulgariter appellatur; unde nec sub prefato arbitrio comprehendi debuit. Annexum quoque fuit propter habundantem cautelam quod super sectione sepedicti nemoris custodes seu inspectores statuantur qui singulis annis diligenter inspiciendo precaveant ne quid in dampnum utriusque ecclesie immoderata lignorum sectione aut novalium inhibita innovatione contingat. Ut autem hec firma et inconvulsa futuris temporibus permaneant, memorialem hanc inde paginam conscribi placuit et tam nostris quam arbitrorum vel etiam prelatorum qui presentes tunc aderant, prepositi videlicet de Rotach et prepositi de Wyltin, sigillis duximus roborari. Hujus rei testes sunt Wittegow prepositus de Raittenbuch; de conventu ipsius Cunradus Frisingensis, Hermannus Zacherlinus, Conradus Custos, Ulricus de Hunsolgen, Conradus Scherarius, Hainricus de Schongow sacerdotes; ex diaconis Arno, Conradus, Hainricus scolasticus qui hoc scripsit; ex familia Hainricus villicus de Bebengaw, Otto cellerarius, Hilteprandus et Burckardus pictores, et alii. Item Berchtoldus prepositus de Staingaden, et de suo conventu Eberhardus prior, Fridericus de Augusta, Fridericus de Horne, Hainricus, Bezelinus, Rudolphus, Dietricus sacerdotes; ex diaconis Manegoldus, Hainricus, ex conversis Conradus, Ulricus; ex familia Hainricus Choleman, Ulricus Murator, Engelscalcus, et alii; de extraneis Hermannus de Sulzperch, Hainricus de Muûlhusen subdiaconus, Wernherus Zacherlin, Bernoldus miles et alii quamplures. Acta sunt hec anno Domini M. CC. XXXVIII, indictione XI, regnante Romanorum imperatore Friderico secundo, feliciter.

Adjecit quoque dictus pincerna statuendo ut bona que schilte vulgariter appellantur, de quibus erat questio, remaneant ecclesie de Raittenbuch, ita quod in eis nihil unquam debeat innovari, sed in eo statu quo nunc sunt perpetuo remanebunt. In quorum bonorum concambium et dampnorum restaurationem accipiet Staingadinensis ecclesia apud Osternrüten ubi sibi placuerit, excepta curte villicaria, in prediis ecclesie de Raittenbuch Augustensis monete annuos redditus unius libre. Idem etiam pincerna adjecerat arbitrando ut si altera predictarum ecclesiarum contra hanc

Digitized by Google

decisionem venire presumeret, hec alteri passe injuriam in quinquaginta III et eidem pincerne si superviveret vel tenenti insignia imperialia post ejus obitum in marcis argenti totidem pro transgressione hujusmodi teneretur, vel per amissionem prediorum suorum in Mülhusen aut Sibenaich puniatur. Attendentes itaque devotionem dicti pincerne, qualiter ad honorem Dei et pro reverentia imperii laboraverat in hoc facto, ejusque supplicationibus benignius inclinati, decisionem premissam prout rite facta est per ipsum, auctoritate domini et patris nostri et nostra ratificamus et presentis scripti munimine confirmamus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc decisionis ratificationis nostre paginam infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit indignationem omnipotentis Dei, imperii et nostram se noverit incurrisse.

Testes hujus rei sunt Cunradus de Matzenziess, Volchmarus de Chometen, Hainricus dictus Riedarius, Cunradus dictus Thrüch, Hermannus prepositus de Schongow, Cunradus Frisingensis, qui cum eodem pincerna super decisione hujusmodi juraverunt; Ulricus prepositus sancte Crucis, Ulricus plebanus majoris ecclesie, Waltherus canonicus Augustensis, et alii quamplures.

Ad evidentiam quoque negotii prelibati hanc paginam sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Acta sunt hec anno Domini M. CC. XL, mense julii, tertia decima indictione.

Datum apud Memmingen, anno, mense, indictione prescriptis, regnante domino et genitore nostro Romanorum imperatore Friderico secundo, feliciter. Amen.

Conradus, in Romanorum regem electus, vetustissimo diplomate regio, quod vulgari lingua exaratum legitur, quemdam arbitrii modum promulgat et confirmat, quo Folcmarus de Kemenathen, fidelis suus, et civitas sua de Kaufbeuren convenerunt ...... 25 julii.

Digitized by Google

super curia quadam ipsius Folcmari, inter civitatem praedictam et sepimentum quoddam illius sita, ut sic in communitatem civitatis recipiatur.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XIII, p. 1250. — *Comment. Gott.* de ann. 1753, p. 207, cum fac simile et sigillo. — *Monum. Boic.*, t. XXX, p. 279, n° 766, ex origin. in archivo civitatis Kaufburon. — Inter imperialia documenta hoc antiquissimum est quod idiomate Germanico exaratum fuerit; secundum in vulgari lingua non ante annum 1274 1° februarii reperitur; ex quo tempore paulatim hujusmodi documenta redigi coeperunt, frequentissime tamen admissa post Henricum dictum *de Luxembourg*, qui aliena lingua usus nullum germanice privilegium exhibuit.)

Namen gotes, amen. Wir Cuonrat im Romschen kunc erwelt von der gotes gnade unde erbe des kuncriches ze Jerusalem. Tun kunt allen den die disen brief iemmer gesehent daz wir Folcmaren von Kemenathen unde unser stat ze Buoeron alsus verschieden under ein ander Folcmar hat gegebin den burgaeren unde der stat ze wider wehsel den hof, der hern Hermannes was des phaffen der da lit nidenan an der stat under den barmin, und als sin Staingruoebe gat uf an den geworfen wec und die Rihte an den anderen berc, unde dannan an sin selbes zun unde swaz in den zvuoenin iezuo begriffen ist, daz sol er buowen und sol och mit buwe nit me begriffen. Da wider swaz buoerere gemeinde hant, daz sol och sin Volcmars gemeinde und swaz er oder sine nachkomelinge gemeinde hant, daz sol och Buoeraer gemeinde sin, und swaz nit en buwe lit da suoln sie getraten sin beidenthalp von der burc unz an die stat, und von der stat unz an die burc und ist och also gescheiden, swaz Buraeren schaden uf dem iren geschiht, mit gewalte und wizzintliche, daz sol man in gelten unde bezern als reht ist, und sol doch der schait dar nach staeite sin. Hier an was Conrad der schenke von Wintherstet unser getriwer und Conrad der Liutkirchaer der amman von Buoeron, und daz diz staete belibe so hiezen wir disen brief besigeln, mit unserm insigele.

Dirre brief ist gegeben und geschriben von unsers Herren geburtlichem

tage tusent zwaihundert und fierzech iar, innan Hovwotse (1), an sancte Jacobes tage, saeiliche. Amen.

Conradus, Romanorum in regem electus, praepositum et conventum de Soreth cum omnibus eorum possessionibus sub protectione sua recipit et a jure advocatitio eximit. Apud Biberach, augusto.

(Edit. ap. LUNIG, *Reichsarchiv*, t. XVIII, p. 750.)

In nomine Sancte et individue Trinitatis, Conradus divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerusalem. Ad promovendum salubriter ecclesiarum statum, illius intuitu cujus nomine sunt dicate, de cujus clementia regnamus feliciter, necnon ut in bonis et libertatibus earum favore nostro servetur integritas, tanto favorabiliter inducimur et tenemur quanto in conspectu Altissimi gratiores efficimur, de cujus bonorum plenitudine recepimus universa. Hac si quidem ratione ad modernorum et futurorum notitiam tenore presentium cupimus pervenire quod constitutus in presentia nostra. . . . . venerabilis prepositus in Soreth pro se suisque fratribus serenitati nostre humiliter supplicavit ut locum ipsum et personas in eo Domino famulantes protectionis et favoris nostri gratia munire misericorditer dignaremur. Incrementis itaque dicti monasterii et fratrum quieti de innata nobis regia mansuetudine intendere cupientes, inclinati favorabiliter supplicationibus prepositi prenotati, cenobium idem Soreth ad plantandam vineam Domini et personas in eo divino cultui mancipatas cum universis dominibus (*sic*), bonis et possessionibus suis

---

(1) Multoties ad hunc locum elucidandum labor frustra tentatus est (Vid. LANG, in *Hermes*, t. XXX, p. 141). Difficultatis tamen solutio, ut monet Boehmerus (*Regest.*, p. 259, nº 25) simplex videtur : nam *innan Hovwoste* idem sonat ac *im Heuet* sive *in der Heuerndte*, scilicet tempore feniseccii, ut ita festum Beati Jacobi in mense julio ab altero quod in mense maio incidit, distinguatur.

Digitized by Google

tam mobilibus quam immobilibus, sylvis, pratis, agris, pascuis, piscariis, aquis aquarumque decursibus quorum quedam propriis vocabulis duximus exprimenda : predium in Olzreüthe, curiam in Tunzenhus, curiam in Aminzinwiler, in Churembach, in Hopferbach, in Dürnon, in Gaizbuerron, predium cum vinea in Mezingen et suis attinentiis, predium in Schammon, curiam in Althaim, predium in Ingerkingen, predium in Zollervetin, in Mochenwang, curtem in domo Bertholdi ministri de Biberach et ejus pertinentiis, cum universis aliis bonis suis que nunc rite tenent et possident aut in futurum justis modis poterunt adipisci, sub nostre et imperii protectionis presidio recipimus speciali. Et cum incolatus eorum de bono in melius proficiat jugiter sub nostra gratia et favore, indulgemus predictis fratribus ut prorsus absque omni thelonii exactione per universa fora (*a*) imperii negotiationes suas valeant exercere et ut pro necessitate claustri sui in forestis et sylvis nostris succidendi ligna liberam habeant potestatem. Adjicimus preterea hanc gratiam cenobio prelibato ut ministeriales, mercatores seu rustici sive cujuscunque sexus aut conditionis homines se vel de suis mobile vel immobile conferre valeant dicte ecclesie de nostra licentia et assensu. Volentes et statuentes nihilominus ut idem claustrum, sicut et alia cenobia immediate pertinentia Romane sedi, privilegiata libertate gaudeat in eo quod jure advocatitio nec nobis nec alteri cuiquam sit obnoxium aut ratione servitii teneatur. Statuimus igitur et presenti sancimus decreto, auctoritate domini et patris nostri Romanorum imperatoris et nostra firmiter inhibentes ut nulla persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, hanc nostre protectionis et gratie paginam presumat infringere vel ei ausu temerario contraire. Quod qui presumpserit indignationem Dei vivi nostramque et imperii offensam se sciat graviter incurrisse. Ad hujus itaque rei robur et stabilem firmitatem, presens privilegium conscribi et sigillo nostre celsitudinis fecimus roborari.

Testes hujus rei sunt comes Wilhelmus de Thuwingen, comes Wolfradus de Veringen, Craffto de Crutheim, comes Otto de Kirchberg, Eber-

(*a*) In impresso *fore*, male.

hardus et filius suus de Aichheim, Conradus pincerna de Winterstett, Otto Berchtoldus dapifer de Waltpurg, Fridericus de Hochenberg, Bertholdus de Fronhofen, Ulricus de Warthausen et alii quamplures.

Actum anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, mense augusti, tertia decima indictione.

Datum apud Biberach, anno, mense, indictione prescriptis, regnante domino et genitore nostro Friderico secundo Romanorum imperatore, feliciter. Amen.

Conradus, in Romanorum regem electus, ad petitionem abbatissae de Wald ordinis Cisterciensis, et de consensu civium suorum de Uberlingen, eidem abbatissae et conventui ejus concedit ut bona quae ibidem habent in vineis et domibus, eximantur a precariis sive taliis quae pro tempore imponuntur. Apud Uberlingen, augusto.

(Edit. ap. LASSBERG, *Anzeiger für Kunde der Teutschen Vorzeit* (Karlsruhe, 1836), p. 117, ex origin. in arch. Sigmaringen.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Conradus divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus. . . . . heres regni Jerusalem in perpetuum. Regalis pietas tunc precipue sui nominis titulos ampliat et extollit. . . . . tuitu profectum locorum venerabilium circa preces sanctarum Dei feminarum se effundit misericorditer et exhibet liberalem. Tenore presentium ad modernorum et futurorum notitiam pervenire cupimus et protendi quod constituta coram nobis venerabilis. . . . . abbatissa de Walde ordinis Cystercienslum fidelis nostra pro parte conventus ejusdem ecclesie celsitudini nostre humiliter supplicavit ut voluntate civium de Uberlingen fidelium nostrorum bona ipsarum que ibidem habent in vineis et domibus in presenti a precariis sive taliis que pro tempore imponuntur, de pietatis nostre gratia ampliori eximere dignaremur. Nos itaque ut juri dictorum civium

nostrorum evidens injuria non fieret, ipsis pariter ad nostram presentiam convocatis et obtento de totius universitatis gratuita voluntate quod per eandem. . . . . abbatissam primitus petitum fuit, sicut in eorumdem civium litteris plenius continetur, tandem favore quo ad profectum feminei sexus facilius nostra consuevit sublimitas inclinari, predicte abbatisse supplicationibus annuentes, supradicta bona ejusdem monasterii que apud Uberlingen tenet et possidet in vineis et domibus in presenti, perpetuo ab omni talliarum et exactionis genere quolibet auctoritate. . . . . Romanorum imperatoris serenissimi et nostra duximus eximenda; ita tamen quod si de novo aut titulo emptionis aut piarum elemosynarum largitatis. . . . . aut alio modo aliquo bona aut predia que jam servitiis nostris tenentur obnoxia, eidem ecclesie fuerint acquisita, sicut tenebantur ita deinceps ad precarias teneantur que pro tempore fuerint requisite. Ad cujus rei robur perpetuo valiturum, presentem chartam sigilli nostri munimine duximus roborandam.

Testes hujus rei sunt Heinricus venerabilis Constantiensis episcopus, Conradus Augensis, Burchardus Rinaugiensis abbates principes, Bilgerinus prepositus majoris ecclesie Constantiensis, Eberhardus prepositus sancti Stephani, C... (*a*) Hartmannus de Qniburg,. . . . . . . Crafto de Crutheim, Cuno de Minzenberc imperialis aule camerarius, Conradus pincerna de Win[terstett], Otto Bertholdus. . . . . (*b*) de Walpurc, Wolkmarus de Kemenathen, et alii quamplures.

Acta sunt hec anno Domini millesimo. . . . . quadr. . . . . augusti, tercia decima indictione (*c*).

Datum apud Uberlingen, anno, mense, indictione prescriptis.

(*a*) Verisimiliter legendum *comes*.

(*b*) Supplendum *dapifer*, sicut supra.

(*c*) Post hanc vocem interpolatur, qui nescimus, notatio *X*, forsitan ex amanuensis oscitantia, qui vocem *decima* numero romano denuo exprimere voluerit.

Digitized by Google

Conradus, Romanorum in regem electus, scultetis de Vilingen, de Rotweil, de Schaffusa, de Esslingen, de Ulma et de Uberlingen mandat se eorum defensioni commisisse abbatem et conventum de Salem, praecipiens ut eorum causas audiant et eos in hominibus et bonis manuteneant. Apud Vilingen, 5 septembris.

(Inedit. ex libr. privileg. monast. Salemit. in archiv. Karlsruh., t. IV, fol. 423.)

Conradus divi augusti imperatoris Frederici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Jerusalem, scultetis de Vilingen, de Rotweil, de Schaffehusa, de Esselingen, et Ulme et Uberlingen, fidelibus suis, gratiam et omne bonum. Supplicationibus venerabilis abbatis et conventus de Salem fidelium nostrorum favorabiliter inclinati, ipsos cum hominibus et universis bonis suis que vestre jurisdictioni adjacent, defensioni vestre duximus committendos; auctoritate paterna et nostra precipientes vobis firmiter et districte quatenus causas eorum audiatis benignius et eos in predictis bonis et hominibus suis tam efficaciter manuteneatis et defendatis ne ab aliquorum temerariis invasionibus molestentur.

Datum apud Vilingen, V septembris, XIII indictionis (1).

Conradus, in Romanorum regem electus, auctoritate patris sui et sua, Alhardum abbatem de Ebrach et conventum ejus, Cisterciensis ordinis, cum personis et bonis, nominatim cum praedio et parrochia de Swabach, in specialem protectionem recipiens, juxta Apud Nuremberg, novembri.

(1) Hic locus magnum opinioni nostrae fulcimentum addit, videlicet quod Conradus indictione Cesarea, non vero Graeca, uti solitus fuerit.

Digitized by Google

primariam institutionem ab omni advocatia eximit, excepto solo imperatore.

(Edit. ap. *Privileg. Eberacens.*, t. II, p. 7, n° 49. — Wölckern, *Histor. Norimb. diplom.*, t. II, p. 108, n° 12. — Falkenstein, *Cod. diplom. antiq. Nordg.* t. IV, p. 51, n° 36, et in ejusdem *Chronico Schwabacensi*, p. 19. — *Monum. Boic.*, t. XXX, pars I, p. 279, n° 767, ex originali cujus sigillum nonnihil laesum ex filis sericis rubri et albi coloris appendet.)

In nomine sancte et individue Trinitatis. Cunradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gracia Romanorum in regem electus semper augustus et heres regni Iherusalem. Regalis excellentia tunc precipue sui nominis titulos ampliat et extollit cum loca divino cultui mancipata et personas in eisdem Domino famulantes pia mentis affectione in suis fovet juribus et eorum supplicationibus favorabiliter se inclinat. Hac siquidem ratione ad modernorum et futurorum plenam noticiam pervenire cupimus et protendi quod nos ad supplicationem Alhardi venerabilis abbatis de Ebra suique conventus Cisterciensis ordinis, fidelium nostrorum, salubriter ad imitacionem divorum progenitorum nostrorum ipsam ecclesiam Ebracensem cum personis et omnibus bonis suis et specialiter cum predio de Swabach cum attinente sibi parrochia ejusque pertinentiis sub nostre et imperii protectionis presidio assumpsimus speciali; auctoritate paterna qua fungimur et nostra firmiter statuentes ut sicut ordo Cisterciensis ab omni advocatorum genere juxta primariam institutionem suam semper liber extitit et immunis, sic deinceps eadem ecclesia excepto solo Romanorum imperatore nulli prorsus advocatorum nisi cui voluntarie se subjecerit, ita quod velle suum postea valeat immutare, per predia et possessiones suas aliquatenus sit subjecta. Quocirca mandamus per obtentum gracie domini et patris nostri Romanorum imperatoris Friderici secundi et nostre precipientes firmiter et districte ut nulla sit persona humilis vel alta, ecclesiastica vel mundana, que predictum monasterium et personas in eo Domino famulantes super premisso predio in Swabach et ecclesia prenotata cum suis pertinentiis presumat vel audeat contra presentem nostram gratiam

molestare. Quod qui presnmpserit indignationem nostram et imperii se noverit incurrisse.

Hujus rei testes snnt Hermannns Herwipolensis, Fridericns Heistetensis, Landolfus Wormaciensis episcopi, Hainricus langravius Turingie, Gebehardus de Arnstein, Gotfridus de Hoheuloch, Krafto de Bokesberc, Cunradus pincerna de Wintersteten, Cunradus de Smidevelt, Marquardns buttigularius de Nurembere, Cunradus notarins et alii quamplnres.

Acta anno dominice incarnationis millesimo ducentesimo quadragesimo, mense novembris, qnartedecime indictionis.

Data apnd Nurenberc, mense, indictione prescriptis, feliciter. Amen.

ANNO 1241. — INDICTIONE 14.

Conradus, in regem Romanorum electus, sculteto et universis civibus de Esslingen scribit se fratribus praedicatoribus ibidem degentibus concessisse licentiam vendendi uni de civibus domum et aream quam habent ante portam civitatis ejusdem. Apud Spiram, 6 martii.

(Ineditum ex copia authent. in arch. Stuttgart., quam nobis exhibuit vir egregius Kausler.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus semper augustns et heres regni Ierosolimitani, sculteto et universis civibus de Ezelingen fidelibus snis gratiam suam et omne bonum. Devotis supplicationibus fratrum ordinis predicatorum apnd vos degentium favorabiliter inclinati, de plenitudine consilii nostri plenam eis dedimus facnltatem nt domnm et aream quam habent ante portam civitatis vestre, nni de civibns vendere valeant de domini et patris nostri et nostra licentia et assensu. Unde ne quisqnam senciat contrarium in hac

parte, ipsos fratres super hoc presenti scripto munivimus, sigilli nostri munimine roborato.

Datum apud Spiram, VI marcii, XIIII indictionis.

Apud Frankenfort, 6 aprilis.

Conradus, in Romanorum regem electus, pactum inter Johannem Golstein et Ulricum Longum cives Frankenfurtenses de acquisitione villae de Vechenheim statutum confirmat.

(Edider. Lersner, *Frankfurt. Chronik*, pars II, p. 177. — *Beschr. der Hanau-minz. Lande*, p. 106.—Böhmer, *Cod. diplomat. Moeno-Francofurt.*, t. I, p. 69.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Ierosolimitani, universis imperii fidelibus gratiam suam et omne bonum. Supplicavit celsitudini nostre Johannes Golstein civis de Frankenford fidelis noster quod cum ipse et quondam Ulricus Longus civis ibidem villam de Vechenheim cum appenditiis suis pro centum marcis concorditer comparaverint, statuentes inter eos ut uno ipsorum decedente alter dictam villam cum omnibus appendiciis, persoluta altera medietate nominate pecunie heredibus suis, sibi usurpare et possidere libere deberet, tale pactum et statutum sibi de nostra gratia confirmare dignaremur. Nos igitur supplicationibus suis favorabiliter inclinati, idem pactum et statutum ratum et gratum habemus, presentibus litteris illud confirmando; firmiter inhibentes ne quis ipsum contra hanc nostre confirmationis auctoritatem in dictis bonis gravare vel molestare presumat. In cujus rei memoriam presentem cedulam sigillo nostre celsitudinis duximus muniendam.

Datum apud Frankenfort, anno Domini M. CC. XLI, VI aprilis, XV indictione (1).

(1) Indictionis numerus anno Domini 1241 non convenit; forsitan legendus *XIV*, nisi anni notatio unitate careat, et vici sim *MCCXLII* legendum sit. Documentorum ope destituti unde itinerarium sat bene liqueat, utri anno hanc cedulam debeamus referre non plane certum habemus.

Digitized by Google

Henricus, Constantiensis episcopus, statuta ab archiepiscopo Maguntino in concilio Erfordensi edita super crucem contra Tartaros ab omnibus assumendam, per totam suam dioecesim promulgari mandat. Erfordiae, 26 aprilis.

I.

(Edid. BERNET, *Der Geschichtsfreund. Mittheilung. des historisch. vereins der Funf-Orte* (Einsiedeln 1844, 8°), t. I, p. 351-355; ex originali, prout asseritur, quondam in archivo fratrum minorum, nunc in archivo Lucernensi asservato. Emendationes quas vir optimus Fr. Boehmerus ad elucidandum hoc magni momenti documentum nobis proposuit, libenter admisimus.)

H. Dei gracia Constantiensis ecclesie episcopus, dilectis in Christo fratri Anshelmo custodi minorum fratrum super Lacum, et fratribus ejusdem custodie, salutem in Domino. Licet igitur dominus archiepiscopus Maguntinus, secundum prudentiam sibi a Deo datam, multa statuta de consilio principum ediderit negotio crucis contra Tartaros plurimum profutura, tamen quia tale ac tantum negocium multam requirit auctoritatem in hiis qui predicant verbum crucis, multamque requirit latitudinem in statutis, nos volentes ut negocium predictum inoffenso pede currat in nostra dyocesi, et per Dei gratiam fructum afferat copiosum, damus vobis plenariam potestatem predicandi crucem et absolvendi omnes excommunicatos, tam illos quorum absolutio ad nos pertinet, quam etiam illos quorum absolutionem dominus papa sibi specialiter reservavit. Quod autem hoc ultimum pro tanta necessitate Ecclesie facere possimus, rationibus probari posset, si hoc prolixitas epistole non vetaret. Hoc etiam expressum est in nova decretali domini pape Gregorii noni extra de excommunicatione: *Quamvis incidens*, etc. (1). Item damus vobis potestatem commutandi vota omnia

---

(1) Cf. *Corpus juris canonici*, cap. 58, lib. 5, tit. 39.

in hoc votum. Item conferimus vobis potestatem convocandi clericos majores et minores et laicos divites et pauperes ad audiendum verbum Dei et predicationem crucis, et ad hoc per censuram ecclesiasticam si necesse fuerit compellendi. Omnes etiam qui confluunt ad predicationes vestras recipimus sub protectione beate et gloriose Virginis Marie et beatorum apostolorum Petri et Pauli et nostra, sub interminatione anathematis firmiter prohibentes ne aliquis quamdiu sunt in eundo ad predicationem, vel redeundo, vel ibidem existentes, in persona vel in rebus eos audeat molestare. Sane venientibus ad predicationem vestram potestis dare auctoritate nostra indulgentiam XL dierum, ut sic homines ad predictum subsidium Ecclesie efficacius inducantur. Ad eundem etiam finem habendum statuimus, ut quicunque adeo dives fuerit ut et sibi et alteri possit in expensis hujus itineris providere, si noluerit alteri indigenti gratis in remissionem omnium peccaminum suorum pecuniam mutuare, accepta tamen de solutione mutuate pecunie ydonea cautione, saltem pro moderata usura sortis superhabundantia mutuet indigenti, hoc sciens quod ecclesia eum ad restitutionem usure sic recepte non coget, nam talem sue conscientie relinquendum decrevimus in hoc casu. Item statuimus ut illi qui non vult ire contra Tartaros, dummodo secundum vires facultatum suarum, vel certe secundum arbitrium vestrum, det aliquid de rebus suis in subsidium Ecclesie, detur eadem indulgentia, que datur ei qui crucis signaculo vult signari. Item ut sollempniter penitentes, sive sint homicide sive alii, possitis auctoritate nostra reconciliare Ecclesie, et absolvere a sollempni penitentia qui ad eam tenentur, et ut sepultis in campo in quibus signa penitentie in extremis vite sue apparuerunt et aliqui pro eis signantur (a), et ut in locis que a nobis interdicta sunt possitis celebrare divina, cum vobis visum fuerit crucis negotio expedire, vobis conferimus plenariam potestatem. Clericis etiam volentibus signari signo crucis contra Tartaros concedimus ut possint obligare redditus beneficiorum suorum ad annum unum vel duos, ita tamen si sine tali obligatione non possint necessaria hujus itineris comparare, et breviter omnem potestatem nostram, quan-

(a) Ibi quaedam deesse videntur.

Digitized by Google

tum ad hoc negotium pertinet, in vos transfundimus, ut sic facilius et efficacius negotium Ecclesie contra predictos Tartaros pertractetur. Item volumus ut ordinationem domini regis de pace servanda populo nuntietis. Statuit enim dominus rex ut per totam Theutoniam pax firma et sincera usque ad festum beati Martini presentis anni ab omnibus inviolabiliter observetur; quod si aliquis aliquem crucesignatum in persona vel in rebus propria auctoritate leserit, decrevit dominus rex quod si talis per VII idoneos testes convinci potest de objectis criminibus, vita pariter et rebus, tanquam scismaticus et destructor Ecclesie, puniatur; quod si forte deprehendi non potest, infamem tamen et illegitimum ad omnes legitimas actiones, et ut omnia bona sua applicentur fisco regio, statuto suo nuper decrevit in Ezelingen de consilio principum promulgato. Sane cum dicat Scriptura : « Cum ignoremus quid agere debeamus, hoc solum residui habemus ut oculos nostros ad Dominum dirigamus », statuimus ut ad placandum Dominum orationes et processiones fiant in nostra dyocesi sub hac forma : in qualibet missa vivorum post Agnus Dei, ante communionem, dicatur psalmus : *Deus venerunt gentes,* flexis genibus, et kyrieleyson Christe eleyson, Pater noster et collecta : *Deus a quo sacra desideria,* pulsatis insuper ter campanis. Item volumus et mandamus, ut in qualibet sexta feria quelibet conventualis ecclesia infra septa sua processionem faciat cum VII psalmis et missam dicat, hanc scilicet : *Salus populi ego sum.* Si vero festum in feria sexta occurrerit, processio fiat in tertia vel quarta feria precedente, et ut Dominus hiis placatus ab imminenti periculo liberet populum christianum : *Nisi quod redemptor,* etc. Si quis igitur pro defensione nominis christiani et pace, pro suorum remedio peccatorum, et ut demum a populo supplicante propitiationem suam Dominus non abscidat, crucesignari voluerit contra Tartaros maledictos, nos de omnipotentis Dei misericordia et beati Martini confisi pro omnibus peccatis suis de quibus vere contritus fuerit et confessus, damus eidem crucem, devotioni vestre mandantes ut et vos vice nostra crucis gloriam predicetis, et signetis eos qui desiderant signum crucis. Si vero Deus amoverit a nobis gentem dictam, ita ut conflictus non sit necessarius cum eadem, volumus ut super absolutionem que ad Romanam sedem specia-

liter spectat, super furtis, usuris pariter et rapinis, pro qualitate et quantitate delictorum suorum crucesignati consilium nostrum accipiant et mandatum, vel vestrum et eorum quibus in hac parte vices vestras duxeritis committendas. Demum etiam volumus quod parrochiani omnes in suis parrochiis cruce subditos suis signent (*sic*). Circa quod principum [sententia] est decretum, quod usque ad Nativitatem Christi proxime nunc venturam, omnes crucesignati bajulent crucem suam tam in vestibus quam in corde, et ex tunc de vestibus qui voluerint crucem deponant, eam tamen firmiter in corde tenentes, ut si dictos inimicos in nos invehi contigerit, iterato ipsis continuo resistatur. Damus etiam et dant archiepiscopus Magdeburgensis et suffraganei ejus prelatis suis, sicut nos vobis, plenariam potestatem absolvendi omnes excommunicatos secundum formam juris, etiam si essent ad Romanam curiam destinandi. Recipimus etiam omnes crucesignatos in personis et rebus et omnibus juribus ipsorum in protectionem Apostolice Sedis et nostram, statuentes ut quicunque ipsos offenderit in predictis, auctoritate Sedis Apostolice et nostra per censuram ecclesiasticam compescatis eundem. Insuper et omnes ferent sibi auxilium crucesignati sicut contra Tartaros, violentias et injurias repellendo in remissionem omnium peccatorum. Decretum etiam est quod domini spirituales et seculares judices quilibet suos homines compellant ad defensionem terre et fidei christiane, nisi impedimento legitimo teneantur. Unde cum omnes tales oporteat obedire, decretum est ut ad majorem securitatem crucis signaculo muniantur. Ad hec omnes captivi et fidejussores eorum et quibuscunque debitis obligati, inducias habebunt usque ad festum beati Jacobi nunc venturum, et in nullo debito medio tempore crescet usura. Et quicunque debitorem suum interea vel post de fide arguere presumpserit violata, debet ab episcopis excommunicatione puniri et a domino seculari, qui jurisdictionem habuerit super illum secularem, bonorum omnium publicatione mulctari. Proscripti etiam et quibuscunque inimicitiis occupati, si signati fuerint medio tempore, pacem habebunt. Volumus igitur quod signentur juvenes, senes, pauperes, divites, debiles et infirmi, viri et mulieres, clerici et laici; ita tamen quod qui ad iter necessarii non videntur, de bonis suis fortes et pauperes promoveant ad

Digitized by Google

euudem secuudum uostrum cousilium sive vestrum. Omnes igitur qui omnium predictorum vel alicujus violatores exstiterint, excommuuicatioui subjaceant et rerum omuium publicatione perpetua decrevimus puuiendos. Volumus etiam et sub excommuuicatione precipimus, ut tam in armis, equis et dextrariis, quam iu victualibus et aliis necessariis forum competeus et consuetum per totam vestram proviuciam habeatur. Et nihilominus est decretum quod hac necessitate durante uemo se iudnat vestibus preciosis, quia in arma et fortes equos est pecuuia couvertenda. Hec omnia, etc. Sicut itaque subditis nostris ita scripsimus et iujuuximus, ita fraternitatem vestram hortamur et contestamur in Domino studiose, quatinus et vos cousuleutes necessitati nominis christiaui in predicatioue crucis et consiguatioue servorum Christi, dictum modum iu nostra dyocesi observetis, ut Deus totius christianitatis humilitate respecta super nequitia gentis sue placabilis habeatur.

Datum Herfordie, VII kalendas maii, pontificatus uostri anuo XI (1).

II.

(Edit. ap. Hormayr, *Die Gold. Chronik von Hohenschwangau*, Abtheilung, p. 69, n° 7.)

H. Dei gratia Constantiensis ecclesie episcopus, dilectis in Christo fratribus minoribus iu sua dyocesi commorantibus salutem in vero salutari. Constantiae, 24 maii.
Cum a veuerabili patre sancte Maguntine sedis archiepiscopo jam receperimus in mandatis ut contra Tartaros persecutores fidei christiane qui

(1) Quum undecimus annus pontificatus Henrici Constantiensis episcopi non ante mensem aprilem 1243 incipere potuerit, epistola vero ad annum 1241 luce clarius referenda sit, arbitrari licet, sicut ipse Boehmerus suspicatus est, annum pontificatus Sifridi Maguntinensis archiepiscopi, qui anno Christi 1241 undecimus recte numerabatur, in ista mandati notatione fuisse usurpatum. Simpliciorem tamen rei enodandae modum forsitan admiserit qui pro *anno XI* legerit *anno IX*. Nihil enim obstat quin Constantiensis episcopus una cum archiepiscopo Maguntino caeterisque praelatis apud Erfurth, mense martio et aprili 1241, convenerit. Cf. *Annal. Wormat.*, ap. Boehmer, *Fontes*, t. II, p. 180.

multis regnis et terris destructis jam fines Maguntinas invaserunt (1), faceremus crucem per nostram diocesim predicari, cumque sicut frequenter a fide dignis accepimus, communis utilitas et totius christianitatis necessitas id exposcat, discretionem vestram rogamus et exhortamur in Domino, vobis in remissionem peccaminum injungentes ut crucem, secundum formam et indulgentiam a dicto domino archiepiscopo et a nobis traditam (2), per nostram dyocesim predicetis, omnes Christi fideles ad crucesignandum pro defensione nominis christiani et patrie fideliter et efficaciter inducendo.

Datum Constantie, anno Domini M. CC. XLI, VIII kalendas junii.

[Maio exeunte.] Conradus, Romanorum in regem electus, universis principibus et nobilibus in partibus Germaniæ inferioris constitutis nuntiat se crucem apud Esslingen assumpsisse contra Tartaros, et exercitum circa primos julii dies apud Nuremberg convocavisse.

(Edider. Schannat, *Vindem. litter.*, t. I, p. 204. — Pertz, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, p. 339.)

Conradus divi augusti imperatoris Friderici filius, Dei gratia Romanorum in regem electus, semper augustus et heres regni Jerosolimitani, dilectis sibi universis principibus, comitibus et nobilibus ceterisque imperii fidelibus in partibus inferioribus constitutis gratiam suam et omne bonum. Pro honore Jesu Christi et defensione fidei christiane, communicato consilio principum multorum, magnatorum (*sic*) et aliorum imperii fidelium qui aderant in festo Pentecostes jam preterito (3), contra gentes barbaras

---

(1) Scilicet episcopatus Pragensem et Ollmutzensem, qui Maguntino suffraganei habebantur.

(2) Ad prius documentum, quod supra, alluditur.

(3) Scilicet 19 maii.

qne Tartari nominantur et deos invocant alienos, apnd Ezzelingen victoriosissimum signnm crucis dnximus assnmendum, tali conditione premissa ut ex eo summo pontifici non simus tamen aliquatinus obligati, sed qnod tantum imperium in ista parte Alpinm ab invasione dictorum Tartarorum defendamus, ipsamqne crucem geremns usque ad festum beati Martini (1) et ulterins si contra ipsam gentem Tartaream ad honorem Domini est gerenda; proponentes in octava instantis festi Johannis Baptiste (2) nostrnm feliciter exercitum apud Nuremberc congregare, ex tunc una vobiscum et Christi fidelibus sine mora contra canes Tartareos magnifice processnri; rogantes et monentes attente universitatem vestram qnod ad honorem et gloriam redemptoris nostri crncis faciatis nbique gloriam predicari, ad destructionem gentis dicte vos modis omnibus preparantes ut ab eo qui non vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur et vivat, digna retributionis premia in eterna gloria reportetis.

Mandata imperatoris in Germaniam transmissa de viis adhibendis unde melius invasioni Tartarorum occurratur. [Maio vel junio.]

(Edid. Pertz, *Monum. Germ. hist.*, t. IV, p. 339, juxta cedulam quae litteris Friderici secundi (cf. supra, p. 1142) in codice Œnopontano subjungitur.)

1. Principes non ineant campestre bellum cnm Tartaris, sed terminos suos defendant ne si contingeret eos succnmbere, quod Deus avertat, non possint vires suas de cetero congregare.

2. Habeant balistarios.

3. Non fiat cervisia, sed frnmentnm servetnr.

4. Non dncantur victualia ad Rheuum, sed tantum ad loca defensionis.

---

(1) 11 novembris.

(2) Scilicet primo julii.

5. Item habens tres marcas in redditibus habeat scutum quod dicitur Setzischilt.

6. Item prohibeatur continua taberna.

7. Item vestes preciose.

Viennae, 13 Junii.

Fridericus, dux Austriae et Styriae, Conrado Romanorum in regem electo scribit de statu Hungariae et Tartarorum, monens quod divisis imperii copiis una pars per Austriam, alia per Bohemiam descendat, ut deinde suis viribus adjunctis omnes potentiae Tartarorum occurrant.

(Edit. ap. Forstemann, *Neue Mittheilung.*, t. IV, p. 114.— Hormayr, *Die Gold. Chronik von Hohenschwangau*, Abtheil., p. 65, n° 2.)

Glorioso domino suo Conrado divi augusti Frederici serenissimi imperatoris Romanorum filio, in regem Romanorum electo, Fridericus, Dei gratia dux Austrie et Styrensis et dominus Carniole cum devotione sincera promptitudinem serviendi. Universorum Domino Jesu Christo qui suos fideles multipliciter examinat in affectu et effectu, grates exsolvimus quas valemus, qui vobis et universis principibus tribuit intellectum quod pro defensione nominis Crucifixi et honoris imperii accincti estis feliciter et potenter. Et quia de statu et processu necnon et actibus Tartarorum, per quos regnum Hungarum versus partes Bohemie ascendendo per Danubium est depastum et in desolationem transisse dinoscitur generalem, vestra desiderat sinceritas (*a*) edoceri, universa que predictorum rabies subito et nequiter circa limites nostre terre perpetravit, infra quos sunt tantum ad momentum temporis demorati, eo quod nostram presentiam que vicina fuerat formidarent, occisis tantum centum personis humilibus ex ipsisque trecentis per nostros vel amplius interfectis, scribimus ut petistis. De statu vero regni Hungarici et regum quorum est exterminium et

(*a*) Verisimiliter *serenitas*.

ejectio manifesta necnon de singulis que rex Bohemie sustinuit per Tartarorum rabiem et insultus, per ipsos principes qui hujusmodi turbinis intemperiem sunt experti, poteritis lucidius informari quam modo nos perpessa et illata eisdem plenius exponere possimus et enarrare. Super processu vero vestro et militie vestre per vos congregate, ex maturitate nostri consilii vestre serenitati duximus consulendum ut pre omnibus victualibus et balistariis premuniti, descensum vestrum, assumptis tantum Bawaris, Franconibus, Swevis et militibus Reni, sine lesione terre nostre que est multimode devastata ita etiam quod non possit venientibus habundanter necessaria ministrare, per industriam tamen nostram offeret quod potest, commode preparetis. Alios principes per destructum regnum Bohemie, Saxones, Misnenses, Turingenses descendere facientes ut postmodum universis pariter congregatis, non solum limites imperii, verum etiam partem Hungarie cum eorum ibidem receptio, Tartarorum videlicet, esset imperio plurimum onerosa eo quod munitiones ibidem (*a*) plurimas erigant in instanti, nobis cooperantibus simus accincti defendere; certi quod tanta est infidelium Tartarorum potentia et fortitudo, (ut sumus experientia personali experti cum circa ipsos essemus in Hungaria constituti conflictu habito cum eisdem, et ut nobis recedentibus, devictis qui presentes fuerant illa vice regnum et rex Hungarorum sunt experti), quod expedit omni virtute contra ipsos et ingenio premuniri, mittendo solempnes nuncios atque scripta Francie, Hispanie et Anglie regibus et ceteris nobilibus universis qui censentur nomine christiano, ut saltem sic hujusmodi turbini resistatur per ipsorum presentiam corporalem. Timemus itaque propter vicinitatem eorumdem que ad duas dietas (*b*) est a limitibus terre nostre ut per insultus terre nostre inferant cottidie gravamina et jacturas, eo quod simul omnis eorum potestas et in unum esse dinoscitur que hactenus per diversa regna dispersa fuerat, congregata. Denique tantis sciat ipsos vestra serenitas divitiis habundare occasione quadraginta regnorum que per ipsos exterminium sunt experta, quod per interitum eorumdem viginti regna exaltari possunt divitiis et honore. Nuntium etiam nostrum

(*a*) Forsitan melius *iidem*.

(*b*) In impresso *dictas*, male.

quem ad vestram personam destinamus, nobis remitti petimus festinanter ut de vestro per ipsum processu plenius expediti collectionem nostram et occursum vobis honorabilem preparemus. Nostre itaque est intentionis vestre serenitati talia hoc necessitatis tempore obsequia exhibere, per que ad universa que nobis expediunt versa nobis vice sitis expositi et parati (1).

Datum Wienne, idus junii.

Apud Weiden, 16 julii. Conradus, Romanorum in regem electus, P. de Rainstein judici terrae Egrensis mandat ut monasterium de Spainshart, quod nullum advocatum praeter imperatorem aut regem ipsum habere debet, contra Henricum de Durndorf et Conradum ejus filium tueatur, dum isti advocatiam super villis Kirchentumpach, Stegentumpach et Dobertshof sibi illegitime vendicent.

(Memorat. ap. BOEHMER, *Regest. imper.*, p. 260, n° 34, ex codice chartaceo anno 1772 exarato, *Fundationsbuch von Spainshart* dicto, et apud Monachum asservato, t. I, fol. 100.)

Datum apud Weiden (2), XVI julii, indictione XIV.

---

(1) Cf. ap. HORMAYR, loco supra citato, numeris 3 et 4, duas Wenceslai Bohemiae regis epistolas, de invasione Tartarorum, quarum una sine data ipsi regi Conrado missa fuit.

(2) Locus ad amnem Nab superiorem, hodie in regno Bavariae versus Bohemiae fines, Nurembergam inter et Egram media via, ubi rex exercitum contra Tartaros colligens consistebat.

FINIS PARTIS PRIMAE.

ADDITAMENTA

AD SEXTAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE

QUIBUS ACCEDUNT DOCUMENTA SUSPECTA SEU SPURIA.

Digitized by Google

ADDITAMENTA

AD SEXTAM PARTEM

HISTORIAE DIPLOMATICAE.

Gregorius IX papa Adelasiae dominae Turritanae mandat ut post obitum viri ejus, cum altero marito pro filiis procreandis contrahat qui sedi apostolicae fidelis et devotus habeatur. Laterani, 30 april. 1238.

(Inedit. ex collect. Laporte du Theil, Regest. Gregor. IX, ann. XII, epist. 68.)

Gregorius, etc., nobili mulieri Agneti (*sic*) Domicellae domine Turritane, etc. Clare memorie. . . viri. tui obitu intellecto nos ipsi non potuimus non dolere cum et personam ipsius sincera dilexerimus in Domino charitate et te quam in Christo sincere diligimus tanti viri didicerimus solatio destitutam. Sed in hoc consolationem accipimus et te ipsam volumus consolare quia ipsum in bona contritione et devota confessione intelleximus obiisse. Unde nobilitatem tuam monemus et hortamur attente quatenus prudenter attendens quam fallax sit mundus, vita brevis, finis dubius, horribilis exitus et terribilis tandem judex, non indulgeas lacrymis, sed orationibus et elemosynis potius vaces pro mortuo apud Deum. Ceterum cum non expediat tibi et terre tue ut conjugio careas, sed nubas in Domino et vaces filiis procreandis, volumus ut de nostro consilio et mandato talem in virum recipias qui et nobilitati tue gratus et nobis merito sit acceptus, ac terram et jura tua prout expedit in forti manu et extento brachio tueatur; et ut melius et efficacius ad honorem et utilitatem tuam quod intendimus compleatur, presentium tibi auctoritate mandamus quatenus per fidelem nuncium et discretum cui etiam consen-

Digitized by Google

tiendi in virum et jurandi in animam tuam si opus fuerit potestatem concedas, voluntatem tuam nobis celeriter rescribere non postponas.

Datum Laterani, II kalendas maii, anno XII.

In eumdem fere modum. . . abbati Sacrariensi, Camaldulensis ordinis, Plovacensis diocesis, usque in finem : Ideoque mandamus quatenus eandem Domicellam ad id efficaciter moneas et inducas, et quia non expedit ut terra sua que est Romane Ecclesie specialis, ad manus alicujus deveniat qui non sit fidelis sedis apostolice ac devotus, ei sub fidelitatis *(sic)* et pena excommunicationis firmiter inhibere procures ne cum aliquo contrahat absque nostra licentia speciali.

Datum Laterani, IV nonas maii, anno XII.

Cremonae, novembri 1238.

Fridericus, Romanorum imperator, Aymaro de Groslée domino de Bressiaco (Bressieu) (1) et de Monte Revelli (2) auctoritatem quondam praedecessoribus ejus indultam denuo concedit, suscipiendi scilicet et exigendi pedagium in terra et mandamento de Bressiaco.

(Memorat. in quodam inventar. titul. Dalphin. (Archiv. de l'Emp. K 199, n° 562) ex vol. dicto *de saint Marcelin*, p. 617, et ex registro dicto *quintus liber ex pluribus baillivatibus*, fol. 45. Vidimus de anno 1475, 10 junii, ex mandato gubernatoris et parlamenti Dalphinatus, *sur la requête d'autre Aymard de Groslée, seigneur dudit Bressieu.*)

Datum Cremone, anno dominice incarnationis M. CC. XXXVIII, mense novembri, indictione XII.

---

(1) Isère, arrondissement de Saint-Marcellin, canton de Saint-Étienne de Saint-Geoirs.

(2) Isère, arrondissement de la Tour-du-Pin, canton de Virieu.

Digitized by Google

Veneti et Januenses ad requisitionem papae apud Romam pacem per novennium ineunt, sibi ad invicem auxilium contra offensores promittendo, sub ea specialiter stipulatione quod concordiam seu pacem cum Friderico imperatore non facient nisi de consensu et voluntate papae.

Apud Lateranum, 30 novembris 1238.

(Edit. ap. *Fontes rer. Austriac.*, zw. abtheil. *Diplom. et acta*, t. XIII, p. 341, ex cod. Biblioth. S. Marci, CCXXX, fol. 67. Apographum valde mendosum ad formam nitidiorem reduximus.)

In nomine Domini, amen. Nos Stephanus Justinianus et Marinus Morecinus legati ambasiatores et sindici domini Jacobi Teupoli ducis, nomine ejus et consiliariorum et communis Venetiarum ex parte una, et Guielmus Niger Hebricus (*a*) et Petrus Venetus legati ambasiatores et sindici domini [Pauli] de Doresina potestatis et consiliariorum et communis Janue, sicut apparet ex termino scripti publici inferius annotati, nomine ipsorum potestatis, consiliariorum et communis ex altera, concorditer firmamus et volumus et nobis vicissim et sollemniter stipulantibus promittimus quod Veneti et Januenses debeant et teneantur se vicissim adjuvare in mari in omnibus partibus ubicumque erunt Veneti et Januenses contra omnes qui ipsos vellent offendere. — Item in Sicilia, Calabria, Apulia et Principatu et in partibus ultramarinis ubicumque fuerint, debeant se adjuvare vicissim ab omnibus qui vellent Venetos vel Januenses offendere, excepto a Saracenis. — Item si aliqua gens christiana vel aliquis cursarius exierit in mari, preterquam in mari Romanie, videlicet a Cicco (Cipro ?) intus, preterquam a Sardinia versus ponentem cum quinque galeis et a quinque supra vel cum una navi et ab una supra ad offendendum Venetos vel

(*a*) Infra *Hebrianus*, verisimiliter *Hembriacus*.

Januenses, utraque communitas teneantur infra spatium unius mensis, postquam fuerit ei renuntiatum et requisitum ab altera, mittere in mare tot et talia ligna quot et qualia communitas denuncians voluerit per se mittere ad offendendum illos malefactores et hostes, et ad defendendum Venetos et Januenses ab eis; omnia que in hoc capitulo continentur intelligendo habere locum similiter si qua gens christiana vel aliquis cursarius exiret modo predicto in mare magnum extra Cretam. — Item quod Januenses et Veneti per mare navigantes in quolibet ligno per pelagus insignia utriusque communitatis portent, videlicet sui communis in dextera et alterius in alteram partem. — Item quod predicta concordia et societas serventur ab utraque communitate Venetiarum et Januensium usque ad novem annos et de quarto in quartum annum renoventur sacramenta ab utraque communitate de dicta concordia observanda. — Et si aliquid emerserit inter dictas communitates quod non posset ab eisdem communitatibus facile dirimi, arbitrio summi pontificis dirimatur. — Item teneantur ambe communitates ad invicem non facere usque ad predictum terminum novem annorum cum domino imperatore Romanorum aliquam concordiam, pactionem seu confederationem seu promissionem, nisi hoc fieret de consensu et voluntate domini pape.

Predicta omnia et singula volumus nos predicti sindici utriusque communitatis et nomine ipsarum communitatum, nobis vicissim stipulantibus; ea omnia et singula promittimus ad invicem servaturos, et si altera communitatum contrafecerit, pars contrafaciens det et dare teneatur parti servanti et nobis vicissim dictis stipulantibus nomine pene seu pro pena decem milia marcharum argenti; et consentimus dictis nominibus quod dominus papa excommunicet communitatem contrafacientem nec ei absolutionem impendat nisi satisfecerit de tota pena servanti. Pro qua pena et omnibus supradictis observandis obligamus dictis nominibus pro pignore omnia bona dictarum communitatum habita et habenda; volentes et rogantes quod dictis fiant unius tenoris plura publica instrumenta, et jurantes nomine nostro et dictis nominibus tactis corporaliter evangeliis attendere et observare omnia et singula supradicta, et quod predicti dux Venetiarum et potestas Janue et alii de Janua et de Venetiis qui soliti sunt jurare con-

Digitized by Google

ventiones et pacem hacteuus factas inter Venetos et Jannenses, jurabunt attendere omnia et singnla supradicta.

[Actnm] Rome apud Lateranum iu qnadam camera domiui pape.

Testes domini Jacobus Prenestinus et Rainaldus Ostiensis episcopi, frater Matheus de ordine fratrum predicatorum, domini pape penitentiarius, Joannes Hebrianns (*sic*) et Heinricus de Venetiis.

Anno dominice Nativitatis M. CC. XXXVIII, indictione XII, die ultima novembris, in sero.

Sequuntur litterae sindicatus ambasiatorum Venetorum cum his notis : « Data apnd nostrum ducale palatinm anno Domini MCC trigesimo octavo, mensis septembris die decimo, indictione XII, » et litterae sindicatus ambasiatorum Januensium cnm his notis : « Datum apud Januam in domo Furnariorum M. CC. XXXVIII, indictione XI (*a*), XIV octobris inter vesperas et completorium. »

Petrus Lombardus archidiaconus Reginus apud curiam Romanam commorans archipresbytero Regino scribit de rebus privatis, monens tamen Ecclesiam totis viribus ad destructionem imperatoris aspirare. (1239, circa junium)

(Inedit. ex cod. Vatic., 7024, fol. 332, ap. collect. Laporte du Theil, ad ann. nonum Gregor. IX, cum hac nota : *A tergo :* « D. P. archipresbytero Regino. » *Vestigium sigilli magni vulgari cera, hoc est flava, impressi.*)

Venerabili viro domino et magistro P. archipresbytero Regino Petrus Lombardus ejusdem ecclesie archidiaconus (1) salutem in Christo Jesu. Rogo quod quicquid mihi potestis mittere de prebendis meis, per domi-

(*a*) Legendum vero *XII*.

---

(1) Ex litteris Gregorii papae discimus hunc Petrum Lombardum jam ante mensem septembrem 1240 vita fuisse functum.

Digitized by Google

num Angelum Malabranca latorem presentium, Romanum legatum ad imperatorem, et etiam pannos quos a Carpineto pluries postulavi, mittatis. Dicatis si placet domino Alberto cantori Antiocheno(1) ex parte mea quod processus quem fecit de canonicatu Padue, domino Angelo debeat intimare. Nam frater est illius qui est canonicandus in ecclesia Paduana. Nova relatu digna tam de imperatore quam de Lombardia et de clero et civitate Regina si placet mihi scribatis, scientes que (quod) Ecclesia Romana totis viribus contra imperatorem et ad ejus destructionem laborat et aparat (aspirat). Valete; mihi bene est. Magister Wilgelmus responsionem vestram et amicorum suorum de compositione facienda vel non, sicut mihi dixit pluries, prestolatur, et sicut mihi videtur, obest ei quia Apulus est natione.

Laterani, 10 januarii 1240.

Gregorius papa episcopo Prenestino apostolicae sedis legato mandat ut Arelatensi archiepiscopo et comiti Provinciae qui pontifici adversus Fridericum imperatorem subvenerunt, ipse de pecunia suae legationis provideat.

(Memorat. ap. Raynald., *Annal. eccles.*, ad ann. 1240, § XX.)

Datum Laterani, quarto idus januarii, anno XIII.

Apud Cortonam, 18 januarii 1240.

Fridericus, Romanorum imperator, universitati civium de Cortona varia privilegia impertitur, inter quae jus ordinarium judicem instituendi.

---

(1) Verisimiliter cum ipso patriarcha, qui et Albertus nominabatur, ad partes Lombardiae cantor Antiochenus tunc temporis advenerat.

Digitized by Google

(Memorat. ap. GUAZZESI, *Dell' antic. domin. del vescovo d'Arezzo*, p. 58. Notandum tamen quod Laurus in sua *Cortonensi Historia*, dum stationem Friderici imperatoris apud Cortonam indicet, hujus privilegii mentionem specialiter non fecerit.)

Datum apud Cortonam, anno dominice incarnationis M. CC. XL, XVIII januarii, indictione XIII.

Sodegerius de Tito in civitate et episcopatu Tridentino potestas Bonifacio de Brolono pro sua in imperatorem fidelitate exulanti Turani castri construendi licentiam concedit. Apud Tridentum, 27 aprilis 1240.

(Edid. HORMAYR, *Gesch. der Grafschaft Tirol*, p. 337.)

Anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo, indictione tertia decima, die veneris qnarto exeunte aprilis, in camera palatii episcopatus Tridenti in presentia, etc., rogatorum testium, dominus Sodegerius de Tito, de imperiali mandato in civitate et episcopatu Tridenti potestas et ancianus, quia vidit et cognovit quod Bonifacinus de Brolono erat fidelis domini imperatoris et stabat apud perfidos Brixienses (Brixinenses?), inimicos et bannitos imperii, et per ipsos quaedam domus fortitudinis quam ibidem habebat dejecta fuerat et destructa, nec ibidem in illis partibus poterat commorari timore ipsorum, etc.; [auctoritatem ei concessit construendi et edificandi castrum Turani, scilicet dossum Turani ubi dicitur castrum, etc.].

Ego Matheus de Placentia notarius, etc.

Fridericus, Romanorum imperator, ad Johannem Cioffum magistrum camerarium mandatum renovat quondam Majori de 13 maii 1240.

Plancatone secreto Messanae directum super vinea et jardino de Catona.

(*Regest. imper. Frider.*, fol. 109 verso. Cf. supra, p. 410.)

Datum. . . . . . ., XIII maii, indictione XIII.

Fogiae, 20 maii 1240. Fridericus, Romanorum imperator, ad supplicationem Benedicti de Isernia, conventui monialium Sanctae Mariae de Isernia antiqua privilegia confirmat.

(Memorat. ap. CIARLANTI, *Memor. istor. del Sannio*, p. 329.)

Datum Fogie, anno dominice incarnationis M. CC. XL, vicesimo (1) maii, [indictione. . . . . . .].

Junio et julio 1240. Marsilius Georgius, bajulus Venetorum in Syria, quid in istis partibus tam in captione Tyri quam ante et post egerit, fuse narrat.

(Edit. ap. *Fontes rer. Austr.*, Diplom. et acta, t. XIII, p. 354 et seqq., ex libro albo Venet., fol. 172 et seqq.)

Marsilius Georgius, bajulus Venetorum in Syria multa ibidem gesta per ordinem narrat ad hoc ut quilibet sibi possit precavere qui pro commune Venecie in regimine fuerit constitutus, et ea possit operari que pertineant ad honorem et bonum statum domini ducis et communis Venetie.

---

(1) Haec diei notatio mendosa videtur, dum imperator vicesimo die maii 1240 non apud Fogiam, sed circa partes Beneventi consisteret.

Digitized by Google

Ideo ego Marsilius Georgius, bajulus Venetorum in Syria in scriptum redigi feci que inferius patebunt.

Nam cum a primordio intravi Syriam, inveni quod pessimi Longobardi qui dominationem Tyri per dominum imperatorem Fredericum habebant, omnes redditus quos commune Venetie percipere debebat tam in civitate Tyri quam extra tanquam sibi pertinentes auferebant, nos de hiis penitus spoliando.

Ego autem volens inquirere quare bajulus qui illic erat pro dicto imperatore (1) hoc faceret et ut nobis restitueret, misi nuncios; quos noluit audire nec etiam videre, quod majus est. Immo per submissas personas fecit mihi referri quod me specialiter et omnes alios Venetos in persona et rebus diffidebat, hoc dicendo ut si postea offenderet me vel alios Venetos pro proditore non haberetur. Unde ego videns quod dictus bajulus operam dederat pro habenda civitate Accon causa exheredandi nos cum omnibus qui cum Ecclesia Romana (a) sequerentur, cepi sagaciter inducere dominum Philippum de Montforte qui dominus erat Toronis et alios quos credebam tante rei expedire, ut Accon retinere possemus et Tirum recuperare. Ipsi vero super hiis que eis dixeram cogitantes et in eorum animo revolventes quid eis accidere posset, hiis que eis dixeram consenserunt. Dicti barones videntes periculum quod eis accidere possit Accon a bajulo imperatoris, et confidentes de eo quod inducebant (b) cum Januensibus, ordinaverunt et operati sunt quod regina Cipri nomine Helis peteret regnum Jerosolimitanum ab archiepiscopo Tyrensi qui erat vicarius patriarche et ab omnibus aliis prelatis dicti regni, et domibus que sub regula habentur, et commune civitatis Accon et commune Venetorum et Januensium et ab omnibus aliis qui tacendo consenserunt ut (c) legitima magis omnibus personis aliis in regno apparente secundum modum regni, quam alia que tunc temporis esset in regno. Prelati [ergo], barones et omnes

(a) Legendum vero *causam Ecclesie Romane.*
(b) Id est *inducias faciebant.*
(c) Scilicet *tanquam.*

(1) Scilicet Riccardus Filangerius, regni Siciliae marescalcus. Cf. Introduction, p. CCCLVI.

Digitized by Google

predicti consilio habito diligenti, videntes quod regina postulabat justum esse, hujus petitioni consenserunt ut juste. Et dicta regina more consueto juravit in manibus dicti archiepiscopi Tyrensis et baronum regimen regni in hunc modum, videlicet se conservaturam consuetudines regni baronibus, militibus et omnibus de populo, et de omni ratione ecclesiastica manutenenda et religionum et de observandis et manutenendis privilegiis singulorum, et specialiter privilegium et privilegia ducis et communis Venetie integrum conservare et manutenere. Et facto sacramento regine, idem juravit vir ejus nomine Raul de Sansum (1); post sacramentum regine et ejus viri, omnes barones, milites et populares regni sibi et ejus viro homagium fecerunt secundum consuetudinem regni. Et hoc fuit die quinto, intrante mense junii predicti anni.

Omnia predicta acta et. . . . . dicta regina, apprensa dominatione regni, me rogavit quod armarem galeam unam suis expensis, quia volebat eam causa eundi ut Tyrum caperet, sicut suam terram propriam pro ea parte quam debebat habere, et nos pro nostra parte recuperanda inducebat.

Unde ego habito consilio taliter eidem responsum dedi quod ei galeam libenti animo concederemus, sed non ut postulabat suis expensis, sed nostris tantum; et hoc ideo quia dominus dux et commune Venetie non est consuetum facere aliquod servitium alicui suo amico eorum expensis, sed tantum suis propriis. Hoc tamen ab ea et a baronibus postulandum [duxi] ut si Dominus concederet quod terram haberemus ipsam una cum baronibus, juxta sacramentum vobis restitueret quod acceptum et diminutum erat de eo quod habuimus in Tyro intus et extra et ubique in toto regno, et quod nostrum privilegium integrum conservaret. Domina regina et dominus Raul ejus vir et dominus de Berito et dominus Philippus de Montforte responderunt quod hoc erat maximum servitium et promiserunt quilibet in animam eorum et per sacramentum, quod ex societate tenebantur inter nos et eos facta occasione imperatoris et in fide qua milites se habent, quod restituerent et darent operam si Dominus eis concederet

(1) Scilicet *Raoul de Soissons*. Cf. Introduction, p. CCCLVII.

Digitized by Google

terram, ut postulavi. Unde ego credens promissionibus et fidei eorum, que a me petierunt concessi. Et ego per terram accessi cum eis cum XXX viris bene armatis equester. Et hoc fuit die nono predicti mensis.

Et postquam accessimus apud Tyrum, habuimus civitatem in capite trium dierum; et hoc occasione nostrorum Venetorum qui ibi sunt burgenses. Et in capite XXVIII dierum recuperavimus castrum civitatis cum magno labore; nam ibi construximus bridam. Et citius habuimus quam habuissemus, nisi esset quod bajulus imperatoris qui pergebat in Apuliam passus fuit naufragium ad Montem de Barche. Qui rediit cum barca navis in qua revertebatur, et ibat Tyrum, et sic eum apprendimus. Et furcis factis in turri eminenti ante castrum, dicentes nos velle eum suspendere, qui in castro erant, timore ducti ne suspenderemus eum, castrum reddiderunt eo pacto ut libere possent abire. Postquam civitatem et castrum quiete habuimus, dicta regina perrexit Tyrum; et sic ego incontinenti accessi postulans ab ea et a dictis baronibus quod ea que mihi promiserant et tenebantur restituerent et in possessionem mitterent de his que nobis detenta erant. Que domina regina et barones responderunt quod bene volebant facere libenter et quia tenebantur; sed me rogaverunt quod sustinerem quamdiu irent in Accon, ut exponerent hominibus regni, ut eis non posset aliquid imputari et ut nobis major esset securitas, dicentes quod certi erant quod de hoc contrarietas ab aliquo non fieret nec esse posset. Et sciens quod nemo eis contradiceret dummodo vellent, assensi.

Postquam omnes fuimus in Accon, cepi postulare predicta. Qui ceperunt frivolas et vanas inducias postulare. Et sic medio tempore vicecomes terre occasione furti cepit quemdam virum Venetum, et ego tum ab eo eum repetii. Qui cum mihi restituere contempsit, ponens occasionem quod jus sanguinis non haberemus; et sic eum tradidit magistro Templi, et magister Templi postmodum tradidit mihi, cum ipse postea pro omni occasione que acciderit mihi restituerit omnes Venetos, non propter hoc dimittens quin ea que mihi promiserant et tenebantur restituere, postularem. Et ipsi per multum temporis negotium dilatando, tandem in finem talem mihi fecerunt responsionem quod si per balivum aliquem regni

aliqnid nobis fuisset diminutum, qnod libenter nobis restituerent et facerent restitni; sed si per dominnm regem aliquid diminntnm esset, non restituerent, cum ipsa regina non sit legitima in regno, sed rex Conradus. Et ego super hoc respondi quod quicquid nobis erat diminutum, [erat diminntnm] per balivos regni qui ab hinc fuerunt in regno. Et ego super nullam aliam potni habere responsionem.

Temporis incerti.

Fridericus, Romanorum imperator, Gebhardo de Arnstein jus tam sanguinis quam causarum cum facultate redditus imperiales exquirendi per totam orbitam castri sui Altenburg committit.

(Inedit. ex cod. Bibl. Cesar. Paris., suppl. latin. 1128, fol. 21. Quod quidem dictamen, seu potius gallice *formulaire*, in Alemannia versus Magdeburgi sive Hildesheimii partes exaratum fuisse videtur.)

F., Dei gratia Romanorum imperator et augnstus, Jernsalem, Sicilie Apulice (*sic*) rex, fideli suo G. de Arnstein, etc. Ne nobis circa ardua reipnblice negotia prepeditis, aliquibus imperii nostri locis jus postulantibus propter diutinam nostram absentiam deesse jnstitia videatur, fidelitati tue de qua plenam habemns confidentiam per operis evidentiam nobis et imperio pluries evidentem (*a*), committimus imperiali anctoritate per totam orbitam nostram castro nostro Aldenburch adjacentem et attinentem jus (*b*) tam sangninis quam causarum ceterarum ad imperii pertinentium judicium et examen; auctoritatem etiam nostros redditus exquirendi, precipientes tam nobilibus quam aliis militibus incolis ejusdem terre sub optentu gratie nostre et sub pena proscriptionis ac sub detentione bonorum omnium ut tibi de rationibus nostris respondeant et obediant tanquam judici imperii speciali, quamdiu de nostro fuerit beneplacito voluntatis.

Datnm in tali loco, anno gratie, etc. (*sic*).

(*a*) In codice *plures evidentes*.
(*b*) In codice *aminentem justa*, male.

Fragmentum inquisitionis de mandato imperiali factae super excadentiis diversorum locorum Capitinatae, ubi agitur de tenimento quondam Berardi Burrelli apud Trojam. Temporis incerti.

(Transcriptum de anno 1635, ex fasciculo signato 46, fol. 135, in Archiv. reg. sicl. Neap. ap. cod. Musaei Britann., nº 8674.)

Qnaternus de excadentiis infrascriptorum locorum justitiariatus Capitinatae, factus per judicem Robertum et notarium Thomasium de Avelliuo de maudato imperialis majestatis, facta diligenti iuquisitione per eosdem, per iufrascriptos homiues juratos singulorum locorum.

IN TROIA.

Nomina juratorum suut hec:

Jacobus de Amatore, judex Meliorus, Guilelmus de Gisualdo, Alibertus Pomarolus, Rainaldus de Diouisio, uotarius Jacobus Deodati, Nicolaus de Mercurio, Peregrinus dopui Riccardi, Andreas judicis Ursouis, uotarius Manfridus, Robertus Filmanerius, magister Troianus, magister Raimuudus, Salernus Regacterius, Petrus de Amatore bajulus, Guilelmus judicis Raonis, Sire Siuay, judex Jacobus, Joannes de Pagano, Bartholomeus de Pandulpho, Gervasius Pomarolus, Petrus de Tyro, Saxus judicis Thomasii, Joannes de Ayrola. Qui jurati et interrogati coucorditer dixeruut domiuum imperatorem habere in Troia et pertinentiis suis infrascriptas excadentias: videlicet teuimentum quod fuit quondam Berardi Burelli, iu quo est domus uua in parrochia Saucti Salvatoris juxta ipsam ecclesiam et domus alia cum furno eidem domui coujuucta, quae concessae suut per curiam Guilelmo de Panormo; quas extimaut valere auuuatim auri tarenos septem et medium, qualibet ipsarum domorum scilicet, et sic asceudunt summam auri tareuorum quindecim. . . . . *Cetera desunt.*

Digitized by Google

NOTITIA DOCUMENTORUM DE QUIBUS NON SAT BENE CONSTAT.

1238. Bulle de l'empereur Frédéric II par laquelle il accorde à Jean, archevêque de Vienne et à son chapitre, la garde des châteaux de Pipet et des Chanaux avec les palais du Port, ensemble le château de Saint-Chef et ses dépendances, et confirme les libertés des habitants de ladite ville (1). — Mentionné dans un inventaire des titres du Dauphiné (Arch. de l'Emp., K 1157) d'après un ancien registre, intitulé : *Droits du Dauphin sur la ville de Vienne*, fol. 296.

Isnard d'Agoult d'Entravenes fut seigneur de la vallée de Sault, dont il reçut l'investiture de l'empereur Philippe par lettres données à Spire, le 8 des calendes de février 1204 (1205), qui fut confirmée le 8 septembre 1238, par l'empereur Frédéric II. — Pithon-Curt, *Nobil. de Provence et du comtat Venaissin*, t. IV, p. 96.

1238. Fridericus imperator patronus ecclesiae in Wundreb contulit monasterio Reychenbacensi capellam Hohenstain. Hilleprandus vero tunc temporis plebanus in Wundreb, in vicem avulsae a matrice ecclesia capellae Hohenstain, ecclesiae in Wundreb per compensationem aliud praedium confert. Datum Litt. (*sic*), idus augusti. — Repertor. Reichenb. n° CXVIII et penultim. Memorat. *in excerpt. diplom. Reychenb.* ap. Oefele, t. I, p. 409.

[1238-1239.] Ad quem [Petrum Sarracenum] ex injusto carcere liberandum Gregorius papa Florentinum episcopum miserat, litterisque Fridericum rogarat ut ipsum in libertatem assereret. — Memorat. ap. Raynald., *Annal. eccles.* ad ann. 1239, § VI, ex regest. Greg. IX, lib. XII, epist. 129.

(1) Verisimiliter: *Datum Taurini*, *mense aprili*. Vid. privilegium fere ejusdem tenoris, ap. *Hist. diplomat.*, t. I, p. 325.

Digitized by Google

DOCUMENTUM SUSPECTUM SEU SPURIUM.

Fridericus, Romanorum imperator, Ligorio Caracciolo fideli suo, ob merita servitia Johannis Caraccioli Russi de Neapoli patris ejus, in perpetuum concedit feudum quondam Roberti de Conca in Caleno et pertinentiis. 1238 vel 1239.

(Edidit, attamen non integrum, AMMIRATO, *Famigl. nobil. Napol.*, p. 109, qui hoc privilegium ad ann. 1238 refert e copia antiqua ut dicit, cujus originale sive integrum apographum nusquam prodiit.)

Fridericus, Dei gratia Romanorum imperator semper augustus, rex Hierusalem et Sicilie. Augustalis excellentie tunc extollitur solium, tum sui nominis titulos ampliat cum dignis meritorum premiis subjectorum compensat obsequia, illorum precipue quos sincera fides et pura devotio reddit expertos. Inde est quod nos attendentes fidem puram et grata servitia presenti digna relatu et futura memoria, que quondam Johaunes Caracciolus Russus de Neapoli, pater Ligorii Caraccioli fidelis nostri, majestati nostre semper exhibuit, et specialiter quod dum pro servitiis nostris et imperii deputatus ad custodiam castri Iscle, a nostris rebellibus impugnatus maluit in una turrium munitionis ipsius, cum se amplius non posset defendere, igne cremari quam se sponte inimicorum tradere potestati; considerantes etiam quod Ligorius prefatus paterne fidei constantiam imitando grata nobis obsequia exhibere poterit in futurum; de benignitatis nostre gratia qua consuevimus bene meritis providere, ad aliorum quoque fidelium nostrorum dignam imitationem exempli, damus et concedimus nominato Ligorio fideli nostro et heredibus in perpetuum feudum quod fuit Gerardi de Ripa, quod tenuit Robertus de Conca in Caleno et pertinentiis ejus, et nunc ipsum curia nostra tenet, etc. (*sic*).

Digitized by Google

INDEX DOCUMENTORUM

QUAE IN HOC VOLUMINE EXHIBENTUR SIVE MEMORANTUR.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1237		
circa aprilem.	. . . .	— Fidelibus suis Alsatiae nuntiat se versus partes illas mox adventurum, monens ut sibi et exercitui suo omnia necessaria ministrare procurent. 60
aprili.	Ap. Anasum.	— Ad supplicationem ministerialium et comprovincialium Styriae, eorum ducatum non duci Austriae qui pro tempore fuerit, sed alicui speciali principi porrigendum promittit, approbatasque eorum consuetudines et jura renovat et confirmat. 61
aprili.	Apud Efferding.	— Volvingo de Stubenberg facultatem concedit uxori quam duxerit dotem qualem et quantam voluerit super proprietariis ejus rebus deputandi. 65
aprili.	Apud Ratisponam.	— Archiepiscopo Moguntino propter servitia sibi exhibita advocatiam in Bischovesheim et bona adjacentia quae ab ecclesia Moguntina ipse imperator in jure feudali tenuit, resignat. 66
27 april.	Apud Ratisponam.	— Butegelario de Nuremberg ad defensionem juris advocatiae in pluribus locis monasterii Obermunster dicti dudum deputato, iterum firmiter mandat ut ex sententia principum detentores earumdem advocatiarum compescat. 67
28 april.	Apud Ratisponam.	— Ecelino de Romano fideli suo causam appellationis ad audientiam suam delatam inter Paduanum episcopum et filios quondam Tisonis de Campo Sancti Petri super curia Sancti Andreae et quibusdam aliis possessionibus, terminandam committit. 68
maio.	Ap. Ulmam.	— Ad preces comitis de Ultimis privilegium Friderici primi avi sui 1° maii 1189 datum inserendo confirmat, pro tutela monasterii de Owe in episcopatu Tridentino a comite de Grisenstein et ab uxore ejus fundati. 69
18 maii.	Apud Geislingen.	— In gratiam episcopi Babenbergensis judicibus universis interdicit ne clericos, cives et ministeriales ecclesiae Babenbergensis ad forum ipsorum proprio motu respondere cogant. 74
junio.	Ap. Spiram.	— Ad supplicationem praepositi et conventus hospitalis Sanctae Mariae de Lutra, privilegium a se ipso eidem domui 6 septembris 1215 indultum, renovat et inserendo confirmat. 79
junio.	Ap. Spiram.	— Pro parte Coloniensis archiepiscopi, dictante sententia principum, promulgat quod ipse extra civitatem sicut et infra in jurisdictione ipsius possit legitime judicio praesidere. 81
junio.	Ap. Spiram.	— Ad supplicationem abbatis et conventus de Odenheim, privilegium Henrici filii sui quondam regis eisdem super cul-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1239		
. . . . .	. . . .	— Notificat regi Franciae excessus comitis Proviuciae in regno Arelatensi et beneficia eidem a se muitoties collata commemorat. 406
sept.	In castris prope Landrianum.	— Bonajunctum de Cortona filium olim Jacopi de Alioto publicum tabellionem imperii constituit. 408
3 oct.	In castris apud Landrianum.	— A Romano Angeii aliisque mercatoribus Romanis mutuum accipit pro treceutis et viginti duobus unciis auri hoc ipso mense octobri apud Cremonam exsolvendis. 408
[oct. ineunt.]	. . . .	— Suis officialibus mandat quod castra Stili, Cotroni, Olibani, Nicosiae, Amigdaliae, Regii, Cathonae, Bari, Trani, novis castellanis assignent. 409
5 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Novos provisores castrorum instituit, necnon recollectores omnium collectarum per diversas regni provincias, novosque portus per regnum ad extrahenda victualia ordinat. 411-414-418
6 vel 7 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Officialibus mandata dirigit de rebus quae ad Siciliam administrandam pertinent. 424
8 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Scribit secreto Messanae, justitiario Principatus, castellano Summae et Angelo de Marra super rebus variis. 430-431-432
9 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Item secreto Messanae, Thomasio de Brundusio, justitiario Terrae Laboris, justitiario Terrae Idronti. 433-434
10 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Item Rogerio de Amicis justitiario in Sicilia ultra flumen Salsum, caeterisque justitiariis regni, secretis Panormi et Messanae, Riccardo de Pulcaro, Criscio camerario Aprutii, Alexandro filio Henrici, justitiario Terrae Laboris, Thomasio de Brundusio. 435-437-439-440
13 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Item justiciario Aprutii, Andreae de Cicala capitaneo a porta Roseti usque ad fines regni, praelatis familiaribus, justiciariis, novisque et veteribus officialibus. 442-443
14 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Litteras patentes et mandata transmittit super mutuis a mercatoribus Romanis imperiali camerae assignatis et certo termino persolvendis. 446
14 oct.	In castris prope Mediolanum.	— Scribit secreto Messanae de negotiis curiae et de lupis in parco Melacii destruendis. 449-450

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1239		
24 nov.	Apud Cremonam.	— Item Entio Falconerio, Rainaldo Troysio, Riccardo de Lentino, universis hominibus Cataniae et justitiario Siciliae citra flumen Salsum. 527-529
26 nov.	Apud Cremonam.	— Item Thomasio de Brundusio et aliis de duobus asturibus ad curiam mittendis quos nuncii Comnianonis attulerunt. 529
27 nov.	Cremonae.	— Litteras patentes et mandatum dirigit de assignandis libere et absolute mercatoribus de Pogibonizio mille salmis frumenti. 530
27 nov.	Cremonae.	— Scribit judici Philippo de Aversa, compalatio Neapolis, Alexandro filio Henrici et Jacobo de Sanctis recollectori pecuniae pro mutuis. 531-534
28 nov.	Cremonae.	— Item secreto Panormi de servis nigris comparandis, de judaeis instruetis ad dactulitum Panormi fructificandum, de victualibus assignandis. 535
28 nov.	Cremonae.	— Bertholdo marchioni de Hohenburg quem statuit capitaneum Cumarum concedit ut jurisdictionem quoque exerceat in omnes terras Mediolani quae studio ipsius ad jus imperii revocabuntur. 536
novemb.	Cremonae.	— Ob fidelitatem civitatis Cumarum, ei confirmat omnia privilegia a suis antecessoribus et a se ipso indulta, cum jurisdictionibus, castris, villis et burgis quae commune ipsum tenet aut quae Mediolanenses eidem abstulerunt. 537
decemb.	Cremonae.	— Raymundo comiti Tolosano fideli et affini suo concedit comitatum Forcalquerii, quo comitem Provinciae propter manifestam ejus proditionem privatum fore denuntiat. 541
decemb.	Cremonae.	— Civitati Avinioni in perpetuum elargitur novam monetam cudendi licentiam, mandans ut moneta in ista civitate percussa, sicut aliae monetae per regnum Arelatense et Viennense, sine difficultate recipiatur et expendatur. 543
5 dec.	Parmae.	— Scribit Henrico Abbati et judici Majori de Juvenatio, Johanni de Calatabellota et Henrico de Mazaria necnon secreto Panormi de jure portus et duanae. 546-548
6 dec.	Parmae.	— Item Henrico Abbati pro assignandis decem millibus et quadraginta unciis auri mittendis suis militibus in marchia Trivisina. 549
6 dec.	Parmae.	— Litteras patentes et mandata dirigit pro diversis unciarum auri summis a mercatoribus Romanis mutuatis, sexto die mensis martii exsolvendis. 549
7 dec.	Parmae.	— Scribit custodibus aerarii Sancti Salvatoris ad mare, pro

Digitized by Google

Digitized by Google

1239		
25 dec.	Apud Pisas.	— Scribit justitiariis regni, Andreae de Cicala capitaneo, Riccardo de Montefusculo, Majori de Plaucatone, Renaldino de Panormo, Henrico Abbati, justitiario Siciliae ultra flumen Salsum, secreto Panormi, Angelo Frisario et ammirato regni de variis rebus. 624-634
26 dec.	Apud Pisas.	— Item Carnevelario de Papia, Alexandro filio Henrici, justitiario Capitanatae, Riccardo Pulcaro, de falconibus, de captivis, de barketta Isclae armanda. 635
27 dec.	Apud Pisas.	— Item justitiariis et officialibus regni, notario Simoni de Petramajore, secreto Messanae, magistris portuum in Apulia, Andreae de Cicala, Riccardo de Pulcaro et justitiario Terrae Laboris necnon justitiario terrae Idronti de variis rebus. 637-643
29 dec.	Apud Pisas.	— Item secreto Messanae et justitiariis terrae Idronti et Basilicatae de expensis exhibendis et de bonis Audreae de Pomarico capiendis. 643
1240		
1° jan.	Ap. Sanctum Miniatum.	— Item Alexandro filio Henrici, ut victualia extrahi permittat ad usum crucesignatorum in partibus ultramarinis commorantium. 645
[jan.]	. . . . . .	— Regi Navarrae et crucesignatis concedit quod possint extrahere foderum de regno suo in subsidium Terrae Sanctae. 646
1° jau.	Ap. Sanctum Miniatum.	— Litteras patentes et mandatum dirigit de mille et trecentis saumis frumenti mercatoribus Pisanis qui eas a curia emerunt, assignandis. 648
4 jan.	Pugiboniti.	— Scribit Andreae de Cicala ut in Rocca Buyani novum castellanum idoneum et fidelem constituat. 649
jan.	Ap. Podium Bonicii.	— Pandulfum de Fasanella capitaneum generalem in Tuscia statuit cum potestate justitiam exhibendi tam in criminalibus quam in civilibus causis. 650
[jan.]	. . . . . .	— Cuidam duci notum facit dispositis rebus omnibus in Lombardia, se in partes Tusciae contulisse ubi pax reformatur et quaeque ad mandata sua feliciter inclinantur. 652
[jan. ineunte.]	. . . . . .	— Scribit communi Imolensi quod licet comes Gualterius de Manupello sacri imperii in Romaniola vicarius generalis existat, hunc specialem civitatis ipsorum potestatem pro anno futuro duxit statuendum. 653
8 jan.	Ap. Senas.	— Litteras patentes et mandata dirigit de mutuis apud Landrianum camerae imperiali factis, ad quorum solutionem certus terminus praefigitur. 654-660

Digitized by Google

Digitized by Google

1240		
		ereto Messanae, justitiario Terrae Laboris, Riccardo de Pulcaro, etc. 724-735
8 febr.	Fuligni.	— Item justitiario Capitanatae, Andreae de Cicala, justitiario Aprutii, secreto Messanae, Alexandro filio Henrici, justitiario terrae Idronti, portulanis portus Gariliani, justitiario Terrae Laboris, Simoni de Petramajore. 735-743
9 et 10 februar.	Coccoione.	— Item justitiariis Terrae Laboris et Capitinatae, magistro Theodoro de litteris scribendis regi Tunnisi, justitiario Aprutii de fortelitiis, provisori castrorum Aprutii pro custodia castri Pectorani. 744-746
11 febr.	Cucculone.	— Item Alexandro, filio Henrici, et custodibus aerarii pro mutuo, et pro duobus mercatoribus romanis quietandis. 747-749
12 febr.	Cuccuzhone.	— Item Riccardo de Pulcaro et Theodoro philosopho de sciropis et zuccaro violaceo, Alexandro, filio Henrici, et custodibus aerarii pro expensis. 750-752
13 febr.	Coccorone.	— Item secreto Panormi, justitiario Terrae Laboris, bajulis Sancti Fabiani, justitiario Aprutii, et camerariis comitatus Alesinae pro monasterio Sancti Petri Terrae Majoris. 753-756
15 febr.	Ap. Aquam Spartam.	— Item justitiario Aprutii pro faciendis inquisitionibus super denuntiationibus quibusdam curiae praesentatis. 757
16 febr.	Ap. Ortam.	— Item Angelo de Marra et Riccardo de Pulcaro pro assignando castro Salvatoris imperatrici, justitiario Aprutii de unciis auri, Andreae de Cicala de prohibitione equorum, justitiario Aprutii contra Andream et Johannem de Pontibus. 757-760
[febr.]	. . . .	— Scribit senatori et populo romano ut mittant proconsules suos ad eum, quibus honores et officia vult conferre. 761
[febr.	Viterbii.]	— Fidelibus suis nuntiat se resumptis civitate Castellae, Orta et aliis castris, Viterbium pervenisse; unde locis omnibus ad se acclamantibus, Romam feliciter, favente sibi populo romano, ingredi disponit. 762
21 et 22 febr.	Viterbii.	— Scribit Alexandro, filio Henrici, justitiario Terrae Laboris, Riccardo de Pulcaro, justitiario Aprutii, Guillelmo de Sancto Framundo, justitiario Principatus et Raynaldino de Panormo pro expensis, pro faciendis inquisitionibus et pro leopardis. 764-770
27 febr.	Viterbii.	— Item justitiario Siciliae citra flumen Salsum, secreto Panormi, stratigoto Messanae super variis quae ad insulam Siciliam pertinent negotiis. 770-775
29 febr.	Viterbii.	— Item Raynaldo de Aquaviva, Nicolino Spinulae ammirato

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1240		
1° april.	Ortae.	— Item comiti Acerrarum, Guilielmo de Palma et Rogerio Filangerio, necnon justitiariis regni de prisonibus Lombardis. 872-874
april.	Luceriae.	— Item justitiario Terrae Laboris et justitiario Basilicatae quod in praesentiam principis in festo Palmarum veniant, Alexandro, filio Henrici, pro expensis imperatricis, Guilielmo Pedevillano et secreto Messanae de opere castri Messanae, Riccardo de Pulcaro pro frumento mittendo, justitiario Siciliae, etc. 875-880
6 april.	Luceriae.	— Item universis per Marsiam constitutis, justitiario terrae Idronti, Riccardo de Bisaccia et Nicolao de Juvenatio de mille quingentis unciis auri quae ad cameram spectant. 881-883
8 april.	Fogiae.	— Item justitiariis regionum pro Lombardis prisonibus, secreto Messanae de castratis et vaccis mittendis ad curiam, Alexandro filio Henrici, ut ammirato obediat et de reparandis domibus castri Policorii. 883-885
9 april.	Fogiae.	— Item justitiario Terrae Laboris de servientibus, et Alexandro filio Henrici pro equis marescallae et pro vestimentis Henrici, filii imperatoris. 886-888
11 april.	Fogiae.	— Item comiti Casertae et justitiariis Principatus et Aprutii de faciendis inquisitionibus. 888
12 april.	Fogiae.	— Item camerariis pro una aratia in Apulia facienda, Alexandro filio Henrici de expensis filiae Alberici, justitiario Capitanatae de bardis faciendis, Riccardo de Pulcaro, justitiario Basilicatae de collecta et justitiario Aprutii de militibus. 889-893
13 april.	Fogiae.	— Item universis officialibus ut assistant Philippo de Surrento et Majori de Juvenatio in servitiis principis, magistro camerario Aprutii de pecunia oportuna exhibenda, provisori castrorum pro castris reparandis. 893-895
14 april.	Fogiae.	— Item justitiariis terrae Bari, terrae Idronti, Capitanatae et Basilicatae ut Thomasio de Brundusio assistant, justitiariis Principatus, Aprutii et Terrae Laboris de faciendis inquisitionibus, Alexandro filio Henrici ut provisori castrorum in Apulia expensas exhibeat. 897-900
15 april.	Fogiae.	— Item Alexandro, filio Henrici, pro faciendo biscotto, bajulis Brundusii pro capiendo nuntio ituro ad papam, gayto Panormi pro diruendo aedificio fratrum minorum. 901-902
16 april.	Luceriae.	— Item ammirato regni pro intercipiendis litteris, Thomasio de Brundusio et Angelo de Marra de rebus curiae et scriptis

Digitized by Google

1240		
		tandis, provisori castrornm in Sicilia pro munitione castri Scalectae, universis a Barulo usque Barum quod judici R. de Sancto Severo favorem praebeant, Angelo Frisario de frumento vendendo sive assignando. 975-979
6 maii.	Fogiae.	— Item collectoribus pro assignanda pecunia, Andreae de Cicala capitaneo nt statuti super demaniis et revocatis ad curiam accedant, Angelo Frisario de portubus Augusta et Melacio, ammirato regni de expensis, magistris siclae Messanae de pecunia assignanda. 980-983
10 maii.	Fogiae.	— Item justitiario in Sicilia nt uncias anri debitas Galvano Lanceae et aliis exhibere debeat. 984
maio circiter.	. . . .	— Scribit regi Castellae gratum sibi fuisse filii ejus Friderici conspectum quem nepotem appellat, seque ipsi magnifice provisurum pollicetur. 991
maio circiter.	. . . .	— Panormitanis scribit cum magno fidelitatis praeconio se corporali sospitate gaudentem in regno qniescere. 992
16 maii.	Ap. Apicem.	— Secreto Siciliae mandat nt capellam Graecorum apud Messanam ad demanium curiae revocare debeat. 993
17 maii.	. . . .	— Petro de Castaldo in vicem Alexandri filii Henrici noviter statnto denuo mandat ut Henrico Baumo de Wienna mercatori salmas frumenti assignari faciat pro quietatione mutui. 993
20 maii.	Fogiae (?)	— Ad supplicationem Benedicti de Isernia, conventui monialium Sanctae Mariae de Isernia antiqua privilegia confirmat. 1228
26 maii.	Neapoli.	— Bajulis Baroli mandat ut Cataldo Mustattio falconerio suo expensas juxta assisiam curiae dare procurent. 994
maio.	Ap. Capuam.	— In recompensationem fidelitatis Cumanorum, plebem Porleze, vallem Soldi, Tellium et ea quae in districtu Cumano ad ecclesiam Mediolanensem pertinebant, eis concedit. 994
1° junii.	Capuae.	— Mandat justitiario terrae Bari nt Henricum de Vico Aggere obsidem Paduae Leoni de Bonesio assignet, item Petro Castaldo ut necessarias expensas Gentili de Castanea exhibeat. 996
4 junii.	Capuae.	— Mandat Guillelmo de Laurentio de Suessa ut recipiat a Riccardo de Pulcaro octo uncias pro reparatione Roccae Montis Draconis. 997
junio.	Capuae.	— Abbati et conventui Sancti Udalrici apud Augustam, privilegium ab avo suo Friderico primo anno 1182 indultum renovat et inserendo confirmat. 997

Digitized by Google

Digitized by Google

1240		
		lelmus de Anglone eisdem exsolverunt, exhibere procuret. 1030
13 sept.	In obsidione Faventiae.	— Regi Angliae narrat calliditates summi pontificis qui concilium contra ipsum convocare disponens, per episcopum Brixiensem petiit in treugis usque ad festum Paschae contrahendis Lombardos rebelles includi; quas cum papa inire concedit, Lombardis vero penitus exclusis. 1037
25 sept.	In obsidione Faventiae.	— Fidelitatem Cumarum erga se et avum suum commendat, nuntiatque se in obsidione Faventiae castra posuisse, qua capta ad ipsorum partes celerius venire disponit. 1041
sept.	In obsidione Faventiae.	— Pro gratis et acceptis servitiis Viterbiensium fidelium suorum, imperialem aulam apud Viterbium fieri mandat et ibidem publicae pecuniae siclam cudendam esse jubet. 1043
sept.	In obsidione Faventiae.	— Universales nundinas apud Viterbium singulis annis celebrandas instituit a festo beati Michaelis per quindecim dies duraturas. 1044
sept.	In obsidione Faventiae.	— Ad petitionem Henrici lantgravii Thuringiae, concedit ut Dietricus Boppardiae aurifaber quaedam bona quae ab imperio tenet eidem lantgravio vendat, sub ea conditione quod eadem bona ab imperio in antea teneantur. 1045
[sept. exeunte]	. . . .	— Scribit Fernando regi Castellae significans in obsidione Faventiae prosperitatem suam et filii ejus Friderici, ad cujus instructionem votis omnibus aspirat. 1047
4 oct.	In obsidione Faventiae.	— Ottoni duci Bavariae mandat ut Albertum Bohemum clericum auctoritate papae in se blasphemantem a finibus Bavariae expellat. 1048
11 oct.	In obsidione Faventiae.	— B. de Sugio provisori castrorum Aprutii mandat ut ad custodiam castri Pectorani quod est Friderici filii sui, de pecunia curiae supplementum faciat. 1048
octobri.	In obsidione Faventiae.	— Ad supplicationem Bertholdi de Horburch, concedit ut in defectu haeredis masculi filiae ejusdem Bertholdi in feudis quae ab imperio tenet succedant. 1049
[octobr.]	. . . .	— Regi Franciae notum facit quod in obsidione Faventiae castra sua non ante captionem hujus civitatis amovenda praefixit, memoratque quibus injuriis a Faventinis fuerit lacessitus. 1050
[nov. exeunte]	. . . .	— Justitiariis regni mittit litteras quas universis scripsit pro collecta, mandans ut idem subsidium quod non tantum a de-

Digitized by Google

1240		manuis sed etiam ab ecclesiis et feudatariis exigitur, discrete ac fideliter imponant. 1058
7 dec.	In obsidione Faventiae.	— Rogerio de Amicis capitaneo regni mandat ut ecclesiam Sancti Georgii de Bubalino cum possessionibus ejus abbati et conventui Sancti Stephani de Bosco assignari faciat. 1067
21 dec.	In obsidione Faventiae.	— Cumanis fidelibus suis respondet quomodo intendit castrum suum Sessae custodiri, receptis per Masnerium de Burgo obsidibus quos Cremonam mitti mandat. 1069
decemb.	In obsidione Faventiae.	— Universos homines vallis in Suitz qui se ad ipsum convertentes sponte imperii dominium elegerunt, sub sua et imperii protectione recipit. 1070
[anno exeunt.]	. . . .	— Petri navicularum regentium negligentiam incusans scribit regi Franciae quibus causis concilium contra se convocatum convenire prohibeat. 1075
[anno exeunt.]	. . . .	— Mortem Nicolai Spinulae regni Siciliae ammirati in servitiis suis vita functi Lanfranco Spinulae fratri ejus et consanguineis significat, suadens ut justo dolori modum faciant. 1085
[anno exeunt.]	. . . .	— Roberto comiti Atrebatensi grates agit quod circa honoris augusti fastigium quae amici sunt et affinis laudabiliter egerit. 1086
1241		
[februar. ineunte.]	. . . .	— Universis imperii fidelibus injungit ut omnibus praelatis, archiepiscopis, episcopis, abbatibus, caeterisque cujuscumque ordinis ad concilium euntibus iter et transitum terra marive intercludant. 1089
[februar. ineunte.]	. . . .	— Scribit magistris portulanis de armandis vasellis in regno contra Januenses et piratas, quae per maritimam ad securitatem fidelium continue discurrant. 1090
[februar. ineunte.]	. . . .	— Scribit communitati Florentiae se in obsidione Faventiae hiemantem nec ante captionem hujus discessurum, mittere ad partes illas Henricum, filium suum, ad cujus mandatum cum tota sua militia venire debeant. 1092
15 feb.	In obsidione Faventiae.	— Masnerio de Burgo potestati et communi Cumarum mandat se mittere ad partes ipsas regem Henricum, filium suum, quem ipse devicta Faventia subsequi proponit, eisque concedit subsidia ecclesiarum districtus Cumani, etc. 1096
27 feb.	In obsidione Faventiae.	— Magistris ordinis praedicatorum apud Parisios in capitulo constitutis exponit damna et offensas quas a summo pontifice acceperit, monetque ne permittant aliquos fratres or-

Digitized by Google

Digitized by Google

1241		
		imperio reddidit et praelati omnes ad concilium properantes navali certamine victi et intercepti sunt. 1123
[maio exeunt.]	. . . .	— Scribit comitibus, principibus et aliis nobilibus super obsidione Faventiae et captione legatorum et praelatorum, significans insuper se mutato consilio versus Romam iter suum direxisse. 1126
[maio vel jun.]	. . . .	— Capitulo ecclesiae Pataviensis mandat ut Albertum Bohemum eorum confratrem pro eo quod in episcopos Bavariae insurrexerit excludant. 1130
[maio vel jun.]	. . . .	— Clero et civibus Wormatiae mandat ut contra quemdam archidiaconum proditorem suum (verisimiliter Albertum Bohemum), quintam partem ecclesiasticorum proventuum extorquere nitentem viriliter insurgant. 1130
[maio vel jun.]	. . . .	— In suam gratiam specialem recipit Salzburgensem, Ratisponensem et Pataviensem ecclesias, et inhibet ne eorum ministeriales sine episcoporum licentia ad aliorum servitia se convertant. 1132
[maio vel jun.]	. . . .	— Scribit cuidam principi monens eum quod sit firmus in fide, procurando disturbare suspecta colloquia principum. 1134
20 junii.	In castris ante Spoletum.	— Scribit senatui Romano se receptis nuntiis de Tartarorum adventu proximo versus Urbem dirigere gressus suos, eum papa compositurum si id fieri possit, ne praeterito edoctus aliquid periculi post terga sua relinquat. 1139
[junio exeunt.]	. . . .	— Scribit regi Ungariae de adventu Tartarorum et conqueritur ei de papa, propter cujus impedimentum non potest eis obviare, monens se versus Romam iter facere, pacem si fieri possit tractaturum. 1143
3 julii.	In recessu post deditionem Faventiae.	— Regi Angliae narrat qualiter Ruthenia, Polonia, Hungariaque vastatis, Tartari ad confinia Germaniae procedant, descriptisque eorum ritibus et moribus hortatur ut ipse una cum caeteris christianis principibus ad repellendam communem omnium pestem viriliter se accingat. 1148
8 julii.	. . . .	— Pisanis iterato mandato injungit ut comitem Andream Lupinum in manibus Bertholdi ducis Spoleti assignent. 1154
julio.	In castris apud Interamnem.	— Ad supplicationem civium de Ulma, communia pascua in Stribelne hospitali Sancti Spiritus apud Ulmam constructo tribuit. 1155
julio.	. . . .	— Johanni de Columna cardinali scribit se consiliis ipsius adhaerere velle quorum audaciam in presbytero miratur, pre-

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1237		omni precaria eximit, ea conditione ut civitatem ipsorum firmo muro munire debeant.	1176
martio.	Apud Hagenowe.	— Sororibus de valle Sanctae Mariae (Frauenthal), Cisterciensis ordinis, immunitatem concedit.	1177
1239			
martio.	Apud Nuremberg.	— Civibus de Nordelingen gratiam a patre suo Friderico II imperatore factam super triennali remissione stiurae sive praecariae ad alios duos annos extendit.	1178
aprili.	Apud Ulmam.	— In favorem conventus Omnium Sanctorum apud Schafusam, latam contra Eberhardum Brumsi ejusdem civitatis burgensem in praesentia sua sententiam confirmat, qua deciditur quod nulli liceat molendinum in detrimentum alterius construere.	1179
maio.	Apud Horburg.	— Priorissam et conventum in loco Griez apud Augustam cum omnibus personis et possessionibus sub speciali sua protectione recipit.	1180
junio.	Apud Egram.	— Sententiam principum promulgat latam in favorem civium Ratisponensium ne quis personas vel res eorum ratione pignoris detineat, nisi civis pro cive a quo alias jus suum quis consequi non valeret.	1181
julio.	Apud Francofurtum.	— Cunoni de Reiffenberg fideli suo castrum Reiffenberg in perpetuum feudum confert, ea conditione ut idem Cuno honestam habitationem ad usus imperatoris et regis in dicto castro aedificare teneatur.	1182
augusto.	Apud Geinhausen.	— Monasterio sanctimonialium de Meiroiden confirmat privilegium Philippi regis datum apud Geinhausen 31 januar. 1207 quo rex quamdam bonorum commutationem huic ecclesiae utilem approbavit.	1183
novemb.	Hallis.	— Ad preces Alberti de Ulma ordinis minorum magistri, conventum monialium apud Ulmam sub ordine Sancti Damiani fundatum in sua et imperii protectione recipit.	1185
1240			
5 jan.	Bischofsheim	— Scabinis et civibus de Frankinfort promittit quod amodo filias et viduas civium hujus urbis ad matrimonium cum famulis curiae suae non coarctabit.	1188
15 jan.	Apud Hagenuwe.	— Wernherum Hersfeldensis ecclesiae electum de regalibus juxta morem investit, ipsumque et ecclesiam ejus sub sua et imperii defensione recipit.	1187
15 jan.	Apud Hagenowe.	— Ad requisitionem Wernheri abbatis Hersfeldensis, sententiam principum promulgat qua deciditur officia hujus eccle-	

Digitized by Google

Digitized by Google

1240		dem habent in vineis et domibus eximantur a praecariis quae pro tempore imponuntur. 1203
5 sept.	Apud Vilingen.	— Scultetis de Vilingen, de Rotweil, de Schafusa, de Esslingen, de Ulma et de Uberlingen mandat se eorum defensioni commisisse abbatem et conventum de Salem. 1205
novemb.	Apud Nuremberg.	— Albardum abbatem de Ebrach et conventum ejus cum personis et bonis, nominatim cum praedio et parrochia de Swabach, in protectione sua recipit et ab omni advocato eximit. 1206
1241		
6 mart.	Apud Spiram.	— Sculteto et universis civibus de Esslingen scribit se fratribus praedicatoribus ibidem degentibus concessisse licentiam vendendi uni de civibus domum et aream quam habent ante portam civitatis ejusdem. 1207
6 april.	Apud Frankenfort.	— Pactum inter Johannem Golstein et Ulricum Longum cives Frankenfurtenses de acquisitione villae de Vecbenheim statutum confirmat. 1208
[maio exeunt.]	. . . .	— Universis principibus et nobilibus in partibus Germaniae inferioris constitutis nuntiat se crucem apud Esslingen assumpsisse contra Tartaros et exercitum circa primos julii dies apud Nuremberg convocavisse. 1214
16 julii.	Apud Weiden.	— P. de Rainstein judici terrae Egrensis mandat ut monasterium de Spainshart contra Henricum de Durndorf et Conradum ejus filium tueatur, dum isti advocatiam super quibusdam villis sibi illegitime vendicent. 1218

DOCUMENTA VARIA AD RES ITALICAS SEU SICULAS SPECTANTIA.

1237		
10 junii.	Paduae.	*Ciprianus de Theate, judex imperialis aulae, vicarius Simonis comitis Theatini imperii legati et potestatis Paduae*, praecipit potestati et ambaxatoribus Coneglani ut res acceptas de villis Colfusci et Susigannae restituant. 83, 84
[ineunte julio.]	[Brixiae.]	Legati summo pontifici nuntiant se propter aeris intemperiem quae Mantuae saeviebat Brixiam adivisse, ubi ambaxatoribus societatis Lombardiae novum ad festum beati Jacobi terminum praefixerunt. 87
[julio ineunte.]	. . . . . .	*Hermannus magister Sanctae Mariae Theutonicorum* Ostiensi episcopo et Sanctae Sabinae cardinali nuntiat se mox Lombardiam aditurum propter pacem una cum eis componendam; quae si ad adventum imperatoris composita non fuerit,

Digitized by Google

1237		
		imperator ipse non abstinebit quin Lombardorum pertinaciam armis coerceat. 93
5 aug.	Apud Minores.	*Angelus de Marra* ex mandato familiarium imperatoris judicibus Nuceriae mandat ut inquisitione facta de jure monasterii Cavensis super ecclesiam Sancti Laurentii de la Rostineta, si eidem monasterio pertineat, stalleriis imperialis demanii praecipiant ne monasterium in quieta possessione ejusdem ecclesiae molestent. 105
18 oct.	Viterbii.	*Johannes de Columna, Sanctae Praxedis cardinalis,* Ottoni Sancti Nicolai in carcere Tulliano cardinali legato in Anglia scribit de statu Ecclesiae Romanae. 124
[dec.]	. . . .	*Petrus de Vinea magnae curiae judex* fidelibus imperii nuntiat conflictum Mediolanensium, captionem currus ac potestatis eorumdem et triumphalem apud Cremonam imperatoris pompam. 137
[dec.]	. . . .	— Principibus Alemanniae scribit super conflictu Mediolanensium, captione carroccii eorum missi ad Urbem, et imperatorem rebellibus misericordiam implorantibus nullam concessurum esse veniam nuntiat. 147
1240		
9 febr.	Fuligni.	— In parlamento generali ex parte imperatoris firmam pacem inter omnes Ducatus et Marchiae fideles servandam praecipit. 743
1241		
julio.	. . . .	— Cuidam amico suo significat de statu rerum et de pace cum papa ut sperat ineunda. 1157
1238		
2 junii.	. . . .	*Jacobus Giraudi* civis Romanus in praesentia Petri Frajapanis, Gualterii de Cicala et aliorum, fidelitatis sacramentum Friderico imperatori praestat, amicorum imperatoris adjutorem et adversariorum ejus inimicum se fore promittens. 209
26 julii.	In prato S^ti^ Zenonis de Verona.	*Eccelinus de Romano et Bonacursus de Palude* in manibus Conradi Romanorum regis devotum mandatis imperialibus obsequium jurant. 218
28 oct.	Cremonae.	*Herbipolensis, Wormaciensis, Vercellensis et Parmensis episcopi* a papa delegati ad admonendum imperatorem de gravaminibus Ecclesiae in Italiae partibus illatis, rescribunt papae qualiter idem imperator ipsis in praesentia multorum super capitulis omnibus quae ibidem exprimuntur responderit. 249
[nov. exeunt.	Paduae.]	*Eccelinus de Romano* Friderico Romanorum imperatori scribit proditorum superbiam in terris marchionis Estensis contra stimulum calcitrare, hortaturque ut quam citius in partes

Digitized by Google

1240		nt illi ad recuperandam maternam haereditatem quam detinet imperator, auxilium porrigat. 545
27 april.	Apud Tridentum.	*Sodegerius de Tito in civitate et episcopatu Tridentino potestas* Bonifacio de Broiono pro sua in imperatorem fidelitate exulanti Turani castri construendi licentiam concedit. 1227
junio et julio.	. . . .	*Marsilius Georgius, bajulus Venetorum in Syria*, quid in istis partibus tam in captione Tyri quam ante et post egerit, fuse narrat. 1228-1232
21 julii.	Alexandriae.	*Manfridus marchio Lancia, sacri imperii a Papia superius vicarius generalis*, Opizoni de Revello imperiali capitaneo de Aquis et communi civitatis ejusdem mandat ut coram se compareant, Manfredo Boccaccio concivi suo responsuri. 1018
6 et 9 decemb.	Januae.	*Gregorius de Romania, Apostolicae Sedis legatus*, Gregorio papae nuntiat quid apud Januam egerit de apparatu galearum et taridarum, mittitque pacta et conventiones quae inter se et Januense consilium super hoc negotio intervenerunt. 1061
[dec.]	In obsidione Faventiae.	*Henricus de Morra, magnae imperialis curiae magister*, post inquisitionem a justitiario Principatus factam Jacobum de Tricarico ab impetitione hominum quondam patris sui liberum declarat super possessione casalis Solofrae. 1073
1241		
10 junii.	Pisis.	*Martinus, abbas monasterii Sancti Michaelis de Burgo*, dat Vitali archiepiscopo Pisano libras decem denariorum Pisanorum ex mandato cardinalium, pro expensis quas nuper idem archiepiscopus in eisdem legatis fecit. 1135
[aug.]	. . . .	Quidam scribit imperatori congaudens de deditione civitatis Tiburtinae. 1161

DOCUMENTA VARIA AD RES GALLICAS SPECTANTIA.

1239		
10 nov.	Aquis.	*Raymundus Berengarius, Provinciae comes*, Jacobo Penestrinensi episcopo Apostolicae Sedis legato promittit se quadraginta milites et decem balistarios ad servitium papae contra Fridericum imperatorem missurum in Italiam. 488
1240		
12 aug.	Avinione.	*Raymundus Tolosanus comes* exponit qualiter comite Berardo civitatem Avinionem regere non valente, potestariam hujus urbis acceperit, eamque comiti Galterio vicario imperatoris in regno Arelatensi et Viennensi resignat et tradit. 1022
[anno 1240 exeunt.]	. . . .	Quidam Galliae vel Angliae clericus suadet praelatis ne ad concilium Romam accedant, fuse describens tum pericula maris et terrae, tum insidias potentissimi et crudelis principis. 1077

Digitized by Google

Digitized by Google

1240		
2 aprilis 11 maii.	. . . .	Principes imperii tam ecclesiastici quam laici summum pontificem suppliciter monent quod suo cum imperatore dissidio finem pro salute orbis christiani imponere velit. 985
1239		
[circa finem junii.]	. . . .	*Albertus Bohemus* (*de Beham*) Gregorio papae notum facit quid in concilio priucipum apud Egram actum fuerit et quid de novo Romanorum rege eligendo rex Bohemiae, dux Bavariae et ceteri decreverint. 344
1240		
[circa medium august.]	. . . .	— Gregorio papae nuntiat quot difficultates pro electione novi regis in Alemannia exsurgant; monens quid agendum sit ut episcoporum Germanorum contumacia tandem infringatur. 1023
5 sept.	. . . .	— Gregorio papae nuntiat quam pertinaciter episcopi Alemanniae sententias ecclesiasticas in se latas respuerint, suadens ut novum regem in Alemannia creare non omittat. 1031
1241		
27 mart.	Landshut.	— Gregorio papae nuntiat litteras de concilio tardius in Bavariam advenisse; precatur quod cardinalem legatum in Hungariam mittat, cui ipse ex parte ducis Bavariae personaliter occurret. 1110
11 febr.	. . . .	*Otto dux Bavariae* Gregorium papam monet ne exaudiat litteras quas ipse et rex Bohemiae pro concordia cum Friderico ineunda scripsere, et una cum Alberto Bohemo conqueritur quod contra episcopos Bavariae non fuerit processum. 1094
10 april.	. . . .	*Otto dux Bavariae et Albertus Bohemus* iterum papam hortantur quod legatum per Hungariam mittere velit, quum nisi negotium Ecclesiae expeditius fieri contingat, major pars principum in subsidium Friderici Lombardiam intrabunt. 1111
maio.	Faventiae.	*Dietelmus de Krenkingen* et filii ejus in manus Friderici Romanorum imperatoris pro mille et ducentis argenti marcis advocatiam Rhinaugiensem cum civitate et munitionibus ipsius venduut et tradunt. 1129
[junio exeunt.]	. . . .	*Bartholomaeus, ordinis Praedicatorum frater,* episcopo et canonicis Brixinensibus nuntiat Fridericum imperatorem post gloriosam praelatorum captionem Romam tendere, ut potentiae simul et clementiae suae signa manifestet, etc. 1146
25 april. 25 maii.	Erfordiae. Constantiae.	*Henricus Constantiensis episcopus* statuta ab archiepiscopo Maguntino in concilio Erfordensi edita super crucem contra

Digitized by Google

INDEX

NOMINUM ET PERSONARUM QUAE IN HOC QUINTO VOLUMINE CONTINENTUR.

(Personae ad sua nomina, non ad cognomina disponuntur. Quando nomina seu initiales litterae defuerint, quaerendum ad litt. N.)

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Reuwx ny cat. p. 545

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

LOCORUM SIVE GEOGRAPHICUS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



HAG 2020336
Digitized by Google

CORRIGENDA ET ADDENDA.

P. 11, lin. 13, *vice* Cassin se, *legendum :* Cassinense.
P. 77, not. 1, lin. 2, *vice* deberent, *legendum :* debuissent.
P. 86, not. 1, lin. 3, *vice* monetae, *legendum :* monetarum.
P. 124, lin. 12, *vice* f t, *legendum :* fuit.
P. 206, not. 2, lin. 7, *vice* denegaverunt, *legendum :* denegaverint.
P. 217, lin. 6, *vice* praeparent, *legendum :* se praeparent.
P. 231, *ad marginem addendum :* In castris in obsidione Brixiae, septembri.
P. 296, lin. 27, *vice* munierunt, *legendum :* monuerunt.
P. 401, lin. 3, *vice* cit t, *legendum :* citat.
P. 489, *nota* (1) *delenda est, quum mandatum ipsum inter Additamenta reponatur.*
P. 521, lin. 25, *vice* G. de Sancto Laurentio de Suessa, *legendum :* G. filio Laurentii de Suessa.
P. 619, lin. 18, *vice* ngelus, *legendum :* Angelus.
P. 661, lin. 3, *vice* mutuaverunt, *legendum :* mutuati sunt.
P. 688, lin. 23, *vice* ne homines, *legendum :* ne hominibus.
P. 694, lin. 23, *vice* mutuaverunt, *legendum :* mutuati sunt.
P. 707, lin. 17, *vice* obaudire, *legendum :* assentire.
P. 813, lin. 5, *vice* n, *legendum :* in.
P. 892, lin. 10, *vice* fol. 96, *legendum :* fol. 97.
P. 920, lin. 16, *vice* purimum, *legendum :* plurimum.
P. 922, lin. 33, *vice* quod, idem, *legendum :* quod idem.
P. 928, lin. 23, *vice* scrips it. de Capua, *legendum :* scripsit P. de Capua.
P. 949, lin. 10, 11, *vice* assam urie, *legendum :* assisam curie.
P. 959, lin. 4, *vice* cum, *legendum :* eum.
P. 1052, lin. 1, *vice* invidias, *legendum :* insidias.
P. 1188, lin. 7, *vice* recepit, *legendum :* receperit.
P. 1292, in indice nominum, lin. 45, col. 1, *post* 860, *addendum* 984.
P. 1296, ibidem, lin. 23, col. 1, *post* 860 et not. 1, *addendum* 984, 1031.
P. 1301, ibidem, lin. 15, col. 2, *post* 860, *addendum* 984, 1031.

Digitized by Google

INDEX MATERIARUM

HUJUS QUINTI VOLUMINIS.



Digitized by Google

OUVRAGES DU MÊME AUTEUR.

GRANDE CHRONIQUE DE MATTHIEU PARIS, traduite [illegible] par A. Hu[illegible]-Bré[illegible], et précédée d'une introduction par M. le duc de [illegible] [illegible] Paris, 1840-1841. 9 volumes in 8°. Prix [illegible]

RECHERCHES SUR LES MONUMENTS ET L'HISTOIRE DES NORMANDS ET DE LA MAISON DE SOUABE DANS L'ITALIE MÉRIDIONALE, publiées par les soins de M. le duc de Luynes, membre de l'Académie des Inscriptions et Belles-[illegible] par A. Huillard-Bréholles, traducteur de *Matthieu Paris*, dessins par [illegible] architecte. Paris, 1844, imprimerie Panckoucke. 1 vol. grand [illegible] Prix cartonné [illegible]

CHRONICON PLACENTINUM ET CHRONICON DE REBUS IN ITALIA GESTIS, [illegible] Suevorum illustrandae aptissima, [illegible] nunc primum recensuit, edidit et praefatione instruxit J.-L.-A. Huillard-Bréholles. Auspiciis et sumptibus H. de Albertis de Luynes, [illegible] Parisiis, 1856, excudebat Henricus Plon. 1 vol. [illegible] Prix [illegible]

HISTORIA DIPLOMATICA FRIDERICI SECUNDI, sive constitutiones, privilegia, [illegible] quae supersunt istius imperatoris et filiorum ejus. [illegible] Collegit, ad fidem chartarum et codicum [illegible] J.-L.-A. Huillard-Bréholles [illegible] Parisiis [illegible] Auspiciis et [illegible] H. de Albertis de Luynes [illegible] Academiae Inscriptionum [illegible] Parisiis, excudebat Henricus Plon. [illegible] premiers tomes ont paru de 1852 à 1857. Prix de chaque tome [illegible]

INTRODUCTION A L'HISTOIRE DIPLOMATIQUE DE L'EMPEREUR FRÉDÉRIC II, par J.-L.-A. Huillard-Bréholles, [illegible] 18[illegible], typographie [illegible] Prix [illegible]

[illegible]





Digitized by Google

